SUMMA PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE

V

PSYCHOLOGIA

EDITIO NONA

SCRIPSIT

J. DONAT
PROFESSOR QUONDAM IN UNIVERSITATE OENIPONTANA

1946

F. H. KERLE, HEIDELBERGAE

Imprimatur.

Seduni, die 26. Julii 1943. ✠ Victor, Episcopus Sedunensis

LIZENZ NR. 22
F. H. KERLE VERLAG
HEIDELBERG

Postquam liber in editione octava maiorem quandam mutationem subiit, in hac editione fere immutatus mansit.

Seduni, in Helvetia, die 20. Julii 1943.

Auctor

Druck: Heidelberger Verlagsanstalt und Druckerei, Heidelberg, Hauptstraße 23

Index [1]

[1]) Materiae *asterisco* notatae in cursu breviore salva philosophiae substantia omitti possunt.

Caput III
De intellectu

Caput IV
De appetitu hominis

Caput V
De motu vitali et de habitu

Caput VI
De charactere

Pag.

*Caput VII
De specialibus statibus vitae psychicae

Caput VIII
De anima humana

Emendandus est in Fig. 8 p. 36 literarum (A, B, C, D) ordo.

Introductio

Definitio psychologiae. Nomen psychologia saec. 16. a 1
Melanchthone in praelectionibus et a Goclenio († 1628) ut titulus libri primum adhibitum esse videtur. Originem vero ab opere Aristotelis „Περὶ ψυχῆς“ repetit, in quo de natura et potentiis animae tractatur. Itaque spectato nomine psychologia scientia de anima audit.

Sicut autem nostra aetate accipi solet, psychologia definienda est *scientia de vita psychica hominis.*

Psychologia de *vita psychica* tractat. Ex triplici enim hominis vita tantum sensitivam et rationalem, quae uno nomine vitae psychicae designari solent, sibi considerandas assumit, vitam vero vegetativam physiologiae seu biologiae tractandam relinquit. Porro de vita psychica *hominis* tantum, non simul etiam animalium agit. Sunt quidem inter scholasticos, qui in psychologia de animalium quoque vita psychica, immo etiam de vita plantarum agunt idque propterea, quod utraque sicut hominis vita principium vitale a materia diversum sive animam postulat, ut proinde tractatio triplicis vitae in unam scientiam coniungi possit. Imitantur hac in re Aristotelem, qui in libro supra citato pariter de omni vita tractat. Sed alii, maxime psychologi moderni communiter psychologiam simpliciter dictam ad vitam hominis et quidem psychicam restringunt. Et hoc merito quidem. Nam vita psychica hominis, rationalis praesertim, vitam animalium et plantarum praestantia et momento longe superat, et anima humana spiritualis ordinem corporeum penitus excedit; animae vero animalium et principia vitae plantarum, utpote a materia pendentia, ordini materiali adnumeranda sunt ideoque aptius in cosmologia considerantur.

Itaque ad psychologiam secundum totum suum ambitum spectatam pertinet hominis actiones psychicas describere, distinguere, in varias species distribuere, earum leges mutuasque relationes investigare, inde ulterius ad potentias et maxime ad animam, ad eius naturam eiusque ad corpus relationem considerandam progressum facere.

2 **Psychologia rationalis et empirica.** Psychologia, sicut modo definita est, in duas quasi partes dividi potest, psychologiam rationalem (philosophicam) et empiricam, quarum posterior fere intra ambitum experientiae se continet, prior vero etiam ultra experientiam cogitando progreditur. Haec divisio, si recte instituitur, approbanda est, quia amplissima copia rerum psychologicarum, qualis nunc est, in unum corpus vix iam coniungi potest.

Psychologia rationalis est tractatio potissimum philosophica de vita psychica seu talis, quae etiam et potissimum in rationes remotas functionum psychicarum, in internam earum naturam et potissimum in exsistentiam, qualitates, originem animae inquirit. Ex factis igitur psychicis diligenti experientia observatis egreditur et inde remotiores veritates ultra experientiam sitas ratiocinando concludit. Non enim a priori, velut forte ex praeconcepta aliqua notione animae, doctrinas psychologicas construere debet. Atque etiam nunc magis quam antiquitus notitias empiricas psychologicas attente considerare atque praecipua eius capita sibi summatim inserere debet, tum quia ad inquisitiones philosophicas, quales nunc postulantur, multum conferunt vel necessariae sunt, tum quia ad integritatem genuinae scientiae psychologicae pertinent.

Psychologia empirica est tractatio potissimum empirica de vita psychica seu talis, quae functiones psychicas describit, earum leges colligit et ex causis propinquis declarat, quantum ad explicandos earum nexus causales sufficit. E. g. investigat, quae sint indoles, qualitates, partes perceptionis visualis et qua ratione et secundum quas leges ab impressione externa pendeant. Data opera in internam naturam eventuum psychicorum et animae non inquirit,

sed tantum eatenus interdum ad tales veritates philosophicas (uberius in psychologia rationali demonstratas sive demonstrandas) provocat et provocare debet, quatenus aliter discrimen et nexus causalis functionum psychicarum intellegi nequeunt.

Psychologia empirica secundum se spectata non est 3
scientia philosophica. Tantum philosophiae indirecte et reductive adnumerari potest, quatenus cum psychologia rationali arcte conectitur eiusque complementum est. Inter psychologiam rationalem et empiricam fere similis est relatio sicut inter scientias naturales et philosophiam naturalem. Sed psychologia empirica et rationalis multo arctius cohaerent, ut minus una alteram praetermittere et ab ea separari possit. Scientiae naturales plerumque obiecta sua sufficienter tractare possunt abstractione facta a quaestionibus philosophicis de spatio, tempore, mundi origine et similibus; psychologia vero empirica multo minus ab anima eiusque unione cum corpore et a diversa natura partis sensitivae et intellectualis abstractionem facere potest, si facta declarare et confusionem vitare velit. Et vicissim psychologia rationalis uberius inquisitiones empiricas consulere sibique inserere debet, cum iis magis ut fundamento et complemento indigeat, quam cosmologia experientia rerum naturalium.

Itaque psychologia empirica non sic procedere debet, ut veritates psychologiae rationalis penitus neglegat; multo minus eas negare potest. Neque est psychologia simpliciter, sed tantum eius pars et quidem minus praecipua.

Nihilominus plerique psychologi moderni vix aliam praeter empiricam psychologiam admittunt, inquisitiones et sententias metaphysicas, exsistentiam et naturam animae substantialis ex psychologia excludendas esse iubentes; multi eorum, agnosticismo infecti, tales inquisitiones certitudine et valore scientifico destitutas esse supponunt.

Sed iam numerus eorum crescit, qui contendunt, talem psychologiam nimis inopem esse neque muneri suo satisfacere, si a philosophicis quaestionibus abstineat.

4 Itaque multi vel plerique ita fere loquuntur: „Psychologia est scientia empirica", „scientia de immediata experientia."[1]) „Methodus psychologiae est observatio."[2]) „Non magis physica in externa natura, quam psychologia in interna natura consideranda quaestiones experientiam transcendentes omittit . . Schola anglica hoc meritum habet, quod psychologiam a speculationibus metaphysicis independentem fecit."[3]) „Obiectum psychologiae sunt phaenomena psychica." „Psychologiae munus est phaenomenorum psychicorum descriptio et declaratio." „Psychologia optime verbis Ladd professoris definiri potest descriptio et declaratio statuum psychicorum ut talium."[4]) „In psychologiae veteris locum psychologia pure empirica sive inductiva iure merito successit. Omnis metaphysica ex psychologia exclusa est. Tantum experientia, observatio sequendae sunt."[5]) Psychologia scientifica „vult esse, secundum celebrem formulam, ‚psychologia sine anima' . . scientia positiva factorum psychicorum eorumque legum".[6])

5 Psychologiae rationalis et empiricae distinguendae primi auctores fuerunt Chr. Wolff (Psychologia empirica 1732, Psychologia rationalis 1740) et Kant. Attamen *Kant* (et similiter Wolff) psychologiam rationalem illam esse supponit, quae non ex experientia (ex qua nulla scientia acquiri possit), sed tantum ex analysi notionum a priori suas notitias hauriat, scilicet potissimum ex notione animae sive ego.[7]) Quam scientiam deinde facile et merito ostendit non esse genuinam, sed a priori constructam. Sic Kant etiam auctor fuit, ut nunc multis opinio insit, psychologiam philosophicam in factis empiricis parum fundatam esse neque aliam psychologiam nisi empiricam admittendam esse. — Sed psychologia rationalis, quam Kant impugnat, longe differt ab ea, de qua nos loquimur, quae nempe ex experientia egreditur.

6 Etiam inter auctores catholicos inveniuntur, qui inquisitiones philosophicas a psychologia extrahendas et alii parti philosophiae, metaphysicae, inserendas esse censent. Quod minus approbandum esse videtur. a) Imprimis non adest legitima ratio, ut notio psychologiae longa

---

[1]) Die Psychologie ist „eine der Naturwissenschaft koordinierte und sie ergänzende empirische Wissenschaft", „eine Wissenschaft der unmittelbaren Erfahrung". *Wundt,* Grundriß der Psychologie § 1 s. — [2]) *E. B. Titchener,* A Textbook of psychology I § 6. — [3]) *H. Höffding,* Psykologi i Omrids paa Grundlag af Erfaring n. I. — [4]) *W. James:* „The definition of Psychology may be best given in the words of Professor Ladd, as the description and explanation of states of consciousness as such." Psychology 1. — [5]) *Th. Ziehen:* „An ihre [der alten Psychologie] Stelle ist die rein empirische oder induktive Psychologie mit Fug und Recht getreten. Alle Metaphysik ist aus der Psychologie verbannt. Nur die Erfahrung, die Beobachtung ist maßgebend." Leitfaden d. physiol. Psychologie[11] (1920) 1. — [6]) *A. Cuvillier:* La Psychologie scientifique „veut être, selon une formule célèbre, une ‚psychologie sans âme' . . la science des faits psychiques et de leurs lois." Manuel de philos. I[2] (1933) 6 11. — [7]) „‚Cogito'", inquit, „hic textus unicus est psychologiae rationalis, ex quo totam sapientiam suam extrahere debet." („‚Ich denke' ist also der alleinige Text der rationalen Psychologie, aus welchem sie ihre ganze Weisheit auswickeln soll.") Kritik d. reinen Vernunft. Transz. Elementarlehre II 2 2. Buch 1.

traditione sancita ita coarctetur et mutiletur, ut praecipuae quaestiones ex ea eliminentur, quae maiore iure psychologicae dicendae sunt quam mere empiricae. Sine dubio enim specialis pars philosophiae admittenda est, quae, instructa debita copia notitiarum empiricarum, remotas rationes vitae psychicae investigat, sicut etiam philosophiam naturae, religionis, historiae habemus; haec pars philosophiae autem sane non alio nisi psychologiae nomine appellanda est. b) Hac ratione periculum inducitur, ne psychologia, tantum empirica effecta, nimis a philosophia separetur itaque soliditate, veritate et claritate privetur, seiuncta tractatio autem veritatum psychologicarum in metaphysica soliditatis damnum capiat. c) Immerito obicitur, psychologiam, si veritates metaphysicas assumat, evadere metaphysicam et desinere esse scientiam propriam. Non est oppositio inter psychologiam (rationalem) et metaphysicam, sed psychologia metaphysicae ut generi subest. Non propterea desinit esse propria scientia specifica proprium suum obiectum ab aliis distinctum habens, sicuti nec ethica specialis scientia esse desinit, quia philosophiae ut generi subest. d) Quatenus nos sic trahi sinimus exemplo eorum, qui psychologiam philosophicam tamquam parum scientificam recusant, praeiudicium promovemus, quasi quaestiones philosophicae minus graves minusque scientificae sint quam empiricae.

Psychologia experimentalis. Psychologia empirica magna 7
ex parte in experimentalem converti solet. Nam notitias suas ex experientia haurit, nempe ex observatione factorum psychicorum tum propriorum tum aliorum, haec autem observatio nunc permultum experimentis iuvari solet.

Experimenta ab observatione alia eo differunt, quod non eventus sponte occurrentes observantur, sed eventus accomodate ad certas inquisitiones faciendas producuntur vel mutantur, quo fit, ut observatio exactior evadat. Nam sic idem eventus saepe produci et observari, eius partes inter se dividi earumque singularum qualitates et causae melius observari, denique eventus celeriter decurrentes attentius considerari possunt. Sicut igitur multae scientiae naturales facta sua experimentis instituendis exactius inquirere student et his experimentis eximius harum scientiarum profectus magna ex parte debetur, ita etiam in psychologiam experimenta inducta sunt, ut, si fieri posset, similis inquisitionis exactio obtineretur. Itaque methodis studiose excogitatis et adhibitis apparatibus ingeniose constructis experimenta instituuntur de relatione inter impressionem sensoriam et sensationem (qualis oriatur perceptionis varietas, si externa lucis et colorum intensitas varietur,

quomodo caloris, soni, ponderis intensitas augenda sit, ut augmentum percipiatur), quanta debeat esse duorum sonorum indoles, ut auditu distingui possint, quot litteras per certam temporis moram legere et agnoscere possimus, quae sint associationum leges, quae memoriae fidelitas, attentionis indoles vel amplitudo, et similia.

8 Itaque *psychologia experimentalis* est psychologia empirica, quae experimentis institutis facta legesque psychicas investigat. Cum enim s. 19. magni profectus scientiae naturalis conspicerentur, opinio oriebatur, eandem methodum experimenti et calculi mathematici etiam adhibendam esse, ut solidus psychologiae profectus obtineretur. Postquam psychologia experimentalis aliqua ratione iam per E. H. Weber, Helmholtz praeparata fuit, systematice exculta est a *Fechner*[1]), *Wundt,* qui primum laboratorium psychologicum instituit, *A. Binet, Külpe,* aliis multis.

Ergo stricte loquendo psychologia experimentalis est pars psychologiae empiricae; nam psychologia empirica generatim observatione, experimentalis autem observatione experimentali potissimum utitur. Sed nunc saepe integra psychologia empirica experimentalis dicitur.[2])

9 Schola experimentalis *vetus,* praesertim Fechner et Wundt vix aliud experimentum psychologicum scientificum esse concedunt praeter experimentum psychophysicum sensu strictiore sumptum, i. e. tale, quo facta psychica exacte investigari et mensurari possunt per facta physica adnexa, sive quatenus eventus corporales producunt psychicos (impressio sensoria excitat sensationem; „Reizmethode"), sive quatenus facta psychica producunt correspondentes eventus corporales (affectus mutant pulsum venarum; „Ausdrucksmethode").

Recentiores autem usum et notionem experimenti psychologici paulatim latius extenderunt. Etiam facta sublimiora experimentis subiciunt, velut memoriae, intellegentiae, voluntatis, religionis, iudicii aesthetici. Atque ampliores modos experimentorum adhibent. E. g. alicui poema discendum datur vel per breve tempus opus artis offertur, et observatur, qualis sit discendi successus vel complacentia artificii, vel quaestionibus propositis mentis cogitatio excitatur, quae postea interrogationibus exquiritur; vel denique ad multas personas simul circummittuntur interrogationes de suis experientiis in aliqua re psychologica (Umfrage, enquête, questionary), ut hac ratione, aucto experientiarum diversarum numero, notitiae certiores acquirantur; alia experimenta individualem alicuius qualitatem psychicam, gradum intellegentiae, fidelitatis memoriae, suggestibilitatis investigant (tests). Sed eiusmodi experimenta de factis psychicis sublimioribus vix saepe plane exacta esse possunt.

---

[1]) Elemente der Psychophysik (1860; ²1889). — [2]) At minus recte. Maiores enim partes psychologiae empiricae non ex experimentis haustae sunt. Ad significationem psychologiae experimentalis ita extendendam opinio ansam dedit inter psychologos aliquando frequens nec adhuc penitus exstincta, solidam observationem psychologicam absque experimento non fieri et integram vitam psychicam experimentis explorari posse. Utrumque autem falsum est.

Non est dubium, quin experimenta scientiam factorum psychicorum permultum augeant et etiam magnam utilitatem practicam, e. g. in paedagogica, afferant. Attamen ut horum experimentorum momentum recte aestimetur, notandum est: 10

1. Experimenta psychologica fere *numquam tam accurate* institui possunt sicut experimenta physicalia. Eventus enim psychici interni sunt, a subiecti dispositionibus mutabilibus et a variis causis simul pendent, quae non semper ad arbitrium produci, mutari, ab aliis separari possunt.

2. Experimenta cum bono successu institui possunt *de quibusdam eventibus simplicibus,* qui vel a causis physicis constanti nexu pendent vel effectibus physicis se manifestant, velut de relatione inter excitationem et sensationem, de celeritate associationum, de exercitiis memoriae, de amplitudine attentionis et similibus. Multo difficilius iam de simplicibus sentimentis fiunt. Quo sublimiora autem magisque composita sunt facta, eo difficilius exactis experimentis subiciuntur. Affectus, operationes logicae, libera voluntas, sentimenta operationesque morales et religiosae, operationum internarum conexio et conspiratio experimentis vel difficile vel plane non attingi possunt. Exspectationi illi, qua initio multi ex psychologia experimentali exactam omnium fere phaenomenorum psychicorum inquisitionem novamque plane scientificam psychologiae indolem ac sententiarum consonantiam proventuram esse sperarunt, eventus non respondit. Nunc iam communi fere sententia multo modestius de fructu psychologiae experimentalis iudicium fertur. 11

Exaggerata igitur fuerunt talia iudicia: „Psychologia physiologica tamquam scientia experimentalis reformationem inquisitionis psychologicae intendit, quae non minoris, immo sub aliquo respectu forte

maioris est momenti quam revolutio illa, quae experimenti usu in methodo scientiae naturalis effecta est: quatenus scilicet in scientiis naturalibus in opportunis condicionibus observatio exacta etiam sine experimento possibilis, in psychologia autem impossibilis est."[1]) Ceterum eiusmodi immoderatae opiniones vix iam proferuntur.

12 **Quomodo facta psychica mensurari queant.** Kant censuit, psychologiam empiricam non posse strictam scientiam instar scientiarum naturalium esse, quoniam eventibus psychicis mathematicam, eos mensurando, applicare nequeat.[2]) Sed hodierna psychologia experimentalis primo auctore Fechner ingeniosas methodos excogitavit ad facta quoque psychica, etsi inter limites admodum modicos, mensuranda.

Mensurare generatim in eo consistit, quod exprimitur, quot unitatibus aliqua res aequivaleat. Linea 4 metris, annus 365 diebus aequivalere dicitur. Si unitas illa cum re mensuranda aequalis naturae est in eaque continetur, ut in exemplis allatis, mensio directa adest. Sin autem a re mensuranda differt, attamen cum ea sic conexa est, ut constanti correlatione cum ea crescat et decrescat, mensio indirecta habetur; sic temperatura mutationibus thermometri mensuratur.

13 1. *Directe* tantum paucissima facta psychica mensurari queunt. Aliqua ratione eorum duratio ita mensurari potest, velut tempus interiectum inter impressionem sensoriam in aures factam et momentum, quo orta auditio conscia

[1]) „Als experimentelle Wissenschaft erstrebt die physiologische Psychologie eine Reform der psychologischen Forschung, die der Umwälzung, welche die Einführung des Experimentes in dem naturwissenschaftlichen Denken verursachte, an Bedeutung nicht nachsteht, ja in einer Beziehung ihr vielleicht überlegen ist: insofern nämlich, als auf naturwissenschaftlichem Gebiet unter günstigen Bedingungen auch ohne Experiment eine exakte Beobachtung möglich, auf psychologischem aber eine solche ausgeschlossen ist." *Wundt*, Grundzüge der physiol. Psychologie[6] I (1908) 4. — [2]) „Noch weiter aber, als Chemie, muß empirische Seelenlehre jederzeit von dem Range einer eigentlich so zu nennenden Naturwissenschaft entfernt bleiben, erstlich weil Mathematik auf die Phänomene des inneren Sinnes und ihre Gesetze nicht anwendbar ist . . Sie kann daher niemals etwas mehr als eine historische und als solche so viel als möglich systematische Naturlehre des inneren Sinnes d. i. eine Naturbeschreibung der Seele, aber nicht Seelenwissenschaft, ja nicht einmal psychologische Experimentallehre werden." Metaphys. Anfangsgründe der Naturwissenschaft. Vorrede.

fit, vel tempus a perceptione litterarum usque ad agnitionem earum fluens. Gradus autem intensitatis, qualitatis, perfectionis ac praestantiae actuum (fere) numquam directe mensurari possunt, propterea maxime, quia communis unitas, quae applicari possit, non habetur. E. g. aestimari et numeris exprimi non potest, quoties intensitas doloris, fatigationis attentionis, affectus lenissimum quendam dolorem, fatigationem, affectum tamquam unitatem sumptam contineat.

2. *Indirecte* autem aliqua facta psychica per eventus physicos mensurari possunt, quia illa facta tamquam causae vel effectus constanti correlatione comitantur. Intensitas perceptionis per quantitatem impressionis in organum mensuratur, velut perceptio tactilis per gravitatem ponderis prementis. Sed intensitatem aliorum actuum, velut attentionis, affectus, volitionis sic mensurare non succedit.

Ad mensurationem indirectam aliqua ratione accedit inventio *„correlationis"*, quae inter duos actus sive proprietates ita exstat, ut certae variationi unius certa alterius variatio respondeat. Sic inventa est aliqua correlatio inter sensibilitatem tactus et facultatem sonos distinguendi. Hac igitur supposita unum per alterum saltem impropria quadam ratione mensurari potest.

Nota. Psychologiae experimentali propinqua est *psychophysica*. Psychophysica sensu angustiore accepta, prout eam Fechner, eius auctor, intellexit, est inquisitio experimentalis et mathematica relationis sive dependentiae inter facta psychica et physica, speciatim relationis inter excitationem externam et sensationem, v. g. quantopere intensitas soni augenda sit, ut auditu percipiatur; agit ergo de obiecto partiali psychologiae experimentalis. Interdum sensu latiore idem intellegitur ac psychologia experimentalis. 14

Propinqua est *psychologia physiologica*, quae dicitur.[1]) Quae potissimum conexionem factorum psychicorum cum factis physicis seu physiologicis, velut cum nervorum condicionibus et mutationibus, inquirit itaque facta psychica declarare studet, et id quidem cum magno fructu. Sed non raro palliato cuidam materialismo favet, quatenus

[1]) Praecipuum opus est: *Wundt*, Grundzüge der physiologischen Psychologie[6] (1908—11).

eventus psychicos corporalibus nimis arcte adstringit, eos fere qualitates tantum et appendicem physicorum faciens et iisdem legibus physicis subiciens.

15 **Discrimen psychologiae ab aliis scientiis** ex definitione supra statuta consequitur. Differt ab iis obiecto formali, velut a botanica, zoologia, chemia organica, embryologia, anatomia, pariter a biologia seu scientia de vita vegetativa plantarum, animalium et hominis; quae omnes disciplinae scientiis naturalibus adnumerantur. Item ab anthropologia differt, quae omnia ferme ad hominem spectantia comprehendit, ea praesertim, quae corpus, propagationem, rassas attinent. Etiam a physiologia diversa est, quae functiones vitales considerat, quatenus certas condiciones materiales, ut nervorum processus, secum ferunt.

Nonnumquam psychología empirica scientiis naturalibus adnumeratur, praesertim ab iis, qui ad mentem aperti vel palliati materialismi facta psychica nimis eventibus physicis adstringunt et assimilant itaque psychologiam fere in physiologiam convertunt. Sed immerito adnumeratur. Facta enim psychica spectata tota indole sua penitus diversa sunt ab eventibus physicis et aliis legibus internis reguntur. Verum quidem est, psychologiam empiricam etiam leges factorum considerare, sicut scientiam naturalem; sed haec est tantum aliqua convenientia generica, manet autem discrimen specificum: leges psychologicae et naturales essentialiter differunt. Etiam ethica et critica generice conveniunt, quatenus utraque philosophia est, non tamen propterea eadem scientia sunt. Dicunt praeterea: utraque scientia eadem methodo utitur, nempe observatione et experimento, quae vero eandem methodum adhibent, eadem scientia sunt. Idem respondendum est: utriusque methodus generice similis est, specifice vero differt, quia in scientia naturali experientia externa, in psychologia praecipue observatio interna adhibetur, et quia eventus naturae aliter multoque facilius experimentis subiciuntur, quippe qui a dispositionibus internis non pendent, et aliter atque facilius mensurari possunt.

Sunt alii, qui psychologiam *a philosophia separent.* Quod non inconsequenter tunc fit, quando non alia nisi psychologia empirica sive experimentalis admittitur.

Neque discrimen psychologiae ab aliis scientiis *in diverso tantum respectu* consistit, quo eadem obiecta considerentur. Quod non raro ii opinantur, qui vestigia kantianismi sequentes obiecta mundi externi phaenomena tantum subiectiva seu psychologica esse contendunt repraesentatione producta[1]), proinde unum tantum ordinem realem, psychicum nempe, admittunt. Qui propterea discrimen inter psychologiam et alias scientias vel omnino negant vel non in obiecto, sed tantum in diversa obiectorum consideratione situm esse dicunt: psychologiam aiunt obiecta experientiae considerare, quatenus a subiecto pendeant, scientias autem alias (potissimum naturales) eadem obiecta respicere, quatenus tamquam a subiecto independentia vel saltem neglecta dependentia considerentur. „Scientia naturalis", inquiunt, „obiecta experientiae tractat, quatenus tamquam a subiecto independentia considerantur . . psychologia totam experientiae comprehensionem investigat, quatenus ad subiectum refertur et qualitates a subiecto ei immediate tributas habet."[2]) „Sic igitur magnum inter inquisitionem physicalem et psychologicam discrimen tunc tantum exsistit, si consueta consideratio stereotypica [realismi] adhibetur . . Non obiectum, sed respectus in utraque disciplina differt."[3]) 16

Sed his minime assentimur. Supponimus enim, id quod critica scientifica et omnium vulgaris persuasio tenet, mundum externum independenter a repraesentatione exsistere ideoque res externas et facta interna psychica ordines reales distinctos et plane diversos esse.

Notae historicae. Generi humano semper sensu naturae persuasum fuit, homini peculiare principium vitae, animam a corpore diversam, inesse mortique superstitem manere; 17

---

[1]) *Kant* affirmat, leges naturae inniti in legibus rationis, immo „intellectum leges suas (a priori) non ex natura haurire, sed naturae praescribere". „Da in der Natur die Gesetzmäßigkeit auf der notwendigen Verknüpfung der Erscheinungen in einer Erfahrung, mithin auf den ursprünglichen Gesetzen des Verstandes beruht, so klingt es zwar anfangs befremdlich, ist aber nichts desto weniger gewiß, wenn ich in Ansehung der letzteren sage: der Verstand schöpft seine Gesetze (a priori) nicht aus der Natur, sondern schreibt sie dieser vor." Prolegomena zu jeder künftigen Metaphysik § 36. — [2]) *Wundt:* „Die Naturwissenschaft betrachtet die Objekte der Erfahrung in ihrer von dem Subjekt unabhängig gedachten Beschaffenheit . . Die Psychologie untersucht den gesamten Inhalt der Erfahrung in seinen Beziehungen zum Subjekt und in den ihm von diesem unmittelbar beigelegten Eigenschaften." Grundriß der Psychologie § 1. — [3]) *E. Mach:* „So besteht also die große Kluft zwischen physikalischer und psychologischer Forschung nur für die gewohnte stereotype Betrachtungsweise . . Nicht der Stoff, sondern die Untersuchungsrichtung ist in beiden Gebieten verschieden." Die Analyse der Empfindungen[7] (1918) 14.

cui tamen veritati non raro errores, veluti transmigrationis animae separatae per diversa corpora, admixti erant.

1. Inter philosophos graecos, qui primi psychologiam scientifice tractarunt, *Pythagoras* animae immortalitatem et eius migrationem per diversa corpora docet, *Democritus* († 370) animam ex atomis igneis constare opinatur, *stoici* animam instar flatus materialis concipiunt, *Anaxagoras* vero († 428) iam magis spiritualem animae notionem proponit. *Plato* († 347) docet, animam rationalem esse spiritualem et immortalem eamque ante ingressum in corpus humanum iam exstitisse, attamen ex sphaera superiore quadam, in qua essentias immediato intuitu adspexerit, excidisse atque in corpus tamquam in carcerem delapsam esse, in quo nunc pristina cognitio essentiarum sopita sit, sed per sensationes iterum excitetur. Animam rationalem totum hominem regere docet, sicut nauta navim dirigat; sed quatenus eam substantiam completam reddit eiusque unionem entitativam cum corpore tollit, unitatem naturae humanae aufert. Praeter partem animae rationalem (τὸ λογιστικόν), quae spiritualis et immortalis sit, duas alias partes non spirituales, sed corruptibiles admittit, unam, cui superior appetitio (τὸ θυμοειδές), alteram, cui inferior appetitio (τὸ ἐπιθυμητικόν) insit.

18 *Aristoteles* psychologiam suam potissimum in opere Περὶ ψυχῆς proponit. Cui accedunt aliae parvae elucubrationes inter se quidem omnino conexae, sed communi titulo carentes (nunc „Parva naturalia“ vocantur), velut Περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν (De sensu et sensato), Περὶ μνήσεως καὶ ἀναμνήσεως (De memoria et reminiscentia), Περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως (De somno et vigilia), Ethica Nicom. et Politeia, quae de operationibus voluntatis, denique Rhetorica, quae de affectibus notatu digna exponit.

De Aristotele, qui arctiore necessitudine cum philosophia scholastica iunctus est cuiusque postea saepe mentio fiet, paulo plura dicenda sunt. Praecipua capita eius psychologiae haec sunt. Anima est principium substantiale vitae cum corpore ut eius forma ad unam naturam unitum. Animae vero complures vires attribuit, quas ad mentem

Platonis animae partes vocare solet; quae ad hoc triplex genus reduci possunt: vis sive anima vegetativa („nutritiva“, τὸ θρεπτικόν), sensitiva (τὸ αἰσθητικόν), intellectualis (νοῦς, τὸ νοητικόν). Functiones vegetativae sunt nutritio, augmentatio, generatio. Ad vires sensitivas, quae sicut vegetativae in anima et corpore sunt, quinque sensus externi spectant, quorum perceptiones obiectis externis determinantur et quorum centrum ac fons sensus communis est, qui omnes perceptiones in unum colligit. Ex perceptionibus in sensu communi collectis phantasmata remanent, „reliquiae perceptionis actualis“; praeterea memoria (μνήμη) ad partem sensitivam pertinet. Anima sensitiva etiam facultatem appetitivam eamque duplicem habet, concupiscibilem (ἐπιθυμία), quae delectabilia appetit, et animosam sive irascibilem (θυμός), cuius actus sunt animus, audacia, appetitio dominatus, honoris. In anima intellectuali appetitus rationalis est (βούλησις), cui genuina libertas indifferentiae attribuitur. Porro animae intellectuali duplex diversa functio cognoscitiva ascribitur, una inferior, cogitatio discursiva de rebus contingentibus ad fines vitae practicos ordinata (διάνοια, νοῦς πρακτικός), altera superior, contemplatio principiorum et veritatum immutabilium (θεωρία, ν. θεωρητικός), quae occupatio divinissima habetur. Reliquae quidem partes animae corpori alligatae et eius forma sunt, cum corpore incipiunt et pereunt; nous vero spiritualis et immortalis est, nec forma corporis est. At notanda est distinctio duplicis partis, quam Aristoteles in anima intellectuali facere solet (licet eam non constanter observet): haec spiritualitatis et immortalitatis praerogativa tantum illi parti superiori, quae nous theoreticus appellatur, reservatur, altera vero pars, dianoia, identidem expresse sicut anima sensitiva corpori alligata esse atque cum corpore incipere et perire dicitur. Nous igitur (saltem theoreticus) non per generationem parentum cum corpore incipit, sed „extrinsecus“ (θύραθεν) advenire dicitur; quae assertio, quia Aristoteles creationem ex nihilo nescire videtur, suspicionem alicuius praeexsistentiae animae intellectualis movet.

Haec doctrina aristotelica de anima graves obscuritates et difficultates continet. Videtur enim unitas animae perire et aliqua eius multiplicitas ad mentem Platonis induci; namque non tantum de diversis potentiis eiusdem animae, sed de diversis animae partibus, oppositis qualitatibus instructis, interpretanda esse videtur. Et unitas naturae humanae in periculum adducitur, quia nous (theoreticus) nullam unionem entitativam cum corpore init. Similiter duplex nous ab Aristotele distinguitur, ubi de origine idearum universalium agit, unus patiens (νοῦς παθητικός), qui dicitur corruptibilis, alter superior („ν. ποιητικός“, quem schola aristotelica postmodum appellavit), qui solus spiritualis et immortalis dicitur. Intellectus enim, ita philosophus argumentatur, universales et necessarias rerum formas sive essentias apprehendit, quas ex phantasmatibus res perceptas exhibentibus eruere debet. Sed quia phantasmata res tantum individuales et contingentes exhibent et quia tamquam materialia intellectum spiritualem determinare nequeunt, intellectus universales formas intellegibiles non passive ex phantasmatibus recipere, sed (tamquam „i. agens“) propria vi ex illis eruere debet, quatenus phantasmata „illuminando“ a sensibilibus determinationibus individualibus liberat; has formas ita abstractas intellectui patienti imprimit et inscribit. Ceterum obscura manet utriusque intellectus natura et commercium.

Psychologia aristotelea capita quidem principalis momenti habet, sed non parum imperfecta est.

19 2. Inter s. Patres potissimum *Augustinus* nominandus est. Ideis platonicis imbutus, quas tamen secundum veritatem christianam corrigit, animam docet esse spiritualem, immortalem, triplici potentia instructam, nempe memoria, intellectu et voluntate; voluntati primatum tribuit. Sed in describenda relatione animae ad corpus quidam dualismus platonicus apparet; pariter in doctrina de ortu cognitionis intellectualis ideae innatae Platonis aliquo modo renovantur; et quatenus paulum obscure docet, mentem veritates

supremas in ideis divinis apprehendere, etiam ab ideis platonicis se inspiratum ostendit.

Apud antiquos *scholasticos* tum generatim tum maxime in psychologia duplex schola invenitur, augustiniana, quae usque ad finem saec. 13. dominatum gerit et Augustinum sequitur (Anselmus † 1109, Alexander Halensis † 1245, Bonaventura † 1274, Henricus Gandavensis † 1293, et plerique ex ordinibus mendicantium), et peripatetica, praecipue a s. Thoma inaugurata, quae deinceps philosophiam scholasticam regit. 20

Thomas, cui Albertus M. magister vias paravit, doctrinam Aristotelis adoptavit, ab erroribus purgavit et cum doctrina Patrum sociavit. Principalia capita psychologiae eius haec sunt: In homine est anima substantialis, una, spiritualis, immortalis, cum corpore ut eius forma ad unam naturam unita, a Deo ex nihilo creata, triplici denique vita praedita; vita vegetativa et sensitiva in corpore et anima simul est, intellectualis autem in sola anima. Porro duplex functio psychica distinguenda est, cognitio et appetitio. Intellectus, sensu altior et universalium praesertim cognitione praeditus, ideas ex sensibus haurit; voluntas libertatis praerogativa excellit.

Haec principalia capita veteris psychologiae scholasticae sunt immutabilis veritas, veritati a Deo revelatae conformis. Sed quoad complura alia, praesertim quod res empiricas attinet, incrementi et interdum emendationis capax est.

Antiquiores scholastici psychologiam „physicae“ adnumerant, quo nomine tunc omnis tractatio scientifica de rebus corporeis, homine eiusque anima non exceptis, designabatur. Physicam a metaphysica distinguunt, quae illo tempore tantum de ente in genere et substantiis immaterialibus, ergo de illis rebus agebat, quae nunc potissimum in ontologia et theodicea tractantur. Vetus illa physica postea in duplicem partem divisa est, unam empiricam i. e. scientias naturales, alteram philosophicam, nempe cosmologiam et psychologiam, quae utraque deinde in metaphysicam recepta est. Metaphysica deinceps, auctore praesertim Ch. Wolff, subdivisa est in generalem i. e. ontolo- 21

giam, et specialem, quae cosmologiam, psychologiam et theodiceam comprehendit.

22 3. *Recenti* aetate, postquam plerique a philosophia scholastica defecerunt, imprimis multi unitatem naturae humanae scindentes ad immoderatum *dualismum* Platonis regressi sunt arbitrantes, animam humanam substantiam completam esse, quae in corpore resideat; inter quos sunt Descartes, Malebranche, Leibniz, Chr. Wolff.

In Anglia autem magis magisque *empirismus,* metaphysicae adversarius, psychologiam ingressus est, qui uberiorem quidem experientiae usum in psychologiam induxit, sed longe a veritate aberravit, quatenus ultra experientiam egredi non permisit neque ipsam inquisitionem empiricam recte instituit. Essentiale enim discrimen inter intellectuales et sensitivas functiones praetermittens psychologiam „associationismi“ sensistici construxit. Eius praecipui auctores fuerunt Locke, Hume, Hartley, James Mill et J. St. Mill, Bain, qui omnes functiones admodum differentes ad perceptiones sensitivas („sensations“) earumque reproductiones („ideas“) et multiplices associationes reducere conantur. Empirismus in Gallia saec. 18. in *materialismum* (La Mettrie, Holbach) et immoderatum sensismum degeneravit (Condillac). Materialismus novum florem saec. 19. in Germania nactus est; C. Vogt, Moleschott, Büchner, Haeckel eius potissimi defensores fuerunt. *Kant,* qui philosophiae modernae spiritum suum indidit, sicut omnem metaphysicam, ita etiam psychologiam impossibilem habet.

23 4. *Evolutio psychologiae ex fine saec. 19.* usque ad praesens tempus haec fere fuit. Profectus scientiarum naturalium, physicalium praesertim, ansam dedit, ut diu, usque adhuc fere, consideratio vitae psychicae nimis physicalis praevaleret, quae facta psychica, praetermissis eorum varietate, peculiari natura, propriis legibus, methodo fere physicali-physiologica tractabat. Ideo etiam functiones rationales a sensitivis essentialiter diversas vel penitus ignorans vel multum deprimens praecipue in inferiore et externa parte vitae psychicae consideranda haerebat. Extrema eius forma

defensores nactus est (E. Mach, W. James, Th. Ziehen, Ebbinghaus, G. E. Müller).

Eodem tempore orta est et brevi magna incrementa cepit *psychologia experimentalis.* Quae primum a peripheria incipiens perceptiones sensitivas per excitamenta sua externa mensurare studebat (Fechner; *psychophysica*). Mox in locum psychophysicae *psychologia physiologica* successit[1]), quae actus psychicos, nimirum sensitivos praesertim, non tam mensurare, quam potius ex factis physiologicis explicare conata est. Sed multi, dum utiliter nexum psychicorum cum physiologicis investigabant, in physiologismum (epiphaenomenismum) inciderunt, illa his ita astringentes et ab iis dependentia reddentes, ut tantum epiphaenomena sive secundariae affectiones materiae vel immo processus physiologici modificati evaderent (W. James, Maudsley, H. Münsterberg, Th. Ribot et alii).

Etiam magis in externis psychologiae finibus haeret *behaviorismus* americanus (Verhaltungspsychologie; Thorndike, Watson), qui non internam experientiam, quae vix solidas notitias psychologicas praebeat, sed externum hominum se gerendi et habendi modum (behavior) fontem vel unicum vel longe praecipuum psychologiae esse vult idque ita, ut phaenomena psychica vix directe in se ipsis attendat, sed fere tantum secundum externos motus, gestus, actiones, modum se gerendi consideret, quibus quasi per mechanismum reflexorium neuropsychicum se exprimant. Behaviorismus igitur, saltem in sua forma radicali, non directe ipsam vitam psychicam internam inquirit itaque vix pleno iure psychologiae nomen meretur.

Sed contra hos psychologiae tractandae modos ex aliquo tempore *oppositio invalescit.* Imprimis inquisitio interiorem vitam psychicam intrare studet. Ipsa experimenta paulatim non amplius solum perceptiones sensitivas, sed etiam alia phaenomena, attentionem, eventus memoriales examinant atque directe insensibiles functiones intellec-

---

1) *W. Wundt,* Grundzüge d. physiologischen Psychologie⁶ (1908—11).

tuales et volitivas (Binet, Külpe eiusque schola) admittendas esse ostendunt; magis magisque igitur inquisitio ex peripheria ad facta centralia se convertit et phaenomenorum psychicorum varietatem, peculiares proprietates et leges a physicalibus diversas attendit. Porro adversus methodum atomisticam, quae tantum gesta psychica in elementa analytice dividit, a subiecto communi dissolvit et dependentiam eorum a materialibus condicionibus considerat, diligens studium impenditur, ut vita psychica in sua totalitate et coniunctione cum subiecto suo spectetur, non quasi expresse anima substantialis admittatur, sed ita saltem, ut aliqua unitas ipsius ego, personae, characteris concipiatur. Huc spectat iam aliquo modo „psychologia complexuum sive figurarum“ (Gestaltpsychologie), „psychologia structuralis“ (Strukturpsychologie), magis etiam psychologia typorum, characteris, psychologia personalistica et aliae.

24 Generatim igitur psychologia *hodierna* ab antiqua eo imprimis differt, quod illa quidem fere tantum rationes remotas vitae psychicae, animam eiusque qualitates, discrimen essentiale potentiarum et similia investigat, hodierna autem diligentissimas inquisitiones empiricas de singulis functionibus instituit. Attamen nimis in solis *factis* psychicis inveniendis, declarandis, inter se comparandis, coniungendis haeret, quaestiones vero metaphysicas plerumque neglegit vel non raro despicit. Si interdum proponuntur et disceptantur, fere solum tamquam problemata considerantur, a certis veritatibus metaphysicis admittendis hodierna psychologia generatim adhuc longe abest. Cum praeterea clari conceptus philosophiae aristoteleo-scholasticae ignorentur vel etiam contemnantur, necessario fit, ut, ubi de factorum interpretatione agitur, magna sententiarum varietas et dissensio oriatur.

„Quaestiones psychologiae“, ipsi hodierni psychologi concedunt, „praeter illas, quae philosophiam generalem spectant, ad quaestiones maxime disputatas pertinent; licet in factis sciendis progressus magni facti sint, controversiae tamen de iis recte apprehendendis et interpretandis vix minutae sunt.“ „Imperfectio relativa disciplinae nostrae inter alia in eo manifestatur, quod de quaestionibus eius generalissimis fere omnibus constanter litigatur.“[1]) „Nulla alia scientia hodie tam ‚problematica‘ est sicut psychologia. Fere nulla enim revera quaestio est, quae decisa censeri potest.“[2]) „Interpretatio fere omnium factorum [psychicorum] controversa est . . vix ulla est sententia psychologica, quae ab omnibus agnoscitur.“[3])

De methodo psychologiae. In psychologia tractanda methodi diversae adhibentur non parum inter se differentes. 25

Recta methodus alia in psychologia rationali, alia in empirica observanda est.

1. *Psychologia rationalis* adhibet methodum philosophiae generatim propriam, quae in eo consistit, quod experientia cum cogitatione mentis causas rerum remotas investigante coniungitur. Sed magis quam nonnullae aliae disciplinae philosophicae cum diligenti experientia coniungi debet, quia de vita interna magna ex parte obscura tractat, quae attenta experientia illustranda est. Inquisitio igitur incipit ab experientia interna et externa seu ab observatione sui aliorumque, quae experimento, ubi fieri potest, adiuvatur. Phaenomenis sive eventibus ita perspectis cogitatio mentis ope inductionis et ratiocinii deductivi ad functionum viriumque psychicarum et animae naturam atque ad causas remotiores indagandas assurgit. Sed etiam in phaenomenis ipsis declarandis semper ad animam recurrendum est, sine qua satis intellegi nequeunt. Ita perpetuo via analytica, qua ad principia ascenditur, cum synthetica, qua a principiis ad ea descenditur, quae ab iis pendent, coniungenda est.

2. *Psychologia empirica* de factis psychologicis recte ex- 26
perientiam instituere, ea describere, inductione eorum leges

---

[1]) *Ebbinghaus:* „Ihre [der Psychologie] Fragen gehören neben den allgemein philosophischen zu den allerumstrittensten; und bei allen Fortschritten ihres Wissens von den Tatsachen sind die Streitigkeiten über deren richtige Auffassung und Deutung kaum geringer geworden.“ „Die relative Unfertigkeit unserer Disziplin erweist sich unter anderem darin, daß über fast alle ihre allgemeinsten Fragen andauernd gestritten wird.“ Grundzüge der Psychologie I⁴ (1919) VII 7. — [2]) *H. Driesch:* „Keine andere Wissenschaft ist heute so ‚problematisch‘ wie die Psychologie. Gibt es doch wahrlich in der Psychologie fast keine Frage, welche als endgültig beantwortet gelten kann.“ Grundprobleme der Psychologie. Ihre Krisis in der Gegenwart (1926) 2 s. — [3]) *K. Koffka* behauptet, daß „die Deutung fast aller Tatsachen strittig ist . . daß es wohl keine einzige psychologische Theorie gibt, die heute von allen Psychologen anerkannt wird“. Lehrbuch der Philosophie. Herausg. v. M. Dessoir. I. Psychologie. (1925).

inferre et explicationem dare debet. Quod fieri nequit, nisi saepe etiam notiones et veritates in psychologia rationali uberius tractandae adhibeantur, ut supra dictum est.

Experientiae fontes, ex quibus psychologia, imprimis empirica, primas cognitiones empiricas haurit, paulo diligentius exponendi sunt.

a) *Observatio sui* per reflexionem conscientiae instituta sive „introspectio" est fons praecipuus. Nam actus psychici, velut perceptio eiusque genera, reproductio, associatio idearum, emotiones, libertas, iudicium directe tantum interna propria experientia observari possunt; etiam observatio aliorum et experimenta sui observationem supponunt. Sed rerum internarum observatio saepe difficilis est, praesertim diuturna et attenta eiusdem facti observatio. Nam facta interna admodum instabilia, mutabilia, inter se diversa sunt. Neque raro per ipsam observationem facta observanda mutantur, retardantur et impediuntur, e. g. intensitas studii, associationum decursus, affectus; vel e contrario observatio ipsa per factorum indolem, veluti per intensitatem affectus, impeditur.

Ideo interdum inveniuntur, velut behaviorismi (americani) defensores, qui sui observationem nimis despiciant. Sed immerito; id quod fere communiter iam conceditur. Nam una ex parte verum manet, quod dictum est, observationem sui praecipuum fontem experientiae esse, altera autem ex parte nullum dubium est, quin haec observatio possibilis et persaepe facilis sit. Nam vel eventus actu praesentes observari possunt, saltem si non cum intensa attentione fiunt (quae facile per novam reflexionis attentionem impeditur), vel eventus postea in memoria stantes inspici possunt, maxime brevi postquam evenerunt, quia tunc per aliquot momenta clarissime in memoria perseverant („methodus retrospectiva"). Observatio sui etiam aliena directione, nempe instructione et aptis interrogationibus, iuvari potest in ratione de factis internis reddenda.

27 b) *Observatio aliorum* fons secundus est. Quae tamen sui observationem supponit. Nam aliorum observatio ita

fit, ut ex eventibus externis in aliis perceptis ad facta eorum interna concludatur propter analogiam cum propria vita psychica. In qua tamen conclusione error accidere potest, si quis similia facta psychica nondum expertus est, e. g. si homo sanus de factis pathologicis vel irreligiosus de religiosis iudicat. Observatio aliorum potest esse vel communis vel methodica seu scientifica. Et obiecta eius vel sunt generalis indoles hominum vel speciales qualitates et differentiae, e. g. puerorum, discipulorum, vitae aetatum, sexuum, nationum, aegrotatione psychica laborantium vel in statu hypnotico aliove abnormi versantium. Ad observationem psychologicam etiam historia, scientia linguarum, studium operum artis, psychologia animalium et alia iuvant.[1]

Tum sui tum aliorum observatio nunc magnopere adiuvari solent *experimentis* psychologicis. Sed etiam experimenta sicut omnis aliorum observatio sui observationem supponunt, quae nempe experimenta interpretari debet.

Methodi vitiosae potissimum hae sunt: 28

1. *Methodus mere empirica,* qua facta psychica observantur et declarantur veritatibus metaphysicis tamquam penitus incertis vel vanis praetermissis Haec methodus nunc frequenti usu recepta est. Sic autem non solum omnem psychologiam rationalem excludi, sed etiam empiricam graviter vitiari manifestum est.

2. *Methodus physiologica* (psychomechanica). Cum factis psychicis perpetuo physica sive physiologica vel ut causae seu condiciones vel ut effectus simul concurrunt, cum perceptione sensitiva excitatio nervea, cum affectu mutatio cordis, cum imaginatione motus cerebralis. Iam igitur a multis nunc facta psychica ita cum physiologicis colligantur, ut ferme tamquam epiphaenomena eorum tractentur iisdemque legibus physiologicis subiciantur, vel immo non raro etiam cum factis physicis realiter identica esse dicantur.

[1]) Observatio sui et observatio aliorum saepe methodus subiectiva et obiectiva appellantur. At minus bene, quia facile opinio generatur, quae revera interdum huic appellationi subest, tantum aliorum, non vero sui observationem tuto veritatem obiectivam praebere posse.

Hac ratione essentiale discrimen factorum psychicorum a physicis et propria ordinis psychici spontaneitas a legibus mechanicis valde diversa deletur et psychologia fere in physiologiam convertitur.

Isti ita fere dicunt: „Propositum nobis est doctrinam quaerere, quae mutuam conexionem obiectorum psychicorum indirecte per obiecta physica eorumque conexionem causalem explicet. Quod problema solvetur, si omnia facta psychica physicis ita adiungi possint, ut, theoretice saltem, omnia facta psychica eventibus mechanicis computandis praefiniri queant.“[1])

29 Neque concedendum est, quod affirmatur, methodum in psychologia (empirica) adhibendam esse methodum *scientiarum naturalium.*[2]) Methodus singularum scientiarum per obiecta eorum formalia determinatur. Iam vero obiectum formale psychologiae omnino aliud est quam obiectum scientiarum naturalium. De qua re iam supra tractatum est (n. 15).

30 3. *Methodi aprioristicae.* Huc a) referenda est illa methodus *metaphysica,* qua multa vel omnia ferme a priori construuntur. Hac ratione nonnumquam Plato et platonici, multo magis vero monistae sicut Hegel, Schopenhauer peccarunt. — b) Item huc pertinet illa methodus *monistica,* quae discrimen essentiale variorum factorum psychicorum tollens totam vitam internam ex iisdem elementis construit, scilicet vel ex repraesentationibus cognoscitivis (Herbart), vel ex volitionibus (voluntarismus) vel aliter; simili methodo associationismus utitur. Haec methodus originem ducit vel ex nimio desiderio unitatis inveniendae, vel ex hoc, quod conatus scientiarum naturalium omnia ex atomis earumque

---

[1]) „Wir stehen vor der Aufgabe, eine Theorie zu suchen, welche den Zusammenhang der psychischen Objekte untereinander mit Hilfe der physischen Objekte und ihres kausalen Zusammenhanges indirekt begreiflich macht. Die Aufgabe wird gelost sein, wenn es gelingt, alles Psychische dem Physischen so anzuordnen, daß, wenigstens theoretisch, der gesamte Bewußtseinsinhalt durch die Berechnung mechanischer Vorgänge vorausbestimmt werden kann.“ *Münsterberg,* Grundzüge der Psychologie I (1900) 45. Confer infra, De natura sensationis. — [2]) „Cum psychologia recens ‚scientia immediatae experientiae‘ .. esse velit, non iam concedere potest, methodos psychologicas a methodis scientiis naturalibus propriis essentialiter differre.“ (Indem die Psychologie auf ihrem gegenwärtigen Standpunkte eine ‚Wissenschaft der unmittelbaren Erfahrung‘ für den gesamten Umfang der Erfahrung sein will, kann sie nun auch eine prinzipielle Verschiedenheit der psychologischen und naturwissenschaftlichen Methoden nicht mehr anerkennen.“) *Wundt,* Grundriß der Psychologie § 2. „Methodus psychologiae in omnibus partibus essentialibus cum methodo scientiarum naturalium concordat.“ *Titchener,* Textbook of psychology I § 9.

motibus declarandi imprudenter in psychologiam transfertur. — c) Similiter methodus illa *evolutionalis* reicienda est, quae humana omnia, intellectum, linguam, artem, religionem, moralitatem, ius, familiam ex evolutione declaranda esse supponit.

Dignitas et utilitas psychologiae multis describi non de- 31
bent; ex tractandis enim apparebunt. Sufficiat animadvertere, nullum aliud obiectum nobis propinquius esse quam propriam vitam psychicam et animam, psychologiam ad nos ipsos cognoscendos et regendos et ad alios iudicandos ac dirigendos summae utilitatis esse, denique errores philosophicos in hac materia tum frequentes tum admodum perniciosos esse.

Attamen dignitatem psychologiae illi perperam exaggerant, qui omnes fere quaestiones philosophicas, religiosas, aestheticas aliasque similes in problemata psychologica convertunt. Quem errorem subiectivismus genuit, qui omnes cognitiones, praesertim illas, quae res altiores respiciunt, valore obiectivo negato tantum phaenomena et producta psychologica habet; psychologismus vocari solet.[1])

Partitio psychologiae. Cum hac aetate ingens effectus 32
sit ambitus inquisitionum psychologicarum, complures partes sive species psychologiae[2]) distingui solent.

I. Psychologia *rationalis* et *empirica.* De quibus supra diximus.

II. Psychologia *generalis* et *specialis.* 33

1. *Psychologia generalis* tractat de integra illa vita psychica, quae omnibus communis est; haec est psychologia simpliciter dicta.

2. *Psychologia specialis* vel speciales partes huius vitae communis uberius tractandas sumit vel de particularibus differentiis, quae in diversis hominum generibus inveniuntur, agit; posterior etiam psychologia differentialis appellatur.

---

[1]) Confer Introd. in Logicam, Criticam, Ontologiam. — [2]) Nempe psychologiae simpliciter dictae, quae de homine agit. Praeter eam ietam psychologia animalium habetur; quae ex analogia cum vita hominis intellegitur.

a) Ad psychologiam specialem *de partibus vitae psychicae* agentem pertinent: (1) *Psychologia certarum functionum psychicarum,* ut psychologia artis, religionis, mathematicae. Psychologia religionis vitam religiosam psychologicae inquisitioni subicit. Nunc studiose tractatur, sed interdum a talibus, qui ipsi vitam religiosam non colunt et proinde incapaces sunt ad sensa et facta religiosa aliorum, tum communia tum maxime extraordinaria, recte intellegenda. Separatum locum tenet *parapsychologia,* quae de phaenomenis occultis tractat. — (2) *Psychologia aetatum* hominis, pueritiae, aetatis iuvenilis, virilis, senilis. Ei adnumerari potest *psychologia genetica,* quae evolutionem vita psychicae per diversas aetates exponit.

b) Ad *psychologiam differentialem* spectat psychologia *sexuum,* psychologia *characterum, temperamentorum, typorum, classium, nationum, psychopathologia, graphologia* et aliae species.

34 III. Psychologia *individualis* vel simpliciter dicta et *socialis.* Psychologia individualis vitam psychicam considerat, prout in singulis est, psychologia socialis autem facta psychica spectat, quae ex collectiva indole et influxu communitatis humanae oriuntur, applicando psychologiam individualem phaenomenis socialibus. Huc pertinet „Völkerpsychologie", quae dicitur (Lazarus, Steinthal, Wundt), linguam, mores, ius, religionem considerans, quatenus producta socialia sunt, psychologia ethnologica diversas gentes et rassas considerans, psychologia classium et statuum socialium, psychologia massae (la psychologie des foules; Le Bon, G. Tarde) et similes disciplinae partiales.

IV. *Psychologia theoretica* (pura) et *practica* (applicata). Psychologia practica theoreticam practicis vitae finibus applicat, velut psychologia paedagogica.

Nostrum erit tantum psychologiae individualis et quidem generalis praecipua capita exponere. Et primum quidem, praemissis quibusdam praeambulis physiologicis, de singulis vitae speciebus sive potentiis agemus, postmodum de earum principio ultimo, de anima, tractabimus. Proprium enim intellectus humani est, ut ex effectibus et accidentibus cognitis ad substantiae cognitionem progrediatur.

Caput I


Praeambula physiologica

Vita psychica humana maxima ex parte psychophysiologica i. e. a corpore dependens est. Non enim a sola anima, sed simul etiam et permultum a systemate nervorum pendet; et praeterea eadem anima, quae vitae psychicae subiectum est, etiam vitae vegetativae est principium, quare perpetuus et intensus inter vitam psychicam et vegetativam, quae magis corporalis est, influxus adest et dependentia. Quam ob rem, ut vita psychica et integrae vitae humanae conspiratio melius intellegantur, non superfluum erit aliquas notitias physiologicas de corpore, maxime de systemate nervorum, et de vita vegetativa praemittere, antequam ad vitam psychicam considerandam accedimus. 35

*Art. 1. De structura corporis humani

Sicut alia corpora viventia, etiam corpus humanum ex *cellis* coalescit. Quae tamen minime aequales sunt, sed pro diversitate functionum, quae organismo humano inter omnes nobilissimo exercendae sunt, variae sunt spectatis forma, mutua conexione, functionibus, et varia organismi officia inter se distribuunt. Quatenus primum cellae similes inter se conectuntur, oriuntur *texta* seu telae (Gewebe, tissus); ex textis organa et ex organis totus organismus aedificantur. Doctrina, quae de textis agit, Histologia (ἱστός, textum) vocatur. Quattuor sunt textorum genera; quorum priora etiam in plantis inveniuntur, posteriora tantum in corpore animali sunt. 36*

1. *Textum epitheliale* (Oberhautgewebe, tissu epithélial): proprium eius est, ut cellae, quae plerunque molles, saepe etiam ciliatae sunt, simplici modo, una iuxta aliam, invicem appositae esse soleant. Textum epitheliale totam corporis



superficiem tegit, praeterea os, venas arteriasque circumdat et cavitates, velut os, nares, stomachum, intestina intrinsecus vestit (fig. 1 a–e).

*37 2. *Textum fultivum* sive coniunctivum (Stützgewebe): cellae non invicem appositae, sed per amplam substantiam intercellularem coniunguntur, quae ex cellis orta est (h, i). Substantia intercellularis cellas volumine superat, et ipsa maxime fungitur munere texti fultivi, ut alias corporis partes fulciat sive coniungat. Spectata potissimum diversitate substantiae intercellularis tres species texti fultivi distinguuntur:




Fig. 1. Variae cellae ex corpore humano (a ex epithelio oris — b) ex epithelio linguae — c) cellae ciliatae (Flimmerzellen) ex trachea — d) ex hepate — e) ex pariete vasis capillaris (Haargefäß) — f) fibra muscularis — g) cella nervea (n neurita) — h) cellae cartilagineae — i) cella ossea una — k) plures

a) *Textum conectivum* (Bindegewebe, tissu conjonctiv). Eius substantia intercellularis plerumque ex tenuissimis (0·6 μ latitudinis) fibrillis seu filis composita esse conspicitur, varium gradum tenacitatis habet et conectendis, rarius fulciendis corporis partibus deservire solet. Hoc potissimum textum pinguescendi capax sit; quae pinguedo in cellis, non vero in substantia intercellulari perficitur et quidem ita, ut magna guttula adipis in cella oriatur cellamque impleat cum voluminis augmento.

b) *Textum cartilagineum* (Knorpelgewebe, tissu cartilagineux, h). Cellae plerumque rotundae vel ovales sunt et substantia intercellularis notabili firmitate gaudet. In embryo initio totus sceletus cartilagineus est et postea paulatim ossificatur.

c) *Textum osseum* ossa constituit (i, k). Cellae formam stellarum habent, substantia vero intercellularis, in quam multa vasa sanguinea nutriendi gratia intrant, magna ex parte ex salibus calceis (Kalksalze) constat, ideoque magna firmitate gaudet.

3. *Textum musculare,* quo musculi constituuntur, compositum est ex cellis ad modum fibrarum extensis, quae facultate se contrahendi praeditae sunt (f).

4. *Textum nerveum* (g) infra uberius exponetur.

Hisce textis varie inter se dispositis componuntur *organa* seu diversae partes corporis specialibus functionibus exercendis adaptatae, velut cerebrum, pes. Si complura organa ad unum officium commune obeundum conspirant, apparatus sive *systema* oritur, velut systema nervorum.

Art. 2. **De systemate nervorum**

Ad functiones vitae humanae maximi momenti est systema 38
nervorum. Hoc enim systema functiones vegetativas determinat et regit, ut stomachus opportuno tempore sucum gastricum secernat, ut sanguis debito modo per corpus circuletur, ut motus cordis et intestinorum rite peragantur. Praeterea nullus motus obtineri potest nisi per excitationes nervorum. Praecipue autem systema nervorum vitae psychicae cooperatur; vitae enim sensitivae organum est et per eam vehementer etiam in vitam rationalem vim exercet.

Quare utile est aliqua de anatomia sive de structura et de physiologia sive de functionibus nervorum exponere. Accuratior notitia structurae et functionum systematis nervei aetate demum recentiore acquisita est. Attamen quo diligentiora facta sunt studia atque in investigando progressus, eo subtiliores et ad instar mysterii inscrutabiles apparent eius structura et operatio.

§ 1. De anatomia systematis nervorum

39 Systema nervorum complectitur compactam molem centralem cerebri cum medulla spinali, e quibus nervi in omnes corporis partes discurrunt, praeterea collectionem parvorum elementorum nerveorum sive gangliorum a massa centrali distinctam quidem, sed non penitus divisam. Totum hoc systema ex minimis quidem, attamen innumerabilibus cellis, immo ex millibus millionum earum componitur; e quibus describendis exordium facimus.

40 **Cella nervea** inter alias cellas structura speciali excellit. Cellae nerveae diversae formae et magnitudinis sunt, nempe 4—135 μ[1]), pro vario munere, quo funguntur. Haec, quae sequuntur, fere omnibus cellis communia sunt.

Distinguenda sunt *corpus* cellae et *fibrae* (Fasern, fibres) e corpore egredientes. Corpus cellulare, quod nunc simpliciter cella vel cella gangliaris dici solet, constat ex protoplasmate, nucleo centrali et saepe praeterea ex com-




Fig. 2. Cella nervea
Corpus cellulare cum initiis fibrarum — a) initium neuritae




Fig. 3. Cella nervea pyramidalis ex cortice cerebrali. Infra descendit neurita (a) cum collateralibus; fibrae superiores sunt dendritae

1) μ legitur micron et significat millesimam partem millimetri.

pluribus per protoplasma dispersis nucleolis (fig. 2). In protoplasmate pigmenta granularia sunt, quae cellae colorem griseum sive cineraceum conferunt. Cella ex se fibras emittit, unam, duas vel plures.

Fibrae duplicis generis sunt (fig. 3). *Dendritae* (Protoplasmafortsätze, prolongements protoplasmatiques) parvi, sed crassiores sunt, plerumque iam prope cellam finem habent et saepe in filamentum ad instar penicilli dividuntur. *Neurita* (Nervenfortsatz, Achsenzylinder, fibre nerveuse, prolongement cylindraxile) admodum tenuis est, sed longius a cella discedit, v. g. a collo usque ad digitos.

Fibrae ex cella provenientes diverso munere funguntur. 41
Vel a) *excitationem, motoriam* potissimum, a cella proficiscentem via centrifugali ad musculos aliaque organa deferunt, vel b) *excitationem sensoriam* in aliqua parte corporis factam excipiunt et ad cellam in centro nerveo sitam via centripetali, e. g. ex digito ad medullam spinalem, transferunt. Fibrae priores vocantur motoriae, posteriores sensoriae. c) Aliae denique fibrae organa centralia vel eius partes coniungunt, ut cerebrum et medullam spinalem, partem cerebri dexteram et sinistram (fibrae intercentrales sive associativae).

Neuritae in via, quam percurrunt, ramos collaterales in varias regi- 42
ones emittere solent, quibus cellae cum aliis diverse coniunguntur; sic operationes vitales inter se conectuntur. Fibrae et rami collaterales in fine vel in tenerrimas fibrillas desinunt, quae in minima elementa textorum ingrediuntur, id quod in fibris motoriis et nonnumquam etiam in sensoriis evenit; vel, id quod saepe in sensoriis accidit, in speciales apparatus cellulares desinunt, v. g. in „corpuscula tactus" digitorum, quae tactui, vel in „gemmas gustatorias" oris, quae gustui inserviunt.

Tum cellae tum fibrae magna ex parte ex subtilissimis fibrillis coalescunt, quae *neurofibrillae* vocantur. In has fibrillas fibrae in fine dissolvi solent.

Neurita, postquam e cella egressus est, plerumque sibi *involucrum medullare* circumdat (Markscheide, Myelinscheide, gaine de myéline), substantiam mollem albam, quae ei colorem album tribuit; in ulteriore decursu saepe etiam alterum involucrum induit, tenerrimam membranulam, quae *neurilemma* appellatur (Schwann'sche Scheide, membr. de Schwann). Versus finem neurita primum medullare, mox alterum quoque involucrum exuit, nudus apparet et paulatim desinit. Neurita nudus etiam axis cylindrata (Achsenzylinder) vocatur.

Organa centralia ex multis cellis (cum suis fibris) coalescunt; quae tamen non simpliciter iuxta positae iacent, sed in texto conectivo positae sunt, quod *neuroglia* nominatur.

43 Porro ex dictis sequitur, fibras non esse a cellis sive corporibus suis cellularibus divisas, sed cum iis unitatem constituere, quae *neuron* vocari solet. Quae res eo quoque confirmatur, quod fibra, si facta incisione a cella disiungitur, mox degenerat et paulatim evanescit, itaque ex cella aliquam nutritionem accipere videtur; sed etiam cella tunc incipit aegrotare. Certum etiam est, diversa neura *inter se conexionem* habere; unum excitationem acceptam in aliud transmittit, quod eam denuo alii communicat. Quae coniunctio non haec esse videtur, quod neura coalescunt, sed quod contiguitate et virtutis contactu iuguntur, quatenus neurofibrillae, in quas fibrae desinunt, ad aliud neurum accedunt eique excitationem suam transmittunt.



Fig. 4. Medulla spinalis (sectio transversa)[1]

a) ganglion — b) substantia grisea — c) radix nervi spinalis anterior (motoria) — d) posterior (sensoria) — e) substantia alba

44 Neuritae, qui eadem via currunt, in fasciculos collecti esse solent, qui *nervi* dicuntur; quorum singuli complura millia neuritarum continent et quidem vel motorios vel sensorios vel simul genus utrumque. Fibrae (maxime si involucrum medullare gestant) album, cellae autem ipsae colorem cineraceum vel griseum habent. Ubi igitur cellae praevalent, *substantia grisea* (graue Substanz, substance

[1]) Ex opere Hanstein, Bau und Leben des Menschen; ex quo complures aliae figurae afferendae desumpta sunt.

grise) ubi vero moles fibrarum praevalent, *substantia alba* adesse dicitur.

Cellae universae cum fibris unum totum constituunt, quod *systema* nervorum dicitur et in duas partes inaequales divitur: systema centrale et systema periphericum.

Systema centrale (cerebrospinale) cerebrum et medullam 45 spinalem cum nervis suis comprehendit. Propter maximum momentum, quod ei inest, extrinsecus validis ossibus, cranio (Schädel, crâne) et vertebris (Wirbel), circumdatur, intrinsecus autem duabus membranis involvitur, una exteriore duriore, cui nomen „dura mater", quae instar sacci totum systema involvit, altera interiore tenera, quae „pia mater" dicitur et plurima vasa sanguinea gestat et in massam nerveam nutritionis causa immittit.

I. **Medulla spinalis** (Rückenmark, moelle épinière) est 46 columna nervea formae fere cylindricae, 1 cm lata, quae internum canalem columnae vertebralis (Wirbelsäule) implet (fig. 5, 21). Si sectione transversa persecatur (fig. 4), conspicitur esse composita ex substantia grisea et alba et quidem ita, ut substantia grisea centralis formam habeat litterae H et circumdata sit substantia alba. Substantia grisea ex cellis constat et in quattuor extenditur cornua, duo anteriora et duo posteriora, quae *columnae griseae* appellantur. Substantia autem alba ex fibris componitur.

Fibrae medullae spinalis multiplicis sunt generis, Aliae e *cerebro* descendunt. Inter eas praesertim nominandi sunt fasciculi pyramidales (Pyramidenstränge, cordons pyram.), qui e cellis pyramidalibus in cerebro sitis (fig. 3) adveniunt et per totam medullam decurrunt, continuo emittentes ramos collaterales ad cellas motorias columnarum anteriorum, donec paulatim exstinguuntur. Hac via pyramidali impulsus ad motus voluntarios peragendos ex cerebro ad medullam spinalem deveniunt indeque ad musculos vadunt. Etiam ex gangliis *systematis peripherici*, quae in capite et in utroque latere spinae vertebralis sita sunt, fibrae in medullam intrant. Reliquae fibrae ex cellis *medullae* veniunt. Earum aliae diversas partes medullae conectunt, aliae impulsus motorios deferunt, aliae ad excitationes sensorias afferendas emittuntur.

Universim 31 paria nervorum ex medulla egrediuntur, motorii ex columnis griseis anterioribus, ex posterioribus sensorii (fig. 4).

II. **Cerebrum** sive encephalum in tres partes dividi potest, 47 unam superiorem et praecipuam, quae cerebrum magnum

comprehendit, alteram mediam, in qua praecipue thalamus comemorandus est, denique tertiam inferiorem, quae medullam oblongatam et cerebellum comprehendit.




Fig. 5. Cerebri sectio longitudinalis




Fig. 6. Cerebrum ab inferiore parte inspectum

1 Cerebri magni: a lobus anterior, b posterior, c lateralis — 2 corpus callosum (Balken) — 3 cerebellum — 8 a pons — 8 b medulla oblongata — 9 corpora quadrigemina (Vierhügel) — 10 glans pinealis (Zirbel) — 11 hypophysis cerebri (Hirnanhang) — 12 thalamus — 16 lingua — 18 epiglottis (Kehldeckel) — 19 a larynx (Kehlkopf) — 19 b trachea (Luftröhre) — 20 oesophagus (Speiseröhre) — 21 medulla spinalis — h pedunculi (Hirnschenkel) — n chiasma opticum (Sehnervenkreuzung) — o tractus olfactorii

1. *Cerebrum medium* complures partes comprehendit. Inter eas *thalamus* eminet, qui cum omnibus fere regionibus corticis cerebralis coniunctus est, in quem omnes fibrae sensoriae et motoriae ex toto organismo confluunt quique hac ratione praecipuum centrum subcorticale motuum reflexorum et automaticorum est.

2. *Medulla oblongata* (verlängertes Mark, moelle allongée), est continuatio amplificata medullae spinalis caput ingre-

dientis. Eius structura implicata est. In ea fibrae ex cerebro maiore descendentes, v. g. fibrae pyramidales, motibus spontaneis inservientes dislocantur, sinistrae in partem dexteram, dexterae vero in sinistram transeunt. Medulla oblongata multis motibus reflexis et automaticis vitae vegetativae excitandis et regendis inservit.

Cerebellum (Kleinhirn, cervelet) situm est in parte posteriore occipitis super vertebram ultimam, quae manu tangi potest. Constat e substantia alba cum grisea ita disposita ut, si dissectio fit, cerebellum formam praebeat folii plantae; quare haec figura „arbor vitae" nominata est.

3. *Cerebrum magnum* (Großhirn, cerveau) reliquam par- 48
tem cerebri complectens initium sumit supra cerebellum, a quo per fissuram dividitur, et extenditur internam capacitatem cranii implens usque ad radicem frontis, in parte posteriore cerebellum, in parte media medullam oblongatam sub se tegens. Eius superior et praecipua pars profunda fissura in duas partes symmetricas seu „hemisphaeria" inciditur, unum dexterum, alterum sinistrum, quae ex substantia grisea et alba constant. Substantia grisea in superficie sita est et *cortex cerebralis* (graue Hirnrinde, couche corticale grise) vocatur; constat praecipue ex cellis. Substantia alba intrinsecus iacet et est moles fibrarum pene infinitarum, quae in corticem ascendunt et intrant.

Cortex cerebralis est organum centrale supremum totius 49
systematis nervorum.[1]) Eius latitudo quidem magna non est; vix enim 2–4 mm excedit. Eo latius autem superficies eius extenditur (ca. 2200 cm^2). Haec spatiosa superficies propterea in angusto capite locum habere potest, quia non per planum expansa est, sed multas rugas sive plicas habet, quae sulcis seu fissuris cerebrum incidentibus efficiuntur. His sulcis cerebrum magnum primum in complures *lobos* dividitur (Lappen, lobes), in quibus ulterius varii *gyri* (Windungen, circonvolutions) distinguuntur, quorum singuli, in quantum omnibus hominibus sunt communes, specialibus nominibus designantur: distinguuntur lobus frontalis,

[1]) Dicitur circ. 14 milia millionum cellarum continere.

temporalis, parietalis, occipitalis (Stirn-, Schläfen-, Scheitel-, Hinterhauptslappen), quorum singuli ternos gyros efformant.

Horum loborum et gyrorum sine dubio finis est, ut in parva capitis capacitate quam maxima corticis superficies, per sulcos descendendo et ascendendo, locum habere possit itaque efficiatur, ut singulae cellae corticales vel complexus earum a fibris inferius sitis facile adiri possint; si enim cortex crassior eiusque extensio minor esset, cellae eius interiores difficile fibris attingi possent. Sic omnes systematis nervei regiones per fibras innumerabiles cum cortice coniunguntur et tota vita organica, vegetativa, motrix et sensitiva (et per hanc etiam rationalis) ordinate in cerebro conectitur. Ex his apparet, corticem cerebralem esse *stationem summam centralem.* Neque igitur mirum videri debet, quod aliqua, licet minime constans proportio exsistit inter numerum formamque ordinatam gyrorum cerebralium una et ingenium hominis altera ex parte.

Fibrarum cerebralium ubertas tam admirabilis mentemque perturbans est, ut imaginatio audacissima copiosiorem fingere non posset. Tres species fibrarum distinguuntur. Quaedam coniungunt cerebrum magnum cum aliis centris subcorticalibus et excitationes sensorias afferunt vel impulsus motorios deferunt (Projektionsfasern, fibres de projection); aliae conectunt partes correspondentes utriusque hemisphaerii (Kommissuralfasern); aliud denique et praecipuum genus diversas eiusdem hemisphaerii regiones conectit (Assoziationsfasern).

50 Ex cerebro egrediuntur 12 paria nervorum cerebralium (Hirnnerven, nerfs cérébraux). Qui ita dispositi sunt, ut symmetrice 12 nervi in parte dextera, 12 in sinistra parte sint. Ex his „nervus trigeminus" (fig. 7) et „n. facialis" ad faciem vadunt, facialis ut vultus faciei regat, trigeminus ut partim faciei sensibilitatem efficiat, partim autem musculis manducatoriis movendis inserviat. Motus oculorum subsunt „n. oculomotorio", „n. trochleari" et „n. abducenti". „N. glossopharyngeus" cum parte n. facialis gustum administrat, „n. hypoglossus linguam movet. „N. accessorius" ad mus-

culos colli vadit, „olfactorius" olfactui, „opticus" (fig. 7) visui, „acusticus" partim auditui inservit, partim vero aequilibrium corporis moderari videtur. „N. vagus" usque ad stomachum, cor, pulmones fibras mittit et systema sympaticum cum cerebro coniungit.



Fig. 7. Nervus trigeminus

I ramus sensorius: 1 vadens in frontem — 2 in superiorem palpebram — 3 in oculum — II ramus sensorius, vadens: 5 6 in genas — 7 in palpebram inferiorem — 8 in nares et labium superius — 9 10 ad dentes — III ramus: 12 13 movet musculos manducatorios, temporales, buccas, linguam — 4 n. lacrimalis — 14 ganglion — 15 16 17 nervi in maxillam infer. et ad dentes accedentes — 18 n. opticus

Nervi cerebrales conspiciuntur in fig. 6, e. g. n. olfactorius o, n. opticus h, trigeminus prope h; appendices autem prope 8 b prominentes sunt radices n. abducentis, facialis, acustici, glossopharyngei, vagi, accessorii, hypoglossi.

Systema periphericum multas parvas a systemate cerebrospinali divisas cellarum colonias sive ganglia cum fibris annexis comprehendit. Eiusmodi ganglia inveniuntur in oculis, auribus, naribus, lingua. Praecipue autem duae catenae gangliorum commemorandae sunt, quae ex utroque latere columnae vertebralis in collo, pectore et ventre usque ad infimam vertebram descendunt, in internis organis vegetativis pectoris et ventris iacent et maxime in ventre densos fibrarum plexus efficiunt. Haec pars praecipua systematis peripherici, quae etiam speciali nomine *systema sympathicum* appellatur, potissimum innervationem et directionem motuum organorum vegetativorum, cordis, pulmonum, intestinorum, procurat. Ganglia inter se et etiam cum medulla spinali fibris, cum cerebro autem potissimum per 51

n. vagum conexa sunt, ut igitur influxui systematis centralis non penitus subtrahantur.

§ 2. Physiologia systematis nervorum

52 **Quae sint functiones systematis nervorum.** Systema nervorum finem sibi praestitutum habet, ut vitae sensitivae cognoscitivae et appetitivae excitandae et eliciendae inserviat, ut musculos „innervet“ ad motus voluntarios et involuntarios producendos, denique ut varias functiones vegetativas excitet et moderetur, v. g. ut in glandulis (Drüsen, glandes) secretiones provocet, ut vasorum sanguineorum contractiones et dilatationes efficiat, ut in cellis processus nutritionis moderetur. Admirabilis autem fibrarum complicatio earumque in cerebro communicatio facit, ut functiones omnes in harmoniam unius vitae humanae conspirent.

Hac in re notatu dignus est ordo duorum apparatuum centralium. Impressiones sensoriae in organismum factae non immediate ad cerebrum mitti solent, sed plerumque prius ad centra subcorticalia sive cortici cerebrali subordinata, nempe medullam spinalem, cerebrum medium vel ganglia peripherica, et tunc demum in corticem mittuntur.




Fig. 8. Exemplum motus reflexi

Fig. 8 ostendit ordinem duplicis apparatus modo expositum in exemplo alicuius motus reflexi. Excitatio externa sensoria, e. g. punctio, in medullam spinalem mittitur, in qua usque ad thalamum ascendit ibique in cellam B traicitur et pervenit ad corticem cerebralem. Hic transilit in dendritam cellae pyramidalis C, eam excitat et tamquam impulsus motorius decurrit in medullam spinalem D, a qua ad fibras musculares periphericas fertur ad excitandum motum.

Non semper excitatio in peripheria corporis producta usque ad cerebrum transfertur. Fieri potest, ut excitatio in nervo sensorio medullae spinalis accepta in nervum motorium eiusdem medullae transeat et statim tamquam excitatio motoria ad musculum vadat eumque (sine sensatione et conscientia) moveat.

Idem ordo, sed modo inverso in impulsu motorio observatur, qui pariter, antequam ex cerebro ad organa periphericа pervenit, in centrum subcorticale transilire solet. Praeterea notandum est, excitationem ad organa corporis movenda non ex eadem, sed ex adversa parte cerebri venire; idem vicissim de excitationibus sensoriis dicendum est. Si igitur pars sinistra corporis apoplexia tacta est, concludendum est, laesionem in parte dextera cerebri factam esse.

Quibus nervis functiones alligatae sint. Actiones sensi- 53
tivae et motoriae a nervis pendent, a nervis et apparatibus nerveis organorum periphericorum, ut oculi, auris, deinde a magnis centris nerveis, maxime a cerebro, in quo omnes nervi conspirant, denique ex parte a medulla spinali. Et quidem ita pendent, ut, quod cerebrum attinet, non omnes partes cerebrales aequaliter omnibus, sed diversae diversis functionibus administrandis et producendis inserviant, ut igitur hae functiones speciali modo his partibus alligatae sint. Hoc sensu cum hodierna psychologia functiones in certis partibus systematis nervei *„localisatae“* esse dicuntur.

Physiologi diligenter in has regiones et centra localisationis investigant. Ad ea invenienda variae *methodi* adhibentur. a) Experimenta physiologica instituuntur: eventus observantur, qui accidunt, quando certi nervi excitantur, vel qui omittuntur, quando in vivisectionibus animalium fibrae nerveae dissecantur sive partes cerebri auferuntur. b) Inquisitiones anatomicae fiunt: ope microscopii partium nervearum structura, fibrarum viae ac conexiones investigantur, ex quibus saepe iudicium de earum functionibus acquiri potest; quod iudicium saepe etiam consideratione comparativa nervorum animalium iuvatur. c) Inquisitiones pathologicae saepe deprehendunt, facta aliqua nervorum laesione certas functiones, velut usum linguae, facultatem intellegendi audita vocabula cessare, e quo pariter conclusio ad localisationem fieri potest. Denique d) etiam studium comparativum systematis nervorum in linea ascendente

ex animalibus usque ad hominem continuatum aliquam lucem affert.

54 Quod *sententias et notitias* de ipsa localisatione attinet, antiquata est sententia phrenologorum (Gall † 1828), qui simpliciter caput in provincias dividebant, singulis singulas operationes psychicas, quamquam valde compositas, tribuentes, velut calliditati caput medium internum, amori filiali occiput, atque etiam sententia illorum, qui singulis ideis singulas cellas cerebrales ut sedes assignabant (Meinert). Sed pariter sententia opposita (Flourens 1822) relicta est, quae omnes partes cerebri aequali modo ad diversas functiones sensitivas et intellectuales concurrere asserebat. Veritas in medio sita est.

Imprimis tenendum est, proxime tantummodo functiones *elementares* certis circumscriptis partibus nerveis alligatas esse, v. g. motus digiti, perceptiones colorum, functiones autem *compositas,* ut associationes phantasmatum et motus compositos, ab omnibus illis regionibus simul sumptis pendere, quibus functiones suae elementares alligatae sunt. Porro etiam functiones elementares ita localisatae sunt, ut actus alicuius partis data occasione, si forte laesa fuerit, vicario munere ab aliis partibus suscipi possint, quae nimirum iam antea, etsi fortasse minus, istis functionibus producendis cooperabantur, praesertim functiones unius hemisphaerii ab altero. Itaque localisatio tantum relativa est. De singularum functionum localisatione multae utiles notitiae obtentae sunt. Sed generatim hac in re plurima obscura et dubia manent et semper manebunt.

55 1. *Motus* quod attinet, a) Motus *spontanei* membrorum, qui ex imperio voluntatis producuntur, praecipue in anteriore gyro cerebri parietalis (fig. 9) excitantur. Sed etiam aliae partes ad particulares motus speciali modo concurrunt; ita tertius gyrus lobi frontalis, ille praesertim, qui in hemisphaerio sinistro situs est (organum Brocanum), modo praecipuo innervandis organis vocis inservit ideoque centrum motorium locutionis vocatur. Cerebellum exsecutionem motuum spontaneorum a cerebro magno excitatorum modo

situi corporis convenienti regere videtur. — b) Motibus *reflexis* et *automaticis* potissimum centra subcorticalia inserviunt. Praecipuum centrum, quod motibus reflexis et automaticis excitandis apteque inter se coniungendis et moderandis atque etiam motibus spontaneis ordinate (una cum cerebello) regendis inservit, thalamus est, in quem omni ex parte corporis fibrae sensoriae et motoriae (vegetativae) coeunt. Etiam medulla oblongata et spinalis motibus reflexis et automaticis administrandis inserviunt.

Functiones *vegetativae,* velut motus automatici viscerum, functiones chemicae glandularum, praecipue per sympathicum et nervum vagum innervantur et reguntur. Sympathicus operationem suam cum aliqua independentia a systemate cerebrospinali exercet, tamen simul cum medulla spinali et oblongata et cum thalamo conexus est; thalamus supremum centrum vitae vegetativae esse dicitur.




Fig. 9. Localisatio in cortice cerebrali

1—19 Motus (v. Monakow): 1 truncus — 2 femur — 3 crus s. tibia — 4 pes — 5 digiti pedum — 6 humerus — 7 cubitum s. ulna — 8 carpus (Handwurzel) — 9 digiti — 10 pollex — 11 caput — 12 oculi — 13 lingua — 14 superiores — 15 inferiores musculi faciales — 16 os — 17 platysma — 18 larynx — 19 manducatio

2. Quod *perceptiones sensitivas* spectat, iis pariter certae 56 prae aliis partibus cerebri speciali modo inserviunt, e. g. una pars cerebri temporalis auditui, alia fortasse olfactui, partes superiores cerebri parietalis tactui, pars occipitalis visui (fig. 9). Ad *reproductiones* phantasiae et memoriae sensitivae, quarum elementa plerumque ex multis sensibus sumpta sunt, multae partes simul concurrunt et facilius etiam una alterius functiones suscipere potest.

3. Functiones *intellectuales,* utpote spirituales, non directe vel intrinsecus seu efficienter ab aliqua parte cerebri

pendent, sed indirecte tantum et extrinsecus, nempe ratione sensationum concomitantium; ideo tantum indirecte localisari dici possunt. Sensationes autem ipsae a nervis intrinsecus seu ut a causis efficientibus pendent. Cum functionibus intellectualibus autem plerumque multae et diversae elementares repraesentationes sensitivae concurrunt, ideo cerebrum plerumque totum vel magna eius pars his functionibus cooperatur.

Ceterum recentissimo tempore in localisatione discutienda sive in assignandis et circumscribendis centris motoriis et sensoriis cautio crescit et in dies clarius perspicitur, multo magis, quam separatam et disiunctam, cooperativam indolem functionum affirmandam et inquirendam esse[1]).

57 **De excitatione physiologica** nervorum. 1. Excitatio physiologica in nervis facta et per nervos decurrens vel intra systema nerveum fit, quatenus ab una cella sive fibra in aliam transfertur, vel extrinsecus per impressiones externas accipitur. Tales impressiones sunt vel mechanicae, ut pressio, torsio, undulationes aeris sonantis, vel thermicae, calor et frigus, vel chemicae, ut in organis olfactus et gustus, in retina oculi.

Fibrae singulae *seiunctim* excitationes suas transmittere solent, ut in fibras adiacentes non transiliant; quo pacto excitationum confusio impeditur. Controversia autem est, utrum fibrae ita „indifferentes" sint, ut tum excitationes motorias tum sensorias transmittant, necne. Certum esse videtur, saltem plerasque fibras inter centra et peripheriam

[1]) „In inquirenda localisatione centrali et subcorticali conceptio analytica magis magisque syntheticae cedere debebit, quae progressum in perspiciendis cooperationibus functionalibus reponit." („Die analytische Betrachtungsweise bei der Erforschung der zentralen und subkortikalen Vertretung psychischer Vorgänge wird, wie die Lokalisationsforschung überhaupt, immer mehr einer synthetischen Betrachtungsweise Platz machen, die den Weg zum Fortschritt in der Erfassung der funktionellen Zusammenhänge erblickt.") Kuttner-Lewy, in: Handwörterbuch d. medizin. Psychologie (1930) 213. „Omni eventui psychico processus materialis respondet, qui in simpliciore vel implicatiore forma per totum corticem se extendit." („Jedem psychischen Vorgang entspricht ein materielles Geschehen, das sich in einfacherer oder komplizierterer Gestaltung über die ganze Rinde hin erstreckt.") K. Goldstein, Handbuch d. normalen u. path. Physiol. X (1927) 659.

communicantes sic indifferentes esse. — Excitationes cum celeritate 30–120 m in secunda currunt, in substantia grisea paulo lentius quam in fibris; si maior est temperatura nervorum, celeritas augetur.

2. Perspicuum est, *intensitatem* excitationis in nervo pendere 58
a vehementia et qualitate impressionis acceptae et a qualitate nervi ipsius. In hac re tria notatu digna sunt.

a) Speciali vi impressiones subitaneae vel intermissae, velut flamma tremula sive flumen electricum intermittens, nervos afficiunt.

b) Si impressiones leves inter se succedunt, nervi excitatio crescit usque ad quendam gradum maximum. Sin autem fortiores diutius in nervos agunt, contrarium accidit: excitatio decrescit, nervus „fatigatur". Quando nervus laborat et fatigatur, certae quaedam materiae in substantia nervea consumuntur, in cella oriuntur cava et nucleus minuitur; cum autem nervus quiescit, materiae consumptae reparantur.

c) Praeterea excitationis intensitas etiam a variis nervorum qualitatibus nondum satis notis, a varia eorum „excitabilitate", pendet. Nervi male nutriti et infirmi non minorem, sed maiorem habent excitabilitatem quam sani; hinc irritabilitas illa hominum ex nervorum infirmitate laborantium originem ducit.

3. In quo *consistat* excitatio physiologica per nervos 59
decurrens, non satis notum est. Antea eam in fluxu electrico sitam esse existimabant. Certe eventus electrici activitatem nervorum comitantur; in nervo quidem quiescente nulla vis electrica apparet, in activo autem apparet et quidem negativa. Attamen cum excitatio multo minore celeritate moveatur quam vis electrica, in flumine electrico formaliter consistere non videtur. Nunc multi putant, eam potissimum in *processu chemico* sitam esse; qualis iste sit, disputatur. In hoc processu chemico energia consumitur, usque ad nervorum „fatigationem"; quae energia consumpta per nutritionem ope sanguinis affluentis compen-

sanda est. Haec nervorum restauratio continuo quidem fit, sufficienti tamen modo solum tempore somni efficitur, quo nervi plenius quiescunt.

Licet certum sit, in nervis continuos fieri processus chemicos, tamen, quae sit eorum *compositio chemica,* non satis constat, neque etiam quomodo nutriantur. Oxygenium valde necessarium esse, ut nervorum excitabilitas conservetur, certum est. Sicut aliis partibus, ita etiam nervis nutrimentum sanguine affertur.

*Art. 3. Vitae vegetativae adumbratio

*60 Functiones vegetativae, quae in homine fiunt, simpliciore modo iam in plantis inveniuntur. In cosmologia etiam ostenditur, has functiones esse actiones vere vitales et praeter corpus principium vitale a materia essentialiter diversum sive animam postulare. Idem igitur etiam de vita vegetativa hominis dicendum est et quidem eo magis, quo perfectiores eius functiones et organa vegetativa sunt.

Itaque etiam in homine tres potissimum functiones vegetativae distinguuntur: *nutritio, augmentatio, generatio* (Ernährung, Wachstum, Fortpflanzung; nutrition, croissance, génération). Nutritione alienae substantiae in propriam convertuntur, augmentatione per cellarum divisionem individuum sensim in utero matris efformatur et dein in formam adultam crescit, generatione nova substantia eiusdem speciei gignitur. Hoc loco potissimum praecipuam functionem, nutritionem, eiusque partes et organa paucis exponemus.

*§ 1. De nutritione

*61 Cum corpus humanum in operationibus vitalibus perpetuo vires et partes propriae substantiae usu consumat et praeterea in iuventute crescat, opus est, ut corpori continuo nova materia et vis conferantur. Id nutritione fit. Quae duplicem functionem comprehendit.

Prima et praecipua functio est *assimilatio,* qua cellae materias alimentarias in propriam substantiam convertunt vitaque donant.

Altera *dissimilatio* est, qua modo inverso partes propriae substantiae iterum in simpliciores compositiones chemicas dissolvuntur et (saltem partim) foras dimittuntur, ut hac ratione, orto calore, nova energia actualis ad labores vitales necessaria acquiratur; nullus enim labor, velut motio musculorum, perficitur, nisi aliqua energia consumatur. Pleraeque eiusmodi dissimilationes oxydationes sive combustiones sunt, quibus aliqua substantia corporis, velut saccharum, per coniunctionem cum oxygenio ex aere inhalato comburitur i. e. ita dissolvitur, ut CO_2 (dioxydium carbonicum, vulgo „acidum carbonicum", Kohlensäure), substantia incombustibilis, aliaeque substantiae simpliciores, velut aqua, oriantur. In omni autem combustione calor producitur; quo

tunc cella ad functiones vitales utitur. Ut corpus bene valeat, requiritur, ut quantitas assimilata aequivaleat quantitati dissimilatae et emissae.

Qua ratione processus subtiles assimilationis et dissimilationis peragantur, valde obscurum est. Clariores illae functiones sunt, quibus uterque processus in homine praeparatur et completur: digestio, respiratio, sanguinis circulatio.

I. **Digestio.** Finis digestionis (Verdauung, digestion) est, ut corpori materiae nutritivae solidae et liquidae sive ex mundo animali et vegetali (carnes, ova, lac, herbae, fructus, semina) sive ex mundo anorganico (aqua, sal) afferantur et ita praeparentur, ut in substantiam humanam converti possint. 62

Cibi in os immissi dentibus, qui in homine adulto 32 numerantur, conteruntur et saliva, quae ex oris glandulis (Drüsen, glandes) large profluit et praeter aquam aliquas speciales substantias chemicas continet, humectantur, ut facilis evadat transitus in stomachum. Tunc deglutiuntur et in stomachum descendunt. *Stomachus* (fig. 10, 5), cibis advenientibus excitatus, motibus peristalticis seu vermicularibus eos conterit et commiscet, dum simul large sucum gastricum ex glandulis secernit, qui cibos ex parte dissolvit, chemice mutat et noxiis bacteriis destruendis putrefactionem impedit. Emissio suci gastrici actione nervorum regitur neque parum affectuum influxui subiacet. Cibus digestione stomachali praeparatus chymus appellatur.




Fig. 10. Viscera

1 pulmones — 2 cor — 3 hepar — 4 vesica biliaris (Gallenblase) — 5 stomachus — 6 diaphragma (Zwerchfell) — 7 intestinum tenue — 8 intest. crassum

Chymus in *intestina* vadit, in quibus digestio in stomacho incepta perfectius peragitur atque absolvitur. Intestinum primum et praecipuum est „intestinum tenue" (Dünndarm, intestin grêle, 7), 7–8 m longum, per quod nutrimentum, intestino continuo se movente, lente

pertransit. Interim ex multis glandulis acres suci in cibos mittuntur, qui hac ratione ulterius chemice immutantur, dissolvuntur, a putrefactione praeservantur atque ad ingressum in sanguinem apti redduntur. Praecipui suci adveniunt ex „pancreate" (Bauchspeicheldrüse, pancréas) et ex hepate (bilis). Nutrimentum ita praeparatum chylus vocatur. Intestinum tenue excipitur per „intestinum crassum" (Dickdarm, gros int. 8), quod brevius quidem (1·75 m), attamen multo latius est. Initium eius „intestinum caecum" (Blinddarm) appellatur; quod appendicem habet, „processum vermiformen" (Wurmfortsatz) circ. 8 cm longum, qui facile periculosas inflammationes patitur. Intestinum crassum ita in ventre situm est, ut primum ascendat, dein descendat, denique in „intestinum rectum" (Mastdarm) desinat, quod reliquias alimenti indigestas eicit.

*63 Partim iam in stomacho, maxime vero in intestino tenui, per quod alimentum horas complures serpit, partes ciborum digestae atque ad ingressum in sanguinem aptae *resorbentur* (Aufsaugung, absorption), nimirum per villos intestinales (Darmzotten, villosités intestinales), qui instar capillorum ex parietibus intestini eminent. Tales villi plurimi sunt; in volumine 1 cm^2 parietis intestini circ. 2500 inveniuntur. Intus autem canales vacuos omnesque reliquas condiciones ad resorptionem requisitas habent. Hi villi intestinales igitur magis magisque chylum imbibunt. Chylus ulterius per „vasa chylifera" sive „lymphatica" (Chylus-, Lymphgefäße) ad venus colli transvehitur ibique in sanguinem funditur.

Ex his perspicitur, non id, quod in stomachum mittitur, sed tantum alimenta corpori vere convenientia, quae stomacho et intestinis apte digeruntur et in sanguinem veniunt, organismo prodesse.

*64 II. **Respiratio** (Atmung, respiration) est functio nutritiva, qua una ex parte oxygenium ad perpetuas internas oxydationes necessarium ex aere inspiratur, altera ex parte CO_2 cum aeris parte abundante e pulmonibus exspiratur. Dilatatis pectore et pulmonibus primum efficitur, ut aer in nares ingrediatur et fere usque ad 30° C calefiat; etiam pulvisculi in naribus retinentur. Inde aer in *tracheam* descendit (Luftröhre, trachée-artère, fig. 11, a), cuius initium, larynx (Kehlkopf, d), simul organum vocis est. Trachea in duos ramos dividitur, qui bronchi vocantur et quorum alter ad dexterum, alter ad sinistrum pulmonem vadit. Pulmones (fig. 11, 1) ex texto molli spongiae simili constant; pars eorum dextera et paulo maior per fissuras in tres, pars sinistra et minor in duos lobos pulmonares (Lungenlappen) dividitur. In pulmonibus bronchi in minimos usque ramulos ca. 0·1 mm latos dividuntur, in quorum finibus alveoli pulmonares (Lungenbläschen) appositi sunt, in summa 1600–1800 milliones; in horum subtilissimis membranis vasa sanguinea apparent. In istos igitur alveolos aer inspiratus ingreditur, eius O a sanguine ex corde adveniente attrahitur et vicissim CO_2 (et vapor aqueus) ex sanguine dimittitur et cum aere exspirato e pulmonibus eicitur. Sanguis, qui ex corde subniger in pulmones venerat, per hanc coniunctionem cum O iterum ruber redditur. Deinde sanguis per corpus currens O receptum ad varia corporis texta perfert, ex iis

CO_2 ex dissimilatione proveniens secum sumit atque ad pulmones transfert, ubi iterum exspiratur.

Per communes leniores respirationes non omnis aer vetus e pulmonibus exit, sed magna pars in alveolis remanet. Ideo utile est nonnumquam profundius respirare, praesertim ubi bonus est aer. Aer inspiratus praeter N 21°/₀O et 0·04°/₀ CO_2 continet, exspiratus vero 16°/₀O et 4°/₀ CO_2 (praeter vaporem aqueum et minimas copias aliorum gasorum), ut igitur $^1/_5$ O inspirati in pulmonibus retineatur eademque copia CO_2 emittatur. In locis igitur, ubi multi homines degunt vel lampades ardent quae etiam O consumunt et CO_2 producunt, aer saepe renovandus est.




Fig. 11. Trachea cum pulmonibus a trachea — b bronchi — c eorum ramuli — d larynx — e os hyoides (Zungenbein) — f epiglottis (Kehldeckel)

Centrum nerveum, praecipuum saltem, motus respiratorios determinans et moderans medulla oblongata esse videtur. Ipsa autem ad ordinariam respirationem determinandam qualitate sanguinis excitatur et quidem maxime acido carbonico in sanguine contento; quidquid eius quantitatem auget, etiam respirationem auget. Praeter sanguinem etiam aliae causae per medullam oblongatam respirationem afficiunt, nempe affectus, ira, gaudium, tristitia, et excitationes ex variis nervis advenientes. Plurimi enim nervi corporis, si certis modis excitantur, statim etiam respirationem afficiunt, e. g. nervus olfactorius, acusticus, laryngeus, trigeminus, vagus, nervi cordis; praesertim fibrae nervi vagi in pulmonibus sitae in respirationem vim quandam regulatoriam exercent Etiam motus musculorum et calor frequentiam respirationis augent. 65*




Fig. 12. Globuli sanguinei a albi — b rubri

III. **Circulatio sanguinis.** Substantia alimentaria in digestione ex intestinis resorpta et O per pulmones inspiratum in omnes corporis partes transferenda sunt. Simul opus est, ut ex corpore producta ex dissimilatione oriunda auferantur, praesertim ut CO_2, quod ex dissimilatione ubique in organismo oritur et nocivum est, ad pulmones transmittatur et exspiretur. Quae omnia per sanguinis circulationem perficiuntur. 66*

Sanguis componitur ex parte liquida sufflava, in qua substantiae nutri-

tivae solutae sunt quaeque plasma dicitur (fig. 12), et ex globulis sanguineis solidis, qui in plasmate natant. *Globuli* duplicis generis sunt. Alii sunt rubri (rote Blutkörperchen, globules rouges) 7 μ magni, numero longe plurimi; in 1 mm^3 sanguinis 5.000.000, proinde in toto sanguinis quantitate circ. 25 billiones insunt. Globuli rubri propter haemoglobinum, quod continent, facillime cum O se coniungunt et etiam O cum aliis corporis partibus facile communicant; aptissimi igitur translatores O^i sunt. Si eorum numerus multum minuitur, morbus, quia anaemia vocatur, oritur. Alii sunt globuli albi sive „leucocyti" numero multo pauciores, qui bacteria noxia destruere videntur.

Circulatio sanguinis *corde* efficitur. Cor est organum musculare formae prope conicae et magnitudinis fere pugillaris. In duas partes, dexteram et sinistram, divisum est, inter quas nulla communicatio intercedit. Singulae partes denuo divisae sunt in spatium maius, quod ventriculus (Herzkammer, ventricule), et minus, quod atrium vocatur (Vorkammer, oreillette); quae spatia inter se communicationem habent. Ex corde exeunt arteriae et venae. Per *arterias* sanguis in varias corporis partes et in pulmones propulsatur, per *venas* vero ex corpore et ex pulmonibus ad cor revertitur. Arteriae et venae etiam vasa sanguinea vocantur (Blutgefäße, vaisseaux sanguins.)




Fig. 13. Sanguinis circulatio

Ad fig. 13. explicandam:

1—12 *Arteriae:* 1 2 colli et capitis — 3 arteriae subclaviae (Schlüsselbeinarterien) — 5 art. pulmonum — 8 hepatis — 9 splenis — 11 mesenterii (Gekröse) — 12 renum — 4 6 7 10 aorta.

13—24 *Venae:* 13 18 vena cava superior, inferior — 14 venae capitis — 15 subclaviae — 16 v. colli — 17 pulmonum — 19 hepatis — 20 ventris — 21 splenis — 22 mesenterii — 23 „vena portae" — 24 v. renum — 25 atrium dexterum — 26 sinistrum — 27 ventriculus dexter — 28 sinister — 29 ductus thoracius lymphaticus — 30 stomachus — 31 splen — 32 hepar — 33 unus renum (altero omisso) — 34 pars int. tenuis — 35 36 int. crassi — 37 vasa lympathica.

Itaque quando cor contrahitur, sanguis, qui purificatus expulmonibus adveniens per atrium in ventriculum sinistrum ingressus erat, ex eo egreditur et in „arteriam aortam" intrat (fig. 13, 4 6 7 10) quae initio paulisper ascendit, mox vero per gyrum descendit et ubique minores arterias in omnes corporis partes usque ad extremos digitos et pedes emittit. Hae arteriae minores et minimae, quae etiam „vasa capillaria" appellantur, in omnes corporis particulas, instar retis se diffundentes, intrant iisque sanguinem communicant; sanguis communicatus autem his particulis O suum donat et substantias inutiles et praesertim CO_2 ex iis attrahit. His substantiis onustus iterum in venas colligitur et in cor remittitur. Sanguis ex toto corpore rediens per venam cavam superiorem et inferiorem (fig. 13, 13 18) in dexterum atrium et ventricum influit. Ex eo subsequente contractione in pulmones propellitur et quidem per arteriam pulmonariam, quae mox in duas partes dividitur et ad pulmones vadit (5). In pulmonibus sanguis CO_2 a se dimittit et O ex alveolis attrahit. Ex pulmonibus iterum per venas pulmonares (17) in sinistrum atrium et ventriculum influit, deinde denuo in corpus ad novam circulationem faciendam effluit. 67*

Frequentia pulsus cordis primo vitae anno maxima est, circiter 134 pulsationes in sec. numerantur. Postea paulatim decrescit, ca. annum 20. minima evadit (circ. 70 pulsationes) et talis perdurat usque ad ineuntem senectutem, in qua iterum paulum augetur. Totam circulationem duplicem, maiorem in corpus et minorem in pulmones, sanguis peragit tempore circ. 22 sec.; in aorta singulis sec. 0·5 m percurrit. Labor, quem cor hac ratione sanguinem propulsans per integrum diem praestat, aequivalet 18000 kilogrammometris i. e. labori requisito ad 18000 kilogramma in altitudinem unius metri elevanda. Unaquaeque autem pars corporis tantam sanguinis copiam accipit, quanta indiget; si labor in aliquo membro crescit, mira teleologia etiam vasa eius sanguinea dilatantur, ut plus sanguinis affluat, dum eodem tempore in aliis partibus vasa contrahuntur et sanguis minuitur.

In circulationem sanguinis modificandam et regulandam quidam *nervi* continuo vim exercent, quatenus vel cor sanguinem propulsans vel vasa sanguinea sanguinem transmittentia afficiunt. 68*

In *cor* n. vagus e cerebro veniens, si excitatur, vim retardantem exercet, n. accelerantes autem per sympathicum decurrentes pulsum cordis accelerant. Diversae igitur causae hos nervos afficientes vim retardantem vel accelerantem habent: accumulatio CO_2 vel defectus O in organismo retardant pulsationem, affectus pulsationem vel excitatam (ira) vel languidam (tristitia) efficiunt, calor autem, comestio, labor musculorum frequentiam pulsationis augent.

Vasa sanguinea sive arteriae et venae aliis nervis afficiuntur, qui musculos vasomotorios ad vasa vel constringenda vel dilatanda determinant itaque faciunt, ut vel minor vel maior sanguinis copia per vasa fluat. Etiam isti nervi iterum aliis causis varie excitantur: pudor vasa dilatat (rubor), timor constringit (pallor), accumulatio CO_2 et defectus O vasa constringunt.

*69 Centrum principale, quod activitatem nervorum cor et vasa afficientium determinat ac regit, *medulla oblongata* est; quae tamen, ut dictum, continuo omni ex parte per affectus aliosque varios influxus excitationes accipit.

Praeter ea, quae usque adhuc exposita sunt, aliqua alia organa et actiones ad nutritionem concurrentia commemoranda sunt.

Cum sanguinis circulatione coniungitur circulatio *lymphae* per vasa lymphatica (fig. 13, 37). Vasa lymphatica sunt parvi canales, qui sanguinem impurum seu substantiis inutilibus onustum in singulis corporis elementis resorbent et in venas refundunt. Discurrunt per totum corpus; in ventre assumunt vasa chylifera (cf. n. 63) et prope collum intrant in venam subclaviam dexteram et sinistram (Schlüsselbeinvenen).

Splen (Milz, rate, fig. 13, 31) globulos sanguineos albos gignit. Alia eius munera non satis nota sunt.

Hepar (Leber, foie, ib. 32) in digestione magnum momentum habet. Imprimis bilem producit et in intestinum tenue mittit. Praeterea magna „vena portae" (Pfortader, veine porte, ib. 23) in hepar ingreditur et sanguinem ex intestinis affluentem inducit, quem hepar a substantiis noxiis purificat simul ex eo quaedam alimenta assumens et reservans. Itaque ille sanguis, qui ex corde veniens stomachum et intestina percurrit, non statim ad cor redit, sed antea in vasa capillaria hepatis diffunditur.

Renes ex sanguine aquam superfluam, uream (Harnstoff) et sales eliminant, quae tamquam urina secernuntur.

Etiam per cutem, sudore maxime, substantiae superfluae et noxiae, velut urea, ex corpore eliminantur.

*§ 2. De augmentatione et generatione

*70 *Augmentatio* illas functiones vegetativas complectitur, quibus individuum in utero materno formatur et deinde in adultam formam crescit, et fit potissimum per cellarum multiplicationem, qua ex divisione veterum cellarum novae oriuntur. Cellarum divisio plerumque ita efficitur, ut directe nucleus cellae veteris et quidem maxime eius praecipua pars, chromosomata, in duas partes dividantur, qua divisione facta tota cella in duas novas cellas scinditur.

Generatio consistit in procreatione novi individui et eo peragitur, quod duae cellae „germinales" diversae indolis, una „seminalis", altera „ovalis", coniunguntur et in unam novam coalescunt, quae novi individui initium est. Haec cella brevi post multiplici divisione in complexum cellarum et paulatim in novum individuum excrescit[1]).

A parentibus in prolem qualitates corporales et psychicae hereditate transmittuntur. Cuius hereditariae transmissionis sedes sunt nuclei cellarum germinalium et quidem imprimis eorum chromosomata.

---

[1]) Cf. de his *Cosmol.*, De vita plantarum.

Caput II

De sensibus

Art. 1. Praenotiones

Classificatio functionum psychicarum. Iam ad explicandas 71
diversas vitae psychicae functiones accedentes primum videre debemus, qualia suprema earum genera nobis interna experientia distinguenda exhibeat. Adhibemus considerationem pure „phaenomenologicam", quae nunc dici solet, i. e. functiones sive phaenomena interna ita spectamus, sicut in immediata perceptione se sistunt, seposita omni praeconcepta theoria sive interpretatione.

Sine dubio functiones psychicae actus *vitales* sunt. Actio vitalis autem est actio immanens seu talis, quae ab agente procedit et cum termino suo in agente manet. Quando homo brachium movet, vitaliter agit, quia actio (movere) ab eo procedit et cum effectu producto (motu) in eo manet. Simili ratione si quis actum cognitionis, attentionis, amoris elicit, actio ab agente procedit et pariter effectus, nempe cognitio, attentio, amor, in agente manet. In actione igitur vitali agens „se movet", motu late sumpto, atque se ipsum perficit. Vita in actu primo est substantiale principium vel facultas immanenter agendi, vita vero in actu secundo ipsa actio immanens modo descripta.

1. Communis omnium sententia et perpetuum propriae 72
conscientiae testimonium indicant, imprimis duplex vitae genus in homine distinguendum esse, unum secundum se inconscium, quod functiones nutritionis, augmentationis, generationis complectitur tantumque conservationem vitae corporeae individui et speciei intendit et *vegetativum* dicitur, alterum conscium, quod intentionaliter in obiecta refertur et *psychicum* vocatur. Manifestum enim est, plane diversas inter se esse functiones vegetativas digestionis sive respirationis et actus psychicos videndi sive irascendi.

2. Functionibus psychicis commune est, ut intentionaliter 73
ad obiecta referantur, videlicet illo modo omnibus notissimo,

quem repraesentare, cogitare, appetere, dolorem sentire vocamus, et ut nobis consciae sint seu tamquam nostrae percipiantur. Sunt autem diversi generis. In philosophia aristotelico-scholastica, quae hac in re cum sententia vulgari congruit, haec duo principalia genera distinguuntur: *cognitiones,* velut videre, repraesentare, cogitare, et *appetitiones* seu inclinationes, velut amor, complacentia, velle. Cognitio obiecta in se recipit et quasi reproducit, appetitio autem est inclinatio in obiectum. „Cognitio", inquit s. Thomas, „est secundum quod cognitum est in cognoscente; appetitus autem est, secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam."[1]) „Ideo operatio apprehensivae virtutis assimilatur quieti operatio autem virtutis appetitivae magis assimilatur motui."[2]) Haec divisio usque ad recentissimum tempus, quo diversae aliae divisiones tentatae sunt, constanter retenta est. Et merito quidem, tum propterea, quia congruit cum communi hominum opinione et usu, ex quo etiam primitus in philosophiam recepta est, tum ideo, quia una ex parte membra divisionis inter se multum differunt, altera autem ex parte omnes actus psychici, qui inveniri possunt, iis apte subsumi possunt, ut suis locis patebit.[3])

3. Porro eadem conscientia teste in functionibus cognoscivitis denuo observamus, magnum discrimen intercedere inter eas, quas *sensitivas* appellamus, ut videre, tangere, quae in organis corporalibus inesse tantumque obiecta corporalia et concreta attingere experimur, et cognitiones *intellectuales,* ut conceptus abstractos, iudicia, ratiocinia, quae obiecta modo sublimiore et quidem non solum corporalia, sed supersensibilia quoque repraesentant et etiam in se entitative spectatae conscientiae nostrae sublimiores apparent. Simili ratione duplicem appetitum distinguimus, sensitivum et rationalem.

[1]) 1 q. 16 a. 1. — [2]) 1 q. 81 a. 1. — [3]) Haec distinctio duplicis tantum supremi generis psychici egregie confirmatur mysterio SS. Trinitatis. Etenim solum duae personae divinae procedunt et quidem ut termini actionum immanentium. Verbum terminus intellectionis, Spiritus S. terminus amoris. Ex quo colligitur, etiam in Deo duplex tantum genus supremum activitatis psychicae distinguendum esse, proinde similiter in homine, qui ad imaginem Dei factus est.

Itaque vita psychica in rationalem et sensitivam dividitur et utraque tum cognoscendi tum appetendi functiones comprehendit.

Postquam *recenti tempore* antiqua divisio functionum psychicarum a 74
multis relicta est, magna hac in re orta est opinionum varietas et fere confusio. Psychologia associationis anglica initio omnes functiones ex perceptionibus sensitivis (sensations) earumque reproductionibus derivare conata est, cuius reliquae solum variae modificationes et compositiones sint. Secundum alios elementares functiones sunt perceptio et emotio (Wundt, Spencer), secundum alios perceptio, repraesentatio et emotio (Titchener: perception, image, affection); alii distinguunt phaenomena, actus, relationes et effectus functionum psychicarum (Stumpf), alii repraesentationes, iudicia, motus appetitivos (Vorstellung, Urteil, Gemütsbewegung; Brentano), alii alias divisiones statuunt. Admodum frequens est divisio trimembris in cognitionem, sentimentum (Gefühl), volitionem (connaissance [représentation], sensibilité [affectivité], volonté [activité]), quae, postquam Rousseau aliique affectui peculiare momentum tribuerunt, per Tetens et Kant inducta est.

Anima triplicis vitae humanae, vegetativae, sensitivae et 75
rationalis, ultimum principium est. Licet eius exsistentia et natura postea demum accurate demonstranda sint, tamen hoc loco iam eius et pariter potentiarum eius notiones paucis exponere iuvat, quia per decursum tractationis saepe commemorantur.

Anima generatim sumpta cum Aristotele secundum communem hominum sensum *primum vitae principium in viventibus corporeis* intellegitur.[1]) Dicitur principium vitae in viventibus *corporeis* i. e. in homine, bruto, planta; etenim anima essentialem respectum ad corpus includit, quod vivificat. Principium autem *primum* sive substantiale dicitur vel remotum, ut distinguatur a potentiis vitalibus, quales sunt intellectus vel voluntas; potentiae sunt vires animae, quibus ad modum instrumentorum in actionibus eliciendis utitur.

Animam esse in nobis, suis locis ex actionibus vitalibus, quas habemus, demonstrabitur. Si plantae propter vitam vegetativam, qua praeditae sunt, animam (vegetativam) a materia essentialiter diversam habent, id quod in cosmologia ostenditur, sine dubio etiam homo iam ob vitam suam

[1]) „Τοῦτο, ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα καὶ διανοούμεθα πρώτως." De anima II 1 (414 a 12).

vegetativam, quae plantarum vita perfectior est, animam habet. A fortiori vita eius sensitiva et rationalis animam postulant.

76 *Anima humana* igitur triplicis vitae principium primum est. Sed non eodem modo. Praeter animam etiam corpus habemus. Corpus autem et anima non duo entia separata sunt tantum copulatione accidentali coniuncta, velut eo fortasse, quod anima in corpore tamquam in habitaculo resideat; sed anima et corpus *coalescunt* ad unam substantiam et naturam humanam atque ex utraque parte homo unus indivisus oritur, quatenus anima ut forma substantialis seu pars determinans corpori se suasque facultates vitales, aliquas saltem, communicat.

Itaque anima ex natura sua ad unionem cum corpore ordinatur. Nihilominus *spiritualis* est: licet uniatur corpori, non tamen in exsistendo et operando ab hac unione pendet, sed independenter a corpore exsistere et aliquam saltem operationem, rationalem videlicet, exercere potest.

Proinde magnum est inter varia genera vitae discrimen. Vitam vegetativam et sensitivam anima simul cum corpore ut conprincipio elicit, ut haec vita a corpore et anima tamquam ab uno principio composito oriatur. Vitae vero rationalis anima sola principium est, sine corpore ut conprincipio.

77 **Potentiae animae** sunt facultates sive vires, quibus actiones vitales elicit, veluti potentiae videndi, audiendi, intellectus. Modo dictum est, animam vitam vegetativam et sensitivam simul cum corpore, rationalem vero per se solam exercere. Proinde etiam potentiae vegetativae et sensitivae non in sola anima, sed in corpore et anima i. e. in organis corporalibus anima informatis insunt, e. g. potentiae sentiendi in apparatibus nerveis anima informatis. Propterea potentiae *organicae* dicuntur. Potentiae vero vitae rationalis, intellectus et voluntas, in sola anima spirituali sunt ideoque *spirituales* appellantur. Nihilominus etiam potentiae organicae principalius ad animam pertinent, quippe quae corpori tribuit, ut vitam et potentias vitales habeat.

1) *Admittendas esse potentias vitales* seu vires animae, sine demonstratione clarum est. Recentes quidem hanc „scholasticam doctrinam potentiarum" saepissime reiciunt, quod non percipiantur neque quidquam ad eventus explicandos conferant.[1]) Attamen cum sine dubio diversas actiones vitales eliciamus, manifestum est, nos sive animam nostram etiam ‚posse ad agendum', diversum pro diversis actionibus, habere; hoc multiplex autem posse potentias vocamus, „cum potentia animae nihil aliud sit quam proximum principium operationis animae"[2]). Ad duplicem autem adversariorum obiectionem haec respondenda sunt. Potentiae non quidem immediata experientia percipiuntur, attamen ex actuum exsistentia colliguntur. Et verum est, eo, quod actus alicui potentiae tribuitur, non novam naturae actus explicationem dari; at eius effectio declaratur et principio causalitatis satisfit. Realitas potentiarum tam evidens est, ut adversarii eas semper aliis nominibus iterum inducant.

Quaestio solum fieri possit de numero et divisione potentiarum animae, sintne tot admittendae, quot statui solent, an vero ad pauciores vel immo unicam reduci possint. Ad quam rem referuntur, quae supra de generali classificatione functionum exposita sunt et quae postea de distinctione sensuum, de memoria, intellectu, ratione et de aliis distinctionibus dicentur.[3])

2) Aeque perspicuum est, potentias ab anima saltem 78
ratione distinctas esse. Potentias enim tamquam principia proxima seu instrumenta concipimus, quibus anima ad varia genera actionum producenda utatur.

Antiqua quaestio controversa est, utrum etiam *realiter* ab anima distinctae sive accidentia animae sint. Realem distinctionem docent Thomas et thomistae generatim, Suarez, Toletus, Lugo, alii; eam negant praeter antiquiores scotistae, nominalistae, Hurtado, de Benedictis, alii. Realis distinctio nullis certis argumentis demonstrari potest; ipse

[1]) Confer e. g. haec: „Cette interprétation, autrefois presque classique, est aujourd'hui unanimement repoussée par les psychologues . . Ni la substance âme dont ces facultés ne seraient que les différents pouvoirs, ni ces facultés elles-mêmes ne sont des réalités observables." *A. Cuvillier,* Manuel de philos. I^2 (1933) 110. — [2]) 1 q. 78 a. 4. — [3]) De generali principio „potentiae specificantur per obiecta" cf. Ontologiam, De potentiis.

Suarez aliique eius defensores solum probabilem eam habent. Neque realis distinctio ex eo sequitur, quod potentiae inter se influunt; si intellectus pulchritudinem contemplans voluntatem ad complacentiam inducit, non physice in eam agit, sed unus actus in anima est ratio, cur alius sequatur.

Attamen etsi distinctio realis statuatur, tamen dicendum est, animam non sic per potentias agere, ut tantum potentias sustentet et ipsae solae agant, sed animam simul *cum potentiis agere* actione una, quae simul ab anima et potentia procedit, ab illa quidem principalius, attamen minus determinate, a potentia vero magis determinate, attamen tamquam ab instrumento. Hunc animae influxum iam conscientia testari videtur (‚ego cogito').

3) Haec *genera potentiarum* vitalium in homine cum Aristotele et s. Thoma distingui possunt: potentiae vegetativae, sensus, intellectus, appetitus sensitivus et rationalis, quibus potentia motrix addi potest.

Ex ordine igitur primum de potentiis et functionibus cognoscitivis et quidem antea de sensibus, postmodum de intellectu, deinde de aliis potentiis et functionibus agendum est.

79 **Diversae doctrinae de functionibus psychicis.** Expositiones de actibus psychicis melius intellegentur, si diversas sententias generales de eorum natura, quae identidem commemorandae erunt, nunc iam oculis subicimus. Sunt potissimum hae:

1. *Dualismus psychologicus*, qui corpus et animam, facta physica et psychica realitates essentialiter diversas et irreductibiles esse affirmat. Eum imprimis philosophia scholastica docet. Sed ipsa animam substantialem tenet, plerique vero hodierni actualismo (phaenomenismo) adhaerentes animam solum complexum actuum esse affirmant. Praeterea illa corpus et animam ad unam naturam uniri asserit, recentes vero plerumque, utriusque unionem entitativam ignorantes, inter partem physicam et psychicam tantum parallelismum sine mutuo influxu vel non aliam unionem nisi mutuam utriusque actionem statuunt.

2. *Monismus psychologicus* negat, animam et corpus, psychica et physica in homine duas realitates essentialiter diversas esse. Qui varias formas induit.

a) *Materialismus* tantum materiam eiusque effectus et qualitates admittit. Ideo animam a corpore diversam negat, actus psychicos vero modo effectus et functiones materiae modo phaenomena processibus materialibus adnexa esse dicit. Antiquo tempore materialismi defensores erant Democritus, Epicurus, Lucretius atomistae, qui animam pro materia subtili habebant. Quibus hac in re stoici propinqui sunt animam materiam quandam aeream instar halitus (πνεῦμα) fingentes. Recenti aetate similis materialismus saec. 17. et 18. in Anglia (Hobbes) et Gallia (La Mettrie [„L'homme machine"], Helvetius, Holbach) grassatus est, saec. 19. in Germania increbuit, cuius defensores (Feuerbach, Vogt, Moleschott, Haeckel, Freud) actus psychicos puras functiones cerebri habent. Nunc materialismus apud multos formam subtiliorem induit, qui quidem actus psychicos et eventus physicos differre concedunt, attamen illos solum epiphaenomena horum esse et iisdem legibus physiologicis regi dicunt (epiphaenomenismus, physiologismus).

b) *Spiritualismus idealisticus* affirmat, solam animam sive spiritum realitatem habere, corpus vero tantum phaenomenon subiectivum perceptione animae productum esse. Saepe cum pantheismo et semper cum idealismo coniungitur, qui materiam pro sola apparentia habet. Defensores huius spiritualismi multi sunt, ut Berkeley, Leibniz, Maine de Biran, Ravaisson, Vacherot, Renouvier, Lachelier, Lotze, Wundt, alii. Spiritualismus igitur animam admittit, at saepe eam tantum actuum complexum interpretatur.

Art. 2. **De natura sensationis**

Sensationes sunt actus cognoscitivi vitae sensitivae et 80
complectuntur perceptiones et reproductiones. Perceptiones sensitivae (Sinnesempfindungen, perceptions) obiecta sua prius determinatione ab iis accepta ut praesentia exhibent, vident, audiunt, tangunt. Reproductiones (Sinnesvorstellungen, reproductions) obiecta aliquando percepta nulla nova ab iis determinatione accepta iterum repraesentant, attamen non ut praesentia, sed tantum repraesentando, imaginando.

Sensus (Sinn, sens) est potentia cognoscitiva sensitiva sive vis sentiendi. Actus sunt sensationes. Sensus secundum diversitatem sensationum, quas eliciunt, diversi sunt et postea ex ordine describentur. Alii sunt perceptivi, qui obiecta percipiunt, nempe quinque sensus externi, sensus temperaturae, kinaestheticus, organicus, communis; alii sunt reproductivi, phantasia et memoria sensitiva

A sensibus ulterius *organa* sensitiva, e. g. a potentia videndi oculus, a potentia audiendi auris distinguenda sunt. Organum est pars corporis apte instructum, in quo ut subiecto sensus inest quodque per sensum sensationes producit.

Quod sensationem attinet, prima quaestio haec se offert, quaenam sit sensationis generatim spectatae interna natura. Manifestum est, sensationes esse contingentes actus nostros itaque accidentia in nobis tamquam subiecto inhaerentia et a nobis ut principio producta. Proinde quaeritur, sintne effectus et qualitates mere materiales corporis nostri, an vero altioris principii, quod in nobis sit, animae, an fortasse utriusque simul in unam naturam coniuncti.

Th. I. **Sensatio neque a solo corpore (1. p.) neque a sola anima (2. p.), sed a corporali organo animato elicitur; idcirco sensus potentiae organicae sunt (3. p.).**

81 **Declar.** Thesis enuntiatur de sensatione generatim, quatenus tum perceptiones tum reproductiones sub se comprehendit. Veritas, quam asserit, aliquod caput praecipuum psychologiae scholasticae est. Ex hac enim veritate essentiale discrimen colligitur, quod inter sensationes et intellectiones, generatim inter vitam sensitivam et intellectualem intercedit, et in eadem potissimum fundatur doctrina illa principalis, quae animam et corpus ad unam naturam humanam uniri docet; quam de anima tractantes uberius exponemus.

Eandem doctrinam *Aristoteles* docet[1]) et *s. Thomas* et scholastici communiter sequuntur, a s. Augustino hac in re recedentes, qui cum Platone solam animam sentire opinatur.

[1]) Aristoteles eam plurimis in locis profert et tam manifestam esse censet, ut eam vix demonstratione indigere putet. Cf. De sensu et sens. 1 (436 b 6).

Pars prima igitur affirmat, sensationes non sicut motus 82
aliosque effectus pure materiales sola materia produci, proinde, ut sufficiens principium sensationum adsit, in homine praeter corpus sublimius principium a corpore essentialiter diversum, animam, admittendam esse. Corpus in thesi intellegimus materiam seu substantiam extensam qualitatibus viribusque physicis et chemicis praeditam, eique animam tamquam substantiam a materia essentialiter diversam opponimus. Ergo hac parte simul demonstratur, in homine animam esse.

Itaque prima pars *materialismo* opponitur. Philosophi hodierni materalismo crassiore repudiato ferme consentiunt, facta physica seu materialia et psychica una quidem ex parte (quod verum est) invicem comitari, e. g. perceptionem non esse sine excitatione nervorum, repraesentationem non sine motu et processu chemico in cerebro, affectum non sine mutatione vasorum sanguineorum et cordis, sed altera ex parte diversae esse indolis. Nihilominus adhuc aliqui subtiliorem materialismum inducunt. Actus enim psychicos ita physicis adnectunt, ut eorum pura epiphaenomena, phaenomena secundaria et appendix evadant et iisdem legibus physiologicis subiciantur (physiologismus, epiphaenomenismus). Immo „identitatis psychophysicae" defensores non dubitant asserere, physica et psychica, etsi diversae indolis sint, tamen realiter identica esse tamquam eiusdem realitatis duo quasi latera, facies, apparentias, expressiones.

Epiphaenomenismi defensores ita disserere solent: „Scientia natura- 83
lis declarat, quatenus causas demonstrat, psychologia declarat, quatenus eventus psychicos, quos observat, ad correspondentes processus nerveos refert."[1]) „Concludimus, complexum functionum psychicarum, psychen, per partem eventuum systematis centralis nervorum constitui et actus psychicos . . esse aliquod phaenomenon secundarium." „Anima est functio cerebri; hoc ita demonstratum est sicut quodcumque aliud, si hac in re aequali modo concludere licet sicut alibi. Quod simul dicit, animam individualem cum cerebro mori."[2]) Asserunt, phaenomena

[1]) *Titchener*, A textbook of psychology § 9. — [2]) *E. Bleuler*: „Wir schließen daraus, daß die Gesamtheit der psychischen Funktionen, die Psyche, durch einen Teil der Vorgänge im Zentralnervensystem gebildet werde und daß das Bewußtsein in Bezug auf die Zusammen-

psychica speciali formae energiae nerveae alligata esse, quae oriatur, quando energia chemica systematis centralis nervorum convertatur, et ceteroquin generalibus legibus energeticis subiaceat.“[1] Dicunt „duo genera causalitatis physicae et psychicae quoad generalissimas leges congruere“, energiam psychicam „conservari, transferri et dissipari secundum leges, quae de energia physica statutae sint“[2]; „mentem esse epiphaenomenon cerebri“[3].

84 Defensores *identitatis psychophysicae* variis imaginibus adhibitis doctrinam suam describunt sive potius eius absurditatem tegere conantur, velut dicentes: „pars spiritualis et corporalis hominis“ se habent sicut „latus concavum et convexum circuli“, „tantum duae diversae apparentiae eiusdem rei ex duplici loco sunt“.[4] At manifestum est, motum cerebralem et cogitationem non esse eandem rem diverso tantum modo aspectam sive expressam.

85 *Pars secunda* asserit, etiam corpus, organa scilicet nervea, ut principium efficiens cum anima ad sensationem producendam concurrere. Vix quispiam nunc negaverit, corpus ad sensationem producendam aliquo modo necessarium esse, nempe saltem ut condicionem ad recipiendas et perferendas excitationes externas. Sed corpus esse sensationum principium, iam inter antiquos Plato et platonici negarunt, quos hac in re Augustinus secutus est. Recentiore tempore inter alios *Descartes* († 1650) similem, sicut Plato, dualismum immoderatum inter animam et corpus induxit; animam dicit in media cerebri parte, cui nomen glandula pinealis (Zirbeldrüse), residere ibique per organa peripherica excitationes recipere, ipsam autem solam actus senti-

hänge, die wir zurzeit wissenschaftlich untersuchen können, eine Nebenerscheinung sei.“ Zeitschrift f. Psychologie 69 (1914) 39. „Die Psyche ist eine Funktion des Gehirns: das ist so bewiesen wie irgend etwas anderes, wenn man hier in gleicher Weise schließen darf wie sonst. Damit ist gesagt, die individuelle Psyche stirbt mit dem Gehirn.“ Idem auctor, Naturgeschichte d. Seele² (1932) 251.

[1]) *A. Lehmann* behauptet, „daß die psychischen Erscheinungen an eine besondere Energieform gebunden seien, die bei Umwandlung der chemischen Energie des Zentralnervensystems entstehe und übrigens den allgemeinen Energiegesetzen unterworfen sei“. Grundzüge der Psychophysiologie (1912). Vorrede. — [2]) *G. Heymans* glaubt, daß „diese beiden Arten der Kausalität, so verschieden sie sonst sein mögen, doch in ihren allgemeinsten Gesetzen zusammenkommen“, daß die psychische Energie „sich erhält, sich überträgt und sich zerstreut nach gleichen Gesetzen wie die, welche für die physische Energie festgestellt worden sind“. Über die Anwendbarkeit des Energiebegriffes in der Psychologie (1921) 1 3 39. — [3]) *Th. Ribot,* Maladies de la personnalité (identidem). — [4]) *Fechner.* Cf. postea dicenda de parallelismo psychophysico.

endi, cogitandi, appetendi producere, immo in hac activitate essentiam animae consistere. Psychologi *hodierni,* qui materialistae non sunt, omnes actus psychicos, nullo facto discrimine inter sensitivos et intellectivos, soli animae tribuere solent[1]), attamen eos nihilominus ita plerumque corpori alligantes, ut negent, extra systema nervorum ullam vitam psychicam exsistere posse, recusantes hac ratione omnem spirituum immortalium exsistentiam. Ita veram unionem substantialem animae cum corpore ignorantes duo fere ex uno homine faciunt principia: corpus, quod impressiones sensorias recipit, et animam, quae sola sentit (cuius substantialitatem insuper plerique negant).

A doctrina in thesi asserta ceteroquin inter scholasticos nunc communi etiam *Balmes* et *Palmieri* recesserunt affirmantes, ad sensationem corpus quidem et animam concurrere, sed ita, ut tantum anima principium eliciens, corpus autem solum condicio interna sit; sensationem igitur non extensam, sed simplicem esse.[2])

Demonst. I. p. 1. Si sensationes a solo corpore sive materia producerentur, non possent essentialiter diversae et sublimiores esse quam omnes illi effectus materiales, quos materia extra subiectum sentiens producit, velut motus, mutationes figurae, processus chemici, phaenomena electrica, magnetica; sed iis essentialiter similes essent tantumque fortasse gradu differrent. Nam materia in sentiente et extra eadem est; extrinsecus enim in organismum recipitur, proinde (sine anima) forte novas accidentales modificationes, non autem diversam essentiam acciperet. *Atqui* sensationes essentialiter diversae totoque ordine sublimiores sunt quam illi alii effectus materiales. Nam a) clare percipimus, audire et motum, videre et mutationem chemicam, dolorem et attractionem, imaginationem et situm corporalem 86

[1]) Cum quadam vehementia inter alios *H. Bergson* id defendit: „Corpus nostrum est instrumentum actionis et actionis solius. Nullo gradu, nullo sensu, sub nullo respectu alicui repraesentationi praeparandae, multo minus explicandae inservit.“ („Notre corps est un instrument d'action et d'action seulement. A aucun degré, en aucun sens, sous aucun aspect il ne sert à préparer encore moins à expliquer une représentation.“) Matière et mémoire⁵ (1908) 251. — [2]) *Palmieri,* Instit. philos. II, c. 2 th. 2; sed in opere posthumo „De creatione“ (1910) 277 hanc sententiam retractavit.

tam diversa totoque ordine distantia esse, ut in his materialibus eventibus ne initialis quidem gradus sensationis inveniatur. b) Etiam varia oppositio est. Eventus pure materiales sensibus externis videri et tangi, sensationes autem tantum interna conscientia percipi possunt; operationes pure materiales, velut motus, inter se actione transeunte agunt et in se invicem (secundum legem constantiae energiae) converti possunt, sensationes autem actiones immanentes sunt neque sic converti possunt. *Ergo* sensatio non a solo corpore producitur.

87 2 Multas saltem sensationes, ut dolores, perceptiones musculares, perceptiones caloris, frigoris, tactus clare percipimus extensas esse per partem corporis; praeterea experimur eas in diversis partibus corporis inter se distantibus esse; denique variis temporibus sensationes varias, hodie hunc dolorem, post mensem alium adesse animadvertimus. Nihilominus omnes et singulas sensationes earumque partes semper *in eodem subiecto, ego* nostro, exsistere vel exstitisse evidenter experimur. Iudicamus enim: ego habeo hunc integrum dolorem extensum, habeo dolorem manus et dolorem pedis, dolorem hodiernum et praeteritum. *Atqui* haec ita percipere non possemus, si solum corpus principium et subiectum sensationum esset; sed requiritur, ut in subiecto sensationis sive in „ego" saltem ut pars etiam substantia includatur, in qua *eadem* tum integrae sensationes singulae tum omnes simul insint, quae igitur non sicut corpus ex diversis partibus componatur, sed substantia simplex sit, anima. Si enim solum corpus subiectum esset, nihil iam haberetur, quod stricte idem omnibus sensationibus et partibus earum subesset: una pars brachii non posset sentire, *se* habere dolorem alterius partis, multo minus brachium perciperet, se habere dolorem capitis, neque pars nervi hodierni, cuius materia continuo mutatur, conscientiam habere posset, se dolorem longe praeteritum percepisse. Ergo.

88 3. Etiam hoc addi potest. Operationes *vegetativae* non a sola materia producuntur, sed praeterea principium vitale essentialiter altius postulant, ut in cosmologia ostenditur. Atqui sensationes sunt multo perfectiores quam operationes vegetativae. Ergo neque sensationes a solo corpore producuntur.

Demonst. 2. p. 1. Plurimae saltem sensationes, quibuscum 89
aliae natura conveniunt, velut sensationes tactus, caloris, gustus, sensationes musculares, perceptiones situs corporis clare percipiuntur *indolem corpoream* habere, quatenus percipiuntur inter se distare, in diversa parte, dextera, sinistra, superiore, inferiore locatae esse, per corpus extendi, maiores vel minores esse. *Atqui* sensationes non possent percipi sic indolem corpoream habere, localiter distantes et extensae esse, si non a corpore, sed a sola anima elicerentur. Sic enim similes essent unicae causae suae efficienti, animae, ideoque, quia anima simplex est et indole corporea, extensione, partibus localiter distantibus caret, etiam sensationes simplices et indolis incorporeae essent. Aliter: si non a corpore, sed a sola anima spirituali procederent, non possent indolem corpoream participare. Ergo sensationes non a sola anima producuntur.

2. Praeterea sensationes continuo et *directe pendent a* 90
nervis eorumque mutationibus physiologicis et iis reguntur. Perceptionis sensitivae qualitas, duratio, intensitas determinatur excitatione nervorum: certae perceptiones et reproductiones statim excidunt, si certi nervi laeduntur, si status nervorum certis modis mutatur, pariter etiam sensationes correspondenti ratione mutantur, iniectio aetheris, affluxio sanguinis, frigus digiti minuunt sensibilitatem, medicamenta, substantiae alcoholicae, venenosae nervos afficientes mutant vel tollunt perceptiones ac reproductiones. *Atqui* si sola anima, non etiam nervi principium sensationis essent, non posset declarari, eas sic continuo et directe a nervis eorumque mutationibus pendere et regi. (Nam ex eo solo, quod corpus et processus physiologici necessaria condicio sensationum dicuntur, quatenus excitatio per nervos ad animam deferenda sit, non explicatur, cur non tantum perceptiones, sed etiam reproductiones et quidem non solum quoad exsistentiam, sed etiam quoad durationem, intensi-

tatem omnesque proprietates ita a mutationibus corporis directe pendeant iisque regantur.) Ergo sensationes non a sola anima producuntur.

3. Si sensatio a sola anima procederet, *spiritualis esset* sicut actus intellectus; actus enim spiritualis ille est, qui nullo modo, nec unice nec simul, a principio materiali procedit. Hoc supposito autem a) non posset illud maximum in cognoscendo discrimen explicari, quod inter sensationes et actus intellectus intercedit. b) Etiam anima beluina spiritualis et proinde immortalis esset. Nam quia etiam sola sensationes eliceret ideoque in his actibus a corpore non penderet, neque ab eo in essendo penderet, sive spiritualis esset; quod enim in essendo a corpore pendet, in omnibus suis actionibus ab eo pendet. Ergo.

91 4. Plerique etiam ita argumentantur. Ut sensationes vel saltem perceptiones elici possint, opus est, ut antea a corporibus percipiendis *determinentur*. Atqui si sensationes a sola anima elicerentur, non posset haec determinatio fieri. Nam in hac suppositione anima ipsa in corpore quidem habitans, sed cum corpore non in unam naturam coalescens (quod adversarii immoderatum dualismum inter animam et corpus statuentes affirmant) directe determinanda esset per processus physiologicos nervorum, qui in sensatione externa a corporibus externis, in perceptione interna a proprio corpore producuntur. Itaque nervi sive corpus actione transeunte directe agerent in animam spiritualem. Iam vero non videtur naturaliter fieri posse, ut corpus directe in spiritum agat. Spiritus enim tam sublimis et tam diversus a corpore est, ut a corpore naturaliter attingi posse non videatur. Sive aliter: hic influxus esset sicut ipsum corpus aliquid materiale, proinde conaturaliter a spiritu recipi non posset; seu spiritus fieret subiectum recipiens actionis sive effectus a corpore producti, qui igitur, utpote causae proportionatus, accidens materiale esset, iam vero spiritus nequit conaturaliter subiectum accidentium materialium fieri. Ergo sensationes non possunt a sola anima elici.

92 **Demonst. 3. p.** Ex 1. et 2. p. consequitur, corpus et animam singulas sensationes producere. Quod nunc asseritur, paulo plus dicit: animam et corpus non tamquam duo principia inter se divisa, sed ut unum principium indivisum sive ut unam naturam sensationes elicere, non ita quidem, ut semper totum corpus, sed ut diversa organa, cerebrum, nervi oculorum et aurium una cum anima haec agant, ut igitur dicendum sit, sensationes ab organo animato produci.

Haec utriusque unio ad unum principium, ut interim breviter dicatur[1]), ex eo concludenda est, quod sensatio est unus actus, unum agere, quod a duobus agentibus divisis produci non potest. Duo agentia inter se divisa, velut duo trahentes currum, tantum ita agere possunt, ut divisim duplex actio ab iis egrediatur. Hac ratione s. Thomas dicit: „Omnis operatio sensitivae animae est coniuncti [totius compositi]."[2]) „Sentire non est operatio animae tantum."[3])

Ideo sensus *potentiae organicae* sunt. Potentia organica 93
est potentia vitalis in organo corporali inhaerens. Cum igitur demonstratum sit, sensationes ab organo corporali provenire, sequitur potentias sensitivas his organis animatis inesse. Itaque organa animata sunt principium substantiale et remotum, potentiae vero sensitivae, quasi eorum instrumenta, sunt principia proxima sensationum. „Illud est subiectum operativae potentiae", docet similiter s. Thomas, „quod est potens operari; omne enim accidens denominat proprium subiectum. Idem autem est, quod potest operari et quod operatur. Unde oportet, quod eius sit potentia sicut subiecti, cuius est operatio . . Manifestum est autem . ., quod quaedam operationes sunt animae, quae exercentur sine organo corporali, ut intelligere et velle. Unde potentiae, quae sunt harum operationum principia, sunt in anima sicut subiecto. Quaedam vero operationes sunt animae, quae exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem; et simile est de omnibus aliis operationibus nutritivae et sensitivae partis. Et ideo potentiae, quae sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto et non in anima sola."[4])

Potentiae, quamquam forte, quod probabile est et communiter ad- 94
mittitur, accidentia a substantia realiter distincta sunt, tamen simul necessariae proprietates sunt. Proprietates autem ex substantia sua emanant. Potentiae vitales organicae, etsi in composito sunt, tamen

---

[1]) Idem uberius exponetur, quando de unione animae et corporis agetur. — [2]) 1 q. 75 a. 3. — [3]) Ib. a. 4. — [4]) 1 q. 77 a. 5. *Suarez* et quidam alii veteres scholastici docent, potentias organicas in sola materia ut subiecto esse (De anima II 3 n. 3), attamen ita, ut ab anima corpori communicentur et anima simul agat. Quae tamen sententia difficulter intellegitur. Cf. *Urráburu,* Cosmol. p. 1125.

speciatim *ex anima emanare* dicuntur; nam anima est forma corporis, pars hominis specificans, tamquam pars sublimior materiam ex se vitae imparem complens, elevans sive „actuans" ad vitam habendam.[1]) Hac ratione saepe potentiae organicae simpliciter *potentiae animae* dicuntur, non quasi in sola anima sint, sed quia anima speciale earum principium emanativum est. „Omnes potentiae dicuntur esse animae, non subiecti, sed sicut principii; quia per animam coniunctum [totus homo] habet, quod tales operationes operari possit." „Omnes huiusmodi potentiae per prius sunt in anima, quam in coniuncto, non sicut in subiecto, sed sicut in principio."[2])

Sic etiam intellegendum est, quod non raro dicitur, animam sentire „per organum" et organum eius instrumentum esse[3]) Tantum exprimitur, organum per animam accipere sentiendi facultatem, sed non negatur, animam cum organo unam substantiam constituere.

95 Sensus igitur, utpote organo corporali extenso inhaerentes, *potentiae extensae*, non vero simplices sunt sicut intellectus. Ideo etiam *materiales* appellari possunt hoc modo, quod non sint spirituales, sed potentiae organi materialis; attamen non sunt pure materiales, in sola materia inhaerentes sicut vis resistendi, attrahendi, quae etiam in saxo est.

Ideo intellectus quidem et voluntas, quia in sola anima sunt, post mortem in anima a corpore separati manent, sensus autem non manent nisi radicaliter, quatenus anima exigentiam retinet, ut, cum primum corpori iterum uniatur et organum adsit, potentiae sentiendi adesse incipiant.

Porro sensationes similiter accidentia extensa, non vero sicut actus intellectus simplices sunt.

96 **Organum sentiendi** generale non musculi vel ossa, sed partes systematis nervorum sunt et quidem potissimum systematis cerebro-spinalis. Tales sunt praecipue apparatus nervei organorum periphericorum, velut oculi, auris, sed praeterea etiam cerebrum, quod ad omnem sensationem producendam cooperatur. Quod cerebrum attinet, clara facta docent, praecipuum momentum in sensationibus producendis cortici cerebrali tribuendum esse; cortice enim laeso vel coniunctione cum eo interrupta sensationes elici iam nequeunt. Praeterea compertum est, sensationes elementares

---

[1]) 1 q. 77 a. 6. — [2]) 1 q. 77 a. 5 ad 1 et 2. — [3]) „Nihil sentit sine corpore, quia actio sentiendi non potest procedere ab anima nisi per organum corporale." Ib. ad 3.

determinatis et interdum valde circumscriptis cerebri partibus alligatas esse, quae propterea centra earum appellari solent. Sed sensationes ex compluribus elementaribus sensationibus compositae omnibus harum centris simul alligatae sunt (n. 53).

Itaque diversae partes cerebri prae aliis ad elementares *perceptiones* concurrunt: partes cerebri superiores tactui et perceptionibus kinaestheticis, pars temporalis auditui, pars occipitalis visui, olfactui autem fortasse et gustui aliqua pars cerebri frontalis inserviunt; attamen haec ita, ut, si illae partes laesae fuerint, aliae, quae iam antea illis functionibus producendis cooperabantur, vicaria vice earum locum supplere possint. Ad *reproductiones* phantasiae et memoriae sensitivae, quarum elementa fere semper ex variis sensibus desumpta sunt, multae partes cerebri simul concurrunt eoque plures, quo altiores sunt functiones; etiam facilius una pars alterius functiones suscipere potest.

Obiectiones. 1 Sensatio efficitur per excitationem ab obiecto in organo factam Atqui excitatio est materialis, nempe physica vel chemica. Ergo sensatio per causam materialem efficitur — *Resp* D mai per excitationem ut causam praeparatoriam C. ut causam directe producentem N C. min. 97

2. Materia per organisationem. qualem e. g. in cerebro adipiscitur, novas vires accipere potest Ergo possit sensatio per eam solam produci — *Resp.* D si organisationi essentialiter altius principium, anima, accedit C aliter Sd. novas vires accidentaliter diversas accipere potest C essentialiter diversas et altiores N

3 Sensus dicuntur facultates animae; ergo anima sola videtur sensus habere et sentire. — *Resp* D ant quatenus principalius ad animam spectant, quae est in sentiendo causa principalior, corpori communicans facultatem sentiendi C quatenus in ea sola insunt N.

4. Sic in sensatione pars assignari posset, quae a materia, et pars, quae ab anima produceretur — *Resp* N. Tota sensatio et singulae eius partes ab utraque ut uno principio procedunt, a materia potissimum spectata materialitate sua ab anima autem spectata indole psychica

5 Sensatio non est extensum quoddam continuum. sed, utpote in- 98
haerens in minimis elementis separatis, nempe cellis et fibrillis nerveis, ex multis punctis componitur. — *Resp* D. sensatio integra non est unum extensum continuum Tr. non est extensa spectatis elementis, quae, etsi minima, tamen vere extensa, non punctualia sunt N. (de horum divisione conscientia nihil refert et, in quantum fortasse divisa sunt. unitate animae in unum coniunguntur).

6. Etiam actiones vegetativae a corpore animato producuntur. Ergo non esset discrimen inter illas et sensationes. — *Resp.* C. ant. D. cons. non esset discrimen sub hoc respectu C. non est sub alio respectu magnum discrimen inter naturam specificam actus vegetativi et sensitivi N.

7. Sensationes non percipiuntur in partibus corporis diversis. Sed, si ex punctione manus dolorem sentimus, imago visualis manus dolori percepto per phantasiam associata facit, ut eum videamur in manu percipere; reapse autem omnes sensationes in cerebro solo fiunt. Quare argumentatio 2. p., qua ostenditur etiam corpus principium sensationis esse, fallitur. — *Resp.* D. sine associata imagine visuali plerumque non adest determinata apprehensio circumscriptae regionis corporis C. ne indeterminate quidem percipitur, sensationem in diversis partibus esse, sed omnes in cerebro fiunt N. Cf. de hac re infra Th. 2.

Art. 3. **De sensibus perceptivis**

99 Sensus in homine complures sunt, quibus singulis suum est obiectum formale ab aliis diversum. Sub vario respectu in varia genera dividi possunt.

Veteres scholastici sensus *externos et internos* distinguere solent. Sensus externi (visus, auditus, gustus, olfactus, tactus) sedem habent in externis partibus corporis, interni vero (sensus communis, phantasia, memoria) in partibus internis. Fundamentum igitur divisionis non est diversitas obiecti formalis et actus, sed potius ratio quaedam externa, videlicet situs organi.

Melior videtur esse divisio, quae cum psychologia moderna congruit, in sensus *perceptivos et reproductivos*, habita ratione diversi actus. Sensus perceptivi illi sunt, quorum actus perceptiones sunt (Empfindungen, perceptions), qui igitur obiecta, accepta prius ab iis determinatione, ut praesentia exhibent. Sensus vero reproductivi illi sunt, quorum actus reproductiones perceptionum habitarum sunt (Vorstellungen, reproductions), qui igitur obiecta aliquando percepta nulla nova ab iis determinatione accepta iterum repraesentant, sed non ut praesentia exhibent. Sensus reproductivi sunt phantasia et memoria sensitiva, perceptivi vero imprimis quinque sensus externi, praeterea sensus muscularis, sensus temperaturae et organicus et sensus communis.

Ut a sensibus perceptivis initium sumamus, primum aliqua de eorum determinatione dicenda sunt. Sensus enim

perceptivi illi sunt, qui obiecta sua accepta prius ab iis determinatione ut praesentia exhibent.

§ 1. **De determinatione sensuum perceptivorum**

Determinatio sive excitatio (Reiz, l'excitant) est impressio, quam sensus perceptivus a re percipienda accipit quaque ad eius perceptionem inducitur.

Determinatio requiritur. Nam sensus nec semper nec perpetuo idem obiectum percipit, sed ex se indifferens est tum ad percipiendum et non percipiendum tum ad hoc vel illud percipiendum, seu indifferens ad exercitium et ad specificationem actus. Ex quo sequitur, sensum non iam ex se ad sentiendum determinatum seu in actu primo proximo constitutum esse, sed determinatione egere, ut perceptio et talis perceptio oriatur. Hanc determinationem autem a re percipienda accipit. Non enim a nobis ipsis pendet, ut perceptionem habeamus, sed videmus, sensum ea solum, velut montes, sonos campanae, percipere, quae in ipsum agunt, et tunc percipere, cum agunt.[1] 100

Manifestum igitur est, determinationem a perceptione distinctam esse et eam praecedere neque perceptionem esse meram passivam receptionem excitationis externae. Interdum materialistae et alii sic loquuntur, quasi perceptio, velut visualis, tantum in receptione passiva determinationis extrinsecus acceptae, velut imaginis retinae, consistat. Sed perceptio ex omnium persuasione est psychica apprehensio obiecti, non tantum receptio impressionis materialis externae. Sensus quidem etiam a scholasticis potentiae passivae dici solent, quatenus nullam actionem in obiectum exercent et quatenus ante sensationem determinationem patiuntur, sed non quod in sentiendo non agant.

Qualis sit determinatio. In determinatione triplex elementum distingui potest: 101

a) Excitatio *physica externa* sive excitamentum, quod extrinsecus advenit, ut aetheris vibratio, quae oculos percutit.[2]

[1]) „Est autem sensus quaedam potentia passiva, quae nata est immutari ab exteriori sensibili." 1 q. 78 a. 3. — [2]) Excitatio physica rec-

b) Excitatio *physiologica interna* pariter materialis, quae in organis et nervis sensoriis peragitur, e. g. concussio mechanica ossiculorum auris, processus chemici in retina oculi vel in membrana interna narium et oris, excitationes per fibras nervorum currentes, excitatio cerebri.

c) Excitatio *psychologica interna,* qua iam organum animatum ut tale et facultas sentiendi ad sensationem ipsam determinatur. Haec excitatio ex communiore scholasticorum sententia, quae tamen certa dici nequit, a determinatione physiologica realiter distincta et accidens facultati sentiendi impressum est. Ad sensationem enim, aiunt, immediate determinandam excitatio physiologica, utpote mere materialis, non sufficit, sed postulatur impressio quaedam psychicae indolis facultati sentiendi inhaerens, ope excitationis physiologicae producta.

De implexo processu, qui a prima impressione externa usque ad ultimam determinationem psychologicam decurrit, tum physiologi tum psychologi fateri debent vix quidquam certi enuntiari posse.

102 Quod excitamenta physica attinet, physiologi distinguere solent excitamenta „specifica" sive „adaequata", quibus diversa organa specialiter adaptata sunt, ut auris vibrationibus aeris, oculus undulationibus aetheris, et „communia" sive „inadaequata", quae omnia organa ad sensationes excitare possunt, ut fluidum electricum, quod in oculo lucis, in aure soni, in ore saporis perceptionem excitat.

Modica experientia docet, post acceptam excitationem externam non statim sensationem sequi; quando brachium allidimus vel digito flammam tangimus, post breve momentum demum dolorem sentimus. Hoc tempus, quod inter primam impressionem ex parte obiecti factam et illud momentum intercedit, quo sensationis iam ortae conscientiam habemus, *tempus physiologicum* vocari solet. Quod etiam mensurari potest; generatim circiter $^1/_5$–$^1/_7$ sec. durat.

---

tius *excitamentum* quam excitatio vocatur. Excitatio enim potius processum excitandi exprimit, excitamentum autem illud activum, quod hunc processum producit.

Etiam observamus, desinente excitatione non statim perceptiones desinere, sed ulterius, generatim circ. 0·1 sec. perseverare, decrescente paulatim eius intensitate. Si igitur eo tempore eadem excitatio repetitur vel si discretae excitationes rerum aequalium celerrime sequuntur, interruptiones non sentiuntur, sed perceptio continua oritur: si meteorum cadit vel scintilla citissime vibrat, lucida linea, si imagines kinomatographicae celerrime invicem sequuntur, motus continuus apparet.

Scholastici veteres determinationem psychologicam *speciem impressam* appellant et docent, eam esse accidens ab obiecto per determinationem physiologicam in potentia sensitiva productum, quo obiectum ei coniungatur, seu esse imaginem virtualem obiecti, qua sensus proxime disponatur ad obiectum cognitione exprimendum. Itaque sonum, aiunt, colorem, dulcedinem per excitationem physiologicam in nervis productam animae imprimere quandam sui similitudinem virtualem, quae ipsa deinde una cum potentia sensationem producat; sensationem ipsam esse similitudinem formalem externi soni, coloris, dulcedinis. 103

Hanc sententiam etiam nunc scholastici communius tenent. Alii quidam has species impressas negant asserentes, determinationem physiologicam, etsi tantum materialis sit et in corpore stet, tamen sufficere, ut etiam anima, utpote corpori coniuncta, ad sensationem producendam inducatur. Etiam animadverti potest, scholasticos in admittendis his speciebus impressis cum Aristotele supponere, omnes sensationes esse cognitiones proprie dictas i. e. imagines obiecta repraesentantes, sicut in se sint. Quod tamen quoad complures saltem sensus teneri nequit; nam calor, sapor, odor, quos sensus temperaturae, gustus, olfactus exhibent, tantum subiectivae affectiones extrinsecus excitatae, non vero ut tales obiecta extrinsecus exsistentia sunt.

Interdum dicuntur scholastici docuisse, ab obiectis externis „immigrare et transportari" imagines in sensus, quas deinde sensus exprimant. Sed scholastici, si nonnumquam tali figurali locutione usi sunt, sane non docuerunt, species impressas proprie ex rebus in sensus deportari, sed tantum species in organis influxu obiectorum produci.[1])

Relatio inter excitationem et sensationem. Ab excitatione pendet intensitas sensationis. Varia utriusque relatio est praecipuum quoddam obiectum psychophysicae et psychologiae experimentalis. 104

1. Imprimis *limen excitationis* attendendum est (Reizschwelle, seuil), quod est excitatio minima, quae sensationem excitare valet. Infra eam aliqua excitatio quidem adesse potest,

---

[1]) De natura speciei impressae plura dicentur infra, ubi de origine ideae intellectualis agetur.

sed ex se sola perceptioni producendae non sufficit, e. g. verba nimis demissa. A creatore sapienter institutum est, ne anima nimis excitetur.

Limen excitationis *diversum* est in diversis sensibus et in diversis adiunctis. Fatigatio, occupatio intensa mentis limen elevant seu sensibilitatem minuunt, attentio autem, exspectatio, nervorum excitatio, e. g. coffea forti producta, sensibilitatem augent; in quibusdam morbis vel in hypnosi sensibilitas modo abnormi augeri („hyperaesthesia") vel etiam immoderate minui potest („anaesthesia" vel audiendi et videndi gravitas). Qui diu in loco tenebricoso degit, facultatem acquirit, ut in caligine videat, quatenus ei tenuis lux sufficit, quae etiam in caligine adest; postquam autem diutius in luce versatus est, eam amittit.

A limine excitationis descripto, quod absolutum dici potest, distinguendum est limen *differentiale* (Unterschiedsschwelle, seuil différentiel) seu minimum augmentum excitationis, quod augmentum intensitatis sensationis producit. E. g. si colori caeruleo aliqui gradus intensitatis adduntur, donec oculus differentiam animadvertit, vel si numerus undulationum acusticarum augetur, donec auris mutationem soni percipit, isti gradus excitationis *auctae* limen differentiale sunt.

105 2. *Excitatio et intensitas inter se proportionem* servant, sed certa ratione modificatam: quo maior iam excitatio (excitamentum) est, eo maius requiritur incrementum eius, ut etiam sensationis incrementum producatur. Quod obvia exempla docent: si ad duos cantores tertius advenit, augmentum cantus percipitur, non vero si ad triginta novus accedit; stellae nocte videntur, sed si sol oritur, disparent, quia excitamentum a stellis veniens excitamento a sole advenienti additum nimis parvum est, quam ut sensationis augmentum efficere valeat; verba remissa audiuntur in cubiculo, non autem inter strepitum plateae.

Ista proportio accuratius hac lege definitur, quae ex auctore suo *weberiana* appellatur: illud incrementum excitationis, quod perceptibile incrementum sensationis efficit, cum tota excitatione, cui accedit, in singulis sensibus constantem proportionem servat; quae proportio experientia colligitur. Haec lex generatim vera dicenda est, si agitur de excitationibus

mediis, nec nimis intensis nec nimis remissis, exceptis gustu et olfactu, de quibus dubitatur.

In diversis sensibus istud incrementum excitationis, quod ad augendam sensationis intensitatem necessarium est, diversum est. In visu $^1/_{100}$ est, in auditu $^1/_8$, in sensu musculari in elevandis ponderibus $^1/_{17}$; i. e. incrementum $^1/_{100}$ lucis iam praesentis requiritur et sufficit, ut sentiatur.

Legi a E. H. Weber denominatae postea *Fechner* hanc formam magis determinatam dare conatus est: „Perceptio crescit secundum logarithmum excitationis", vel „intensitas perceptionis aequat logarithmum excitationis (i = log. e)"[1]). Hoc pacto ipsam sensationis intensitatem exacte metiri voluit. Sed nonnulli hanc legis formulam reiciunt, quia in suppositionibus dubiis nitatur, e. g. in hac, quod successiva minima incrementa sensationum semper aequalia sint. Alii autem auctores graves tum legem tum suppositionem modo indicatam admittunt.

3. *Psychophysica.* Ex his colligitur, quid nomine psychophy- 106
sicae designetur. Psychophysica secundum Fechner, qui eius auctor fuit, dicitur exacta inquisitio et descriptio constantis relationis ac dependentiae inter facta psychica et physica, ut ex mutationibus unius partis ad mutationes alterius exacta conclusio fieri queat.[2]) Speciatim cum Fechner psychophysicae tribuitur, ut exacte describat, quae sit relatio inter sensationem et eius excitationem externam, e. g. quantus debeat esse externus sonus adveniens (factum physicum), ut percipiatur (factum psychicum), quantaque eius successiva incrementa etiam perceptionis augmenta producant. Interdum autem psychophysicam tam late accipiunt, ut eo nomine simpliciter psychologiam experimentalem designent.

Ope psychophysicae Fechner speravit fore, ut omes eventus psychici exacto modo mensurari possint sicut res phy-

[1]) „Die Größe der Empfindung steht im Verhältnisse nicht zu der absoluten Größe des Reizes, sondern zu dem Logarithmus der Größe des Reizes, wenn dieser auf seinen Schwellenwert, d. i. diejenige Größe als Einheit bezogen wird, bei welcher die Empfindung entsteht und verschwindet, oder kurz, sie ist proportional dem Logarithmus des fundamentalen Reizwertes." „Man kann sagen, die Stärke der Empfindungen sei der Logarithmus der Stärke des Reizes." *Fechner*, Elemente der Psychophysik II (1860) 13 19. — [2]) „Unter Psychophysik soll hier eine exakte Lehre von den funktionellen oder Abhängigkeitsbeziehungen zwischen Körper und Seele, allgemeiner zwischen körperlicher und geistiger, physischer und psychischer Welt verstanden werden." Ib. I 8.

sicae, velut magnitudo corporum et motuum. Imprimis hac ratione intensitatem perceptionis metiri conatus est, nempe indirecte per excitationem physicam secundum legem weberianam, ingeniosis in hunc finem methodis excogitatis, quae postmodum ulterius perficiebantur. Sed eius spes non satis expleta est; facta psychica tantum intra fines valde modicos mensurari possunt (n. 12).

Iam de singulis sensibus perceptivis, quantum fini et limitibus psychologiae rationalis congruit, agendum est.

*§ 2. De visu

*107 Psychologia aristotelica et veterum scholasticorum de singulis sensibus perceptivis pauca particularia docet, multa vero atque utilia psychologia recens offert, quorum brevis summa exhibenda erit.




Fig. 14. Oculus

1 membrana sclera — 2 cornea — 3 chorioidea — 4 iris — 5 retina — 6 7 anterior, posterior camera oculi — 8 pupilla — 9 lens — 10 humor vitreus — 11 nervus opticus — 12 macula lutea (gelber Fleck; fovea centralis)

Moderni in sensationibus, praesertim externis, duas potissimum proprietates distinguere solent: *qualitatem* et *intensitatem*. Nomine qualitatis obiectum intellegitur, quod sensationes externae referunt, e. g. sonus, color. Cum igitur de intensitate iam in § 1 sermo factus sit, tantum de organo et qualitate singulorum sensuum agere restat.

*108 **Organum** visus oculus est (fig. 14), qui instar camerae obscurae photographice constructus est. Duabus circumdatur membranis. Membrana exterior duas partes habet: parva pars anterior pellucida est et cornea vocatur (Hornhaut), altera pars maior alba, quae sclera dicitur (Lederhaut), oculo album illum colorem tribuit, qui extrinsecus cernitur. Membrana interior subtilior est multaque vasa sanguinea oculo nutriendo destinata gestat et chorioidea (Aderhaut) appellatur excepta eius parte anteriore, quae iris nominatur (Regenbogenhaut), nempe propter varium colorem, quem in diversis hominibus habet. Iris in medio foramen circulare, „pupillam", relinquit. Pupilla per tenues musculos dilatari et coarctari potest: quando minor est lucis intensitas, motu reflexo dilatatur, ut lucis maior copia ingredi possit, quando intensitas maior est, contrahitur, ne nimia fiat nervorum irritatio. Intra oculum sita sunt biconvexa lens crystallina (Linse, crystallin) et post eam humor vitreus (Glaskörper, humeur vitrée), quibus lux in oculum incidens frangitur et in retinam proicitur, quae intima oculi membrana est.

Retina (Netzhaut, fig. 14, 5; fig. 15) valde arteficiose constructa est. In ea nervus opticus tenuissimas suas fibrillas (circ. 500.000) diffundit. Hae fibrillae cum variis cellis nerveis in retina sitis varie uniuntur et in fine in duo organa diversae structurae exeunt, quae formam bacillorum et conulorum habent ideoque his nominibus appellantur (Stäbchen, bâtonnets, 2 μ latitudinis; Zäpfchen, cônes). In tota retina numerantur circ. 120 milliones bacillorum et 3 milliones conulorum. Non tamen ubique aequali numero adsunt; in media retina, ubi radii in oculum immissi ordinarie incidunt (macula lutea), tantum conuli inveniuntur, quorum numerus versus peripheriam minuitur. Ab hoc duplici organorum genere actus videndi praecipue pendent. Excitantur autem processibus chemicis, quos lux ingressa in pigmento bacillos et conulos tegente efficit. 109*




Fig. 15. Retina (Ramon y Cajal)

a b bacilli et conuli — c d cellae visivae ad eos pertinentes — e f cellae bipolares illis coniunctae — g h i j k cellae gangliares, quibuscum uniuntur — M fibrillae n. optici

Sensibilitate maxima praedita est illa pars retinae, quae „macula lutea“ (fovea centralis, fig. 14, 12) appellatur. Quare adspectum in obiectum ita figere solemus, ut radii in hanc partem incidant.

110 Commemorandum etiam est magnum discrimen, quod inter functionem bacillorum et conulorum secundum hypothesim („duplicitatis“) a Parinaud et v. Kries statutam intercedere videtur: Conuli tantum in clara luce vident et omnes colores percipiunt (apparatus diurnus, Hellapparat), bacilli autem solum in parva luce crepusculari perceptiones habent et quidem ita, ut colores spectrales omnino non sentiant, sed res tantum ut albas, canas, nigras percipiant („apparatus crepuscularis“*, Dämmerungsapparat). Huic hypothesi complura facta apte consonant. a) Tantum in bacillis invenitur pigmentum illud rubrum[1]), quod desinente luce in retina paulatim formatur, intrante autem maiore luce statim dissolvitur. Iam vero sensibilitas oculi in crepusculo eadem mensura crescere invenitur, qua productio huius pigmenti augetur seu quo diutius oculus in crepusculo moratur. Ex quo concludendum esse videtur, auctione et diminutione pigmenti rubri bacillos tegentis perceptionem crepuscularem determinari. Hac ratione etiam bene explicatur, cur in crepusculum intrantes tantum paulatim res videre et dignoscere valeamus, subito autem lucem ingredientibus visus praestringatur (propter subitaneam pigmenti rubri dissolutionem). b) In animalibus nocturnis dicitur apparatus bacillorum perfectior et pigmentum rubrum copiosius esse. c) In macula lutea bacillis carente, in qua alioquin maxima sensibilitas adest, obiecta parum illustrata non sentiuntur; ideo in crepusculo ea, in quae directum intutum figimus, fere non videmus, sed ea tantum, a quibus oculi intuitum paulum deflectimus. d) In crepusculo colores spectrales non videntur.

Per lentem humoremque vitreum lux ordinarie ita frangitur, ut in adversa parte retinae clara imago obiecti oriatur. Radii autem ab obiecto propinquo advenientes post retinam demum coirent et imaginem confusam efformarent,

[1]) „Sehpurpur“.

nisi curvitas lentis augeri itaque oculus se „accomodare“ posset. Quae accomodandi facultas in senectute minui solet, ut obiecta prope admota non iam clare videantur, nisi mediis artificiosis (perspicillis) auxilium feratur.

De coloribus. 1. Obiectum proprium visus *colores et lux* sunt. Veterum plerique lumen a coloribus realiter distinctum habebant; nunc autem rectius censemus, colores lucem varie modificatam esse. Inter colores innumerabiles, qui cogitari possunt, ab omnibus aestimantur praecipui esse color ruber, viridis, flavus, caeruleus (colores spectrales), denique albus et niger (colores „neutrales“). 111*

Si isti colores inter se comparantur, variae differentiae conspiciuntur spectata tum qualitate (Farbenton, ton, teinte) tum luciditate (Helligkeit, luminosité) tum saturitate (Sättigungsgrad, saturation). *Qualitas* in eo consistit, quod color est ruber vel viridis vel albus, determinatur autem longitudine undularum aetheris: rubro respondet longitudo undularum 700, flavo 580, viridi 500, caeruleo 480 $\mu\mu$. *Luciditas* est maior minorve coloris similitudo cum albo et determinatur intensitate (amplitudine) vibrationum. *Saturitas* denique in eo consistit, quod color suam specificam qualitatem perfecte possidet, e. g. perfecte ruber vel viridis est.

Mutuae relationes, quas colores sub hoc triplici respectu inter se habent, in apposita figura octaedri (fig. 16) vel alia simili illustrari solent. Axis figurae duos colores oppositos neutrales, album et nigrum, anguli basis quadratae alios quattuor exhibent. Colores spectrales ita inter se in basi octaedri sequuntur, ut paulatim per gradus medios rubrum in caeruleum, caeruleum in viride, viride in flavum




Fig. 16.

transeat, donec linea ad rubrum redit. Luciditatem inclinatio basis ostendit: caeruleum cum coloribus adiunctis nigro propinquius est, flavum vero albo vicinius est, aliis verbis: caeruleum minimam, flavum maximam luciditatem habet, si ordinaria lucis illustratio adest. Saturitas denique eo minor est, quo magis color appropinquat axi colorum neutralium albo-nigrae; eo magis enim characterem suum specificum exuit.

Si colores plurimi, qui cogitari possunt, inter se comparantur, aliqui tam simplices et elementares apparent, ut nullo modo in alios dissolvi queant; e contrario alii mente saltem in plures dissolvi possunt. Priores vocantur colores *fundamentales,* alii mixti. Congruenter cum communi hominum sensu colores fundamentales dicuntur albus, niger, ruber, viridis, flavus, caeruleus, mixti autem canus, subruber, rufus, subviridis et infiniti similes.

*112 2. Notatu digna sunt phaenomena *contrarietatis colorum* (Farbenkontrast, contraste des couleurs). Si una scidula cana in carta alba, altera vero aequalis in nigra ponitur, scidula cartae albae imposita multo subnigrior apparet quam altera nigrae imposita; pariter si frustulum canum cartae rubrae imponitur et fixo oculo adspicitur, viride apparet; denique si colores complementares (n. 113) vicini invicem contingunt, unus alterius saturitatem auget. Generalis ergo lex est, ut omnis color in vicinia sua colorem sibi oppositum inducere tendat. Colores oppositi autem sunt albus et niger et complementares. Quia igitur haec tendentia ad inducendum in vicinia colorem oppositum omnibus partibus obiecti inest, saturitas colorum minor est in obiecto medio quam in eius finibus et margine, quia propter phaenomenon contrarietatis obiectum medium ex omni parte imminutionem patitur, quae in finibus et margine non adest. Idem phaenomenon contrarietatis multum confert, ut res, e. g. litterae nigrae in carta alba descriptae, distinctius cernantur; aliter perceptiones rerum multo confusiores essent. Haec „contrarietas *simultanea*", quae dicitur, nunc plerumque physiologice ita explicatur (a Brewster, Hering,

Mach), ut dicatur certa excitatio seu illustratio unius partis retinae (et nervorum conexorum) minuere in partibus vicinis patibilitatem respectu eiusdem lucis et augere patibilitatem respectu oppositae.

Simili ratione sicut contrarietas simultanea explicatur „contrarietas *successiva*" (negatives Nachbild). Si oculus aliquamdiu fixo intuitu rem adspicit et deinde lucidum parietem intuetur, videt in pariete rem adspectam opposito colore indutam; similiter si frustulum rubrum cartae canae imponitur, aliquamdiu adspicitur et deinde subito subtrahitur, in loco frustuli subtracti color viridis rubro contrarius apparet. Eventus ex eo declaratur, quod excitatio praecedens in parte retinae excitata patibilitatem respectu huius lucis minuit et oppositam auget.

3. Inveniuntur, qui sensu aliquorum colorum spectralium 113* carent. Quae carentia plerumque nativa est et *daltonismus* (achromatopsia, Farbenblindheit, daltonisme) vocatur. Plerique eorum rubrum et viride non percipiunt, sed uterque color plusminus canus apparet; aliqui carent sensu flavi et caerulei; sunt etiam, quibus unus tantum color vel tres simul vel etiam omnes colores albi sive cani apparent.

4. Colores, quos supra mixtos diximus, nomen habent a mixtione psychica sive formali, non vero a physica seu causali. *Physice mixti* sunt illi colores, qui ex mixtione excitamentorum sive undularum diversis coloribus propriarum oriuntur. Hac ratione etiam color albus mixtus est; nam si colores spectrales per rotundum discum distributi celerrime rotantur, oculus colorem album videt. Visus enim proprium est, ut, si diversi colores simul incidant, non, sicut diversi soni in aure, inter se distinguantur, sed unam sensationem producant. Similiter colores, quos pictores mixtione aliorum colorum sibi praeparant, physice mixti sunt. *Psychologice mixti* illi solum sunt, qui formaliter ut colores spectati mente in complures simplices, e. g. color canus in album et nigrum, dissolvi possunt. Sed haec divisio unius coloris in duos tantum mente fit, quatenus mens huius coloris similitudinem imperfectam cum duobus coloribus fundamentalibus perspicit; in colore ipso nulla est realis duplicitas.

Si duo physice mixti colorem canum sive album producunt, *colores complementares* vocantur; tales sunt e. g. (quoddam) rubrum et viride, (quoddam) flavum et caeruleum. Mixtione rubri, viridis et violacei omnes alii colores procreari possunt.

Quomodo perceptio colorum oriatur. Ut variae vicissitudines in per- 114*
cipiendis coloribus, velut mixtio colorum complementarium, colorum

contrarietas, daltonismus et similia explicentur, psychologi et physiologi diversas hypotheses de origine perceptionis colorum statuunt, quarum praecipue duae sunt.

1. Hypothesis a *Young et Helmholtz* statuta. Mixtione (physica) rubri, viridis et violacei omnes alii colores produci possunt. Ex quo Young et Helmholtz inferunt, in oculo tria genera fibrillarum esse: alias tantum rubrum, alias viridem, alias violaceum colorem sentire, earum mixtione autem omnes alias colorum sensationes (e. g. mixtione omnium trium sensationem albi) componi. Quae hypothesis daltonismum ex eo declarat, quod fibrillae colorum non perceptorum deficiant. Attamen sic homines sensu rubri et viridis vel forte omnium colorum carentes ne colorem quidem album sentire possent, quem tamen sentiunt. — Ergo hypothesis sine aliqua mutatione sustineri nequit.

2. Hypothesis ab *Hering* (et G. E. Müller) statuta etiam supponit, excitationes et sensationes singulorum colorum ex composita operatione partium elementarium resultare; sed aliter. Admittit in retina (vel etiam in nervis conexis) tres „substantias visivas", in quibus singulis radii ingredientes dissimilationem vel assimilationem chemicam (vel alias reactiones chemicas oppositas) producant. Qui dissimilationem efficiant, in prima substantia (copiosiore) albam, in secunda rubram, in tertia flavam sensationem excitare, qui vero assimilationem faciant, in secunda viridem, in tertia caeruleam excitare; in prima substantia excitationes externas tantum dissimilationem efficere. Substantiam primam omnibus coloribus affici, secundam autem et tertiam non omnibus. Iam igitur ex mutua cooperatione, exaequatione sive praevalentia diversarum actionum harum substantiarum resultare finalem sensationem certi illius coloris, qui percipitur. Haec sententia daltonismum ex defectu respondentis substantiae visivae declarat; qui rubrum et viride non percipiunt, substantia rubro-viridi carere dicuntur. — Hypothesis exposita permulta bene declarat, sed non omnia. Ideo aliqui (v. Kries) ei aliquas mutationes adiungunt (cf. theoriam duplicitatis n. 110).

*115 **De visu binoculari.** Quamquam obiectum simul duos oculos ad videndum excitat et propterea semper duae eius perceptiones oriuntur, tamen utraque perceptio sive „visus binocularis" ordinarie aptissime in unum conspirat, ut duplicem perceptionem non distinguamus.

1. Imprimis res, in quam oculorum *intuitum figimus, non duplicata,* sed simplex percipitur. Attamen non item omnis alia res, quae simul percipitur. Si duos digitos, unum post alium, prae oculis ponimus et primo digitum propinquum adspicimus (fig. 17, a) digitus remotus (b) duplicatus apparet, si deinde remotum adspicimus, propinquus (a) duplicatus apparet. Id propterea accidit, quia semper radii obiecti duos oculos ingredientes vel incidunt in puncta „correspondentia" retinarum i. e. talia, quae (fere) aequaliter a media retina distant et in eadem eius parte sita sunt (m et m), vel in „incorrespondentia" (o et p). Si in correspondentia incidunt, res simplex, aliter duplicata apparet. Obiectum autem, in quod intuitus figitur, semper radios in puncta correspondentia mittit, nempe in mediam retinam.




Fig. 17




Fig. 18

2. Etsi duo oculi in obiecta propinqua non lineis parallelis, sed convergentibus diriguntur, nihilominus visu binoculari omnia obiecta, quae in illis lineis visualibus sita sunt, in *linea inter duos oculos media* videntur. Si punctum nigrum in fenestra (fig. 18, a) primum oculo dextero adspicio, video hoc punctum et simul aliquod obiectum externum in eadem linea prolongata situm, fortasse avem (b); si postea idem punctum oculo sinistro adspicio, video hoc punctum et simul obiectum externum ad partem dexteram situm, forte arborem (c). Si deinde utroque oculo punctum nigrum adspicio, omnia obiecta amborum oculorum in lineis visualibus sita (a, b, c) in communi linea media apparent, acsi uno communi oculo medio (cyclopico) aspicerentur. 116*

*§ 3. De auditu

Organum auditus auris est (fig. 19). Vibrationes sonorum per externam auriculam ad membranam tympani perveniunt (Trommelfell, membrane du tympan), per quam ossiculis communicantur (Gehörknöchelchen fig. 20). Ossicula vibrationes ad inti- 117*




Fig. 19. Auris
1 2 auricula — 3 meatus acusticus externus (Gehörgang) — 4 membrana tympani — 5 cavum tympani (Paukenhöhle; ossicula auditiva omissa sunt) — 6 labyrinthus — 7 tuba auditiva (Eustachii)

mam partem auris transferunt, quae propter formam complicatam labyrinthus appellatur et liquore referta est, in quo undulationes excitantur. Ad labyrinthum pertinent tres ductus semicirculares et cochlea. Ductus semicirculares (Bogengänge, conaux semicirc.; fig 20), liquore impleti, non tam ipsi auditui, quam potius motibus capitis percipiendis inserviunt, ut infra dicetur.




Fig 20. Ossicula auditiva
1 membr. tympani — 2-4 malleus — 5-7 incus (Amboß) — 8 stapes (Steigbugel) — 9 vestibulum labyrinthi — 10 fenestra rotunda — 11-13 ductus semicirculares — 14 cochlea




Fig 21 Organum Cortianum
Mb membrana basilaris — A arcus Cortiani — N fibrillae n acustici, quae se coniungunt cum — C cellis Cortianis

In *cochlea* (Schnecke, limaçon) praecipuum audiendi organum sedem habet. Intra eam nempe extenditur et per eius ductum spiralem circumducitur tenuis „membrana basilaris" (Grundmembran), in qua n. acusticus se diffundit et in circ. 20.000 fibrillas desinit et quae organum Cortianum (Corti'sches Organ) portat. Hoc organum multa millia cellarum ciliatarum comprehendit in tenuissimos capillos desinentes, qui per liquorem, in quem porriguntur, vibrationes acusticas accipiunt. Communior hypothesis nunc tenet (Helmholtz), fibrillas membranae basilaris (vel cellas organi Cortiani) instar claviaturae diversis sonis attemperatas esse iisque distinctim excitari. Qua hypothesi admissa bene explicatur, cur sonos simul advenientes accurate distinguamus, cur cum uno sono simul soni affines superiores (Obertöne) excitentur, cur denique, si quaedam fibrillae laesae fuerint, sensationes correspondentium sonorum excidant.

De sonis. Obiectum auditus soni sunt. Eorum auditio ita fit, ut vibrationes corporis sonantis per aerem vel aliud medium advenientes aurem percutiant. Perceptio regionis, e qua sonus veniat, et maxime distantiae perceptio non perfecte in ipsa auditione iam inest, sed, saltem magna ex parte, experientiae adscribenda est; e. g. certa distantia ex soni intensitate, qualitate aliisque modificationibus aestimatur. 118*

Diligentior inquisitio obiecta auditus dividere solet in *strepitus* (Geräusche, bruits), velut consonantes, et *clangores* (Klänge). Generatim clangores regularibus, strepitus autem irregularibus vibrationibus excitantur. Clangores plerumque ex sonis partialibus (Töne, sons) compositi sunt et quidem ita, ut uni infimo et plerumque fortissimo alii altiores secundarii adiuncti sint, qui spectato numero undulationum multipla integra, duplum, triplum, quadruplum soni infimi sunt (Grundton, Obertöne; son fundamental, s. harmoniques).

Porro in clangore et aliquatenus in strepitu distinguere solent *intensitatem, qualitatem* (Klangfarbe, timbre), *altitudinem*. Qualitas, qua soni pleni, canori, molles, asperi dicuntur, per sonos secundarios efficitur plusminusve altos, intensos, numerosos, intensitas vero amplitudine, altitudo denique celeritate sive numero undulationum determinantur. Sed adnotandum est, inter sonos aequalis amplitudinis illum, qui altior est, aliis fortiorem audiri; quare instrumentum altiorem sonum edens et homo voce altiore cantans aliis instrumentis et cantoribus fortius audiuntur. Sonus profundissimus, qui percipi potest, videtur tantum circ. 16 undulationes in sec. habere, altissimus autem circ. 20.000 ut igitur auris sufficienti sensibilitate et exercitatione praedita circ. 11.000 sonos discernere possit (Titchener).

Soni secundum altitudinem spectati in una linea verticali inter se sequuntur. In quo hoc mirum observatur, quod soni certis altitudinis intervallis distincti certam inter se consonantiam habent, perfectissimam sonus octanus, imperfectiorem quintanus, quartanus, tertianus, sextanus, non quidem sic, ut duo soni consonantes unum novum sonum efficiant, sicut in colorum mixtione accidit, sed ut distincti 119*

maneant, attamen quadam confluentia psychica (Verschmelzung) in unitatem conspirent. Huic consonantiae acusticae vel formali sonorum correspondet physicalis proportio mathematica undulationum: frequentia undulationum soni primi ad frequentiam octani se habet sicut 1 : 2, ad frequentiam quintani sicut 2 : 3, ad quartani sicut 3 : 4. In hac sonorum consonantia peculiare momentum aestheticum positum est, quod in coloribus non invenitur.

*§ 4. De olfactu et gustu

*120 Olfactus et gustus multiplici affinitate coniuncti sunt. Propinquitate organorum se contingunt, simili modo chemico excitantur, pariter sensationes ipsae similes sunt, ut saepe confundantur. Denique uterque sensus non ita mundo externo cognoscendo, quam potius finibus vegetativis inservit, quatenus convenientes et inconvenientes cibos et aerem experitur, ad alios alliciens, ab aliis deterrens; quare etiam vehementer delectationem et taedium producit.

*121 **De gustu.** *Obiectum* gustus sapores sunt. Sensationes eorum in ore excitantur, quatenus substantiae ad id idoneae in aliquo liquido, praesertim in saliva, dissolvuntur et nervos oris chemice afficiunt; interdum etiam substantiae aeroformes sensationes excitant, e. g. chloroformium gustum dulcem, acidum carbonicum gustum acidum. Sensationibus gustus saepissime aliae perceptiones vel emotiones adiunguntur et cum iis confunduntur, e. g. si sapor foedus, frigidus, pungens, urens dicitur. Praesertim autem sapores cum odoribus permiscentur idque ita, ut magna pars saporum, quos percipere videmur, olfactui adscribenda sit. Si in gustando respirationem per nasum et sic olfactionem impedimus, sapor amoenus vel inamoenus minuitur vel cessat. Praesertim subtilior distinctio saporum, velut in iudicandis speciebus vini, olfactui attribuenda est.

Species saporum quattuor distingui solent: dulce, amarum, acidum, salsum (salzig, salé). Hae species subdivisiones vix admittunt. Sed varias mixtiones inire possunt,

attamen ita fere sicut soni in aure, ut nempe partes distinctae maneant et discerni queant.

Organum periphericum gustus sunt gemmae sive caliculi gustatorii (Geschmacksknospen, -becher) vix 80 μ magni, ex multis cellis compositi (fig. 22), ad quas fibrillae nervorum gustatoriorum ex cerebro accedunt. Caliculi gustatorii non in toto ore, sed maxime in marginibus, parte anteriore et tergo posteriore linguae et in palato inveniuntur et quidem praecipue in eorum „papillis". 122*




Fig. 22
I papilla (a caliculus gust. — b fibrillae)
II caliculus gust. (a cellae — b fibrillae)

In diversis partibus diversitas gustationis observatur. Dulce maxime in anteriore lingua sentitur. Quattuor species saporum quattuor diversis fibrillarum generibus alligatae esse videntur, quae per diversas papillas distributa sunt; id etiam ex eo concludendum est, quod sensus dulcis excidere potest manente sensu acidi vel salsi.

De olfactu. *Obiectum* olfactus odores sunt. Odores in naribus producuntur, quatenus substantiae odoriferae in minimas particulas divisae ad nares perveniunt et nervos chemice afficiunt. Species odorum innumerabiles quidem sunt, attamen difficulter in certa genera colliguntur; plerumque tantum a causis excitantibus nomina accipiunt, e. g. odor roseus, sulfureus etc. Nonnulli affirmant, etiam diversas odorum species diversis partibus organi olfactorii alligatas esse. Odor pungens, urens, acer, quos chlorum aliaeque substantiae producunt quique interdum sternutationem, lacrimas vel alias corporales affectiones efficiunt, non tantum olfactui, sed etiam aliis perceptionibus, velut organicis simul excitatis, ascribenda sunt. 123*

*124 *Organum* olfactus sunt cellae olfactoriae, quae singulae inter se divisae in interna membrana pituitaria narium (Nasenschleimhaut, muqueuse du nez) sitae sunt, et quidem in parva eius parte, „regione olfactoria", quae in superiore naso est. Ad cellas singulas fibrillae nervi olfactorii accedunt (fig. 23). Quia nares cum ore communicationem habent, cibi in os recepti vehementer etiam olfactum excitant, ideoque saepe gustare existimamus, quod reapse olfacimus. Organum olfactus cito fatigatur; si eadem materia paulo diutius organum afficit, ut in tabernis unguentariis, caseariis, post brevem moram iam non sentitur, saltem si odor non admodum vehemens est.




Fig 23 Cavum nasale
5 lobus frontalis cerebri — 7-8 n. olfactorius — 9 ganglion — 11-15 n. trigeminus

*§ 5. De tactu

*125 **Tactus late sumptus.** Quinto sensui externo, quem latine tactum nominamus, usus communis et psychologia antiqua complures sensationes obiecto et organo diversas subsumere solent, nempe perceptiones pressionis sive resistentiae, caloris et frigoris, perceptiones musculares atque etiam illas perceptiones gratas et ingratas, velut doloris, quae ex bono malove statu corporis proveniunt. Hodierna autem psychologia tactum strictius accipere eique solam pressionis perceptionem tribuere, reliquas vero perceptiones aliis sensibus assignare solet, quos a tactu discernit. Plerumque hos sensus distinguit: tactum, sensum temperaturae calorem et frigus percipientem, sensum kinaestheticum motum situmque corporis sentientem, sensum organicum, qui convenientem vel inconvenientem corporis dispositionem percipit. Quae divisio admittenda est. Attamen non caret aliqua incertudine neque constans apud omnes est. Sine dubio perceptionum dissimilitudo clara est, si tactus et sensus tempera-

turae inter se comparantur. Sed minus clara est in aliis sensibus; in quibus praeterea etiam diversitas organorum, quibus insunt, et diversitas excitamentorum tamquam principia divisionis adhibentur.

Etiam *Aristoteles* asserere videtur, tactum complures sensus diversos comprehendere. Sed non clare et constanter loquitur, quare commentatores in diversas partes discedunt. Probabilius est, eum revera complures sensus in tactu distinguere. Cf. e. g. De an. II 11 (422 b 34). Etiam *s. Thomas* 1 q. 78 a. 3 ad 3 consentire videtur, pariter multi scholastici.

Tactus stricte sumptus. Eius *obiectum* proprium est pres- 126*
sio seu resistentia corporum. Ita res duras et molles, acutas et hebetes, asperas et leves percipimus.

Organum periphericum sunt terminationes nervorum in cute vel internis partibus corporis sitae diversisque formis instructae. Interdum fibrae nerveae in cute simplici modo in tenuissimas fibrillas terminantur, saepissime autem in speciales terminationes corpusculares exeunt i. e. in cellas diverse formatas. Inter eas eminent „corpuscula tactus" (Tastkörperchen, corpuscules du tact, fig. 24) sive certae collectiones cellarum tactilium. At non omnes nervorum terminationes in cute sitae tactui, sed quaedam earum perceptioni caloris, frigoris, doloris et sensationibus kinaestheticis serviunt.




Fig. 24. Corpusculum tactus (Meissneriana) a cellae — b fibrillae

Excitatio tactus fit levi pressione externa, qua simul cutis paulum deformatur. Ideo corpora diu aequaliter prementia, quae non iam cutis deformationem producunt, ut pressio aeris, anulus, perspicilla, vestes, non iam sentiuntur.

Sensibilitas tactus in diversis partibus corporis diversa est et a diversa frequentia nervorum tactilium pendet. Sensibilitas maxima est in lingua et in summis digitis, minima in tergo. Usu augeri potest; quod in caecis observare possumus. Fatigatione autem animi multum minuitur; quod

factum nonnumquam in experimentis paedagogicis ad metiendam fatigationem adhibetur.

*§ 6. De sensu temperaturae, sensu kinaesthetico et organico

*127 **Sensus temperaturae** calorem et frigus percipit. *Calor et frigus* formaliter spectati nihil sunt nisi affectiones psychicae subiecti, quae causis externis in nobis producuntur. Hodierna scientia dicit, has causas esse vibrationes molecularum vel atomorum, quae communi usu loquendi etiam calor et frigus vocantur, sed sensu causali.

Excitamentum igitur, quod caloris, et aliud, quod frigoris sensationem determinat, gradu tantum differunt; utrumque enim in motibus minimarum partium magis vel minus frequentibus consistit. Sed ipsae affectiones psychicae caloris et frigoris specifice differunt. Sensationes temperaturae tantum intra limitatum ambitum oriuntur (—10° usque 70° C). Si excitatio istos limites vel infra vel supra excedit, dolor producitur. Inter excitationem caloris et excitationem frigoris punctum aliquod indifferens est, in quo nulla temperaturae sensatio oritur; quod punctum varium est pro variis corporis partibus, sed in universum circa 29° C situm est.

Plerumque asserunt, sensationem caloris solum excitari, quamdiu propria temperatura organi augeatur, frigoris autem sensationem, si temperatura organi minuatur; postquam hoc augmentum sive decrementum factum sit, sensationem cessare. Cui experientia suffragatur testificans, si eadem temperatura diu duret, plerumque eius sensationem paulatim cessare vel minui et tantum succedentem mutationem iterum percipi, altiorem temperaturam ut calorem, inferiorem ut frigus. (Attamen sensatio frigoris in pedibus etiam per horas durare potest.) Sensationes temperaturae non plane aequales sunt in diversis partibus corporis, eo intensiores autem evadunt, quo latius per corpus extenduntur.

*128 *Organum* sensus temperaturae sunt terminationes certorum nervorum cutis, quae per totam corporis superficiem diffunduntur. Internae partes corporis hoc sensu fere carent. Physiologi nunc communiter affirmant, alias esse nervorum

terminationes et puncta, quae excitatione accepta sensationem tactus producant, et alias, quae sensationem temperaturae eliciant, immo etiam alia nervorum puncta calori, alia frigori percipiendo destinata esse, a quorum diversa distributione sensibilitas diversarum partium corporis pendeat. Pariter admodum probabile habetur, etiam specialia nervorum puncta in cute dolori inservire. Puncta frigoris multo frequentiora sunt punctis caloris, quia frigus facilius nocet; propterea etiam superficiei cutis propinquiora sunt. Frequentia singulorum punctorum in superficie cutis dicitur fere haec esse: punctorum frigoris sunt 500.000, caloris 30.000, tactus (excepto capite) 50.000, doloris 2–4 milliones.

Sensus kinaestheticus percipit motum et situm membrorum et corporis integri. Percipit igitur, quomodo moveantur pedes, manus, corpus, sitne corpus in aequilibrio, quomodo iaceat brachium, sintne digiti compositi an extensi, quae sit gravitas rerum manu levatarum et similia. Perceptiones kinaestheticae magna quidem ex parte perceptiones contractionum et expansionum musculorum sunt, sed non tantum; nam etiam motus passivos extrinsecus productos percipimus, qui sine musculorum contractione perficiuntur. Perceptiones kinaestheticae etiam in articulis sive commissuris (Gelenke, articulations) insunt. 129*

Perceptiones kinaestheticae praecipue in propriis motibus recte perficiendis iuvant. Propterea, qui iis carent, motus spontaneos voluntate et nervis quidem excitare sive „innervare", non autem recte exsequi possunt, sed motus evadunt iactati, iusto celeriores vel tardiores, instabiles, parum apti („ataxia"). Perceptiones musculares oculorum etiam in iudicanda corporum magnitudine, distantia, motu iuvant.

Sensus staticus. Similem functionem et finem sicut kinaestheticus etiam sensus staticus, qui appellatur, habet, qui propterea aliqua ratione sensui kinaesthetico adnumerari potest. Hic sensus, in aure interna sedens, peculiari modo de motu situque capitis (et hac ratione totius corporis) nos certiores reddit itaque coordinationi corporis moderandae inservit; non quod ipse solus haec percipiat, sed ipse praecipue. 130*

Videlicet in aure tres ductus semicirculares labyrinthi sunt (fig. 20) in tres partes invicem contrarias directi et liquore impleti, in quem liquorem tenuissima fila prominent cum fibrillis nerveis conexa. Quando igitur corpus in aliquam partem movetur, etiam liquor ductus in eandem partem directi subitaneo pulsu movetur, qui fila inflectit. Haec inflexio fibrillas excitare et sensationem versionis capitis producere videtur. Quae sensatio deinde motus reflexos ad corporis aequilibrium servandum determinare solet, e. g. sensatio casus in dexteram partem motum reflexum in sinistram partem. Sic explicatur, cur tantum inceptionem et accelerationem horum motuum percipiamus, non autem motum uniformem, velut motum navis et rotationem terrae, quia sola motus mutatio fila inflectit, et cur pariter retardatio subitanea motus et praesertim eius subitanea institio sensationem motus contrarii excitet, quia nempe nunc liquor et fila in contrariam partem moventur.

Similiter in sacculis vestibuli labyrinthi duo corpuscula firma conspiciuntur, quae otolithi (sive statolithi) nominantur, super subtilibus villis suspensi, qui pariter cum fibrillis nerveis conexi sunt. Otolithi igitur omnem situm corporis participant, erecto corpore villos premunt, corpore in obliquo posito flectunt et sic, fibrillas afficientes, sensationem excitant et ulterius convenientes motus reflexos determinant.

*131 Hac ratione fit, ut, si ductus labyrinthi laesi sunt, recta motuum coordinatio impediatur, ut, si ductus in animalibus chemice afficiantur vel premantur, motus reflexi excitentur, ut pisces otolithis privati mutatum situm corporis non sentire videantur, ut columbae ductibus dissectis motus pendulos et detortos faciant, ut in hominibus surdis, in quibus saepe labyrinthus laesus est, motus reflexi sensationibus labyrinthi alioquin respondentes desint. Cum eodem organo statico sensatio vertiginis (Schwindel, vertige) cohaeret. Sensus vertiginis ulterius (ex medullae oblongatae excitatione) nauseam et vomitum provocare potest. Homines autem ex affectione auris laborantes non raro vertiginem patiuntur et ad motus reflexos excitantur, incertitudinem in stando et eundo experiuntur; e contrario surdi labyrintho carentes vertigine carent.

Sensus organicus sive vitalis convenientem et inconvenientem dispositionem corporis sentit. Eius diversis perceptionibus, quae nomine „organicarum“ comprehendi solent, commune est, ut gratae vel ingratae sint et ex convenienti vel inconvenienti corporis dispositione proveniant, a natura in hunc finem institutae, ut ipsam hanc corporis condicionem indicent et ad valetudinem conservandam, ad cavendas laesiones easque, si factae sunt, reparandas, impellant. Ad hunc sensum igitur pertinent: 132*

a) Omnes perceptiones functionibus ac dispositionibus vitae *vegetativae* excitatae, velut fames, sitis, sensus saturitatis, fatigationis, asthmatis, nauseae. Ordinarius cursus conveniens functionum vegetativarum plerumque non sentitur; idque sapienter institutum est, ne animus continuo talibus perceptionibus impleatur.

b) *Dolor*, ordinarie proveniens ex laesione corporis vel ex nimis vehementi perceptione. In cute dolori percipiendo speciales nervorum terminationes destinatae inveniuntur (n. 128), quae paulo profundius quam puncta tactus et temperaturae sita esse videntur; quo efficitur, ut excitamenta tactus et temperaturae, si vehementer crescunt, illa puncta attingant et dolorem producant. Interna organa affectiones proprias internas sentiunt, praesertim si inflammationes patiuntur, sed externas excitationes (velut in operationibus chirurgicis) saepe non sentiunt.

c) Item ad sensum vitalem pertinet grata et ingrata affectio sive *tonalitas* (Gefühlston, tonalité affective), quae sensationibus visus et auditus adiungi solet, prout eorum excitatio conveniens vel inconveniens est, e. g. affectio grata ex luce temperata vel ingrata ex luce nimia.

Singulis fere momentis plurimae simul perceptiones organicae adsunt, ex diversis corporis partibus advenientes, quamquam plerumque tenues, et in confusam quandam generalem sensationem valetudinis confluunt, diversam pro diversa personae indole, dispositione, aetate, sexu, aliam

in vigore iuventutis, aliam in senectute, aliam in perfecta sanitate, aliam in debilitate. Haec generalis perceptio organica magnam et continuam vim exercet in totam vitam psychicam, in ideas, sentimenta, affectus.

*133 *Nota.* Antiqui scholastici sensationes organicas vel tactui adnumerant (n. 125) vel sensui communi attribuunt.[1] Aliqui eorum, velut Suarez, Conimbricenses aliique dolorem et affectionem gratam non sensui seu facultati perceptivae, sed appetitui tribuunt. Attamen immerito. Tria enim in dolore distinguenda sunt: laesio corporis, dolor, tristitia de dolore, quae sequi solet. Tristitia quidem actus appetitus est, minime autem dolor ipse, quia actus appetitus cognitionem sequitur, dolor vero non sequitur anteriorem perceptionem, sed ipse primus actus psychicus est, laesione materiali corporis excitatus.

§ 7. De sensu communi

134 Sensus communis ab Aristotele[2] et scholasticis illa potentia sensitiva dicitur, qua perceptiones omnium sensuum perceptivorum ut proprias et simul omnia eorum obiecta percipimus.

Nos talem facultatem *habere* liquet. Etenim non tantum videmus et tangimus, sed etiam percipimus nos videre, audire, tangere, et has sensationes inter se distinguimus. Pariter varia obiecta sensuum perceptivorum *simul* apprehendere, distinguere, comparare possumus; album enim a viridi, flavum eiusque sensationem a dulci et eius gustu discernimus. Ita particulares notitias a singulis sensibus oblatas in unum complectimur et ex hac qualitatum complexione diversas res cognoscere et discernere valemus; e. g. cerasum naturalem secundum complures qualitates simul sumptas agnoscimus et ab artificioso discernimus, cui aliqua harum qualitatum deest. Facultate autem *sensitiva* haec percipimus, quia etiam infantes usu rationis carentes et bruta eadem percipiunt, id quod actionibus suis manifestant.

Sic functiones sensus communis ab Aristotele et scholasticis describuntur. Alia autem quaestio est, sitne sensus tales functiones exercens facultas a reliquis sensibus perceptivis distincta necne. Scholastici id communiter affirmant,

[1]) Cf. e. g. *Urráburu*, Psychol. II 716. — [2]) De an. III 2 (426 b 17 22; 431 a 20 b 1).

quod obiectum diversum sit; nam sensum communem percipere omnia reliquorum obiecta et insuper eorum perceptiones, oculum autem tantum videre, aurem audire, manum tangere.[1])

Tamen etiam probabile videtur, sensum communem non esse di- 135
stinctum a reliquis sensibus perceptivis simul sumptis.[2]) Nam etiam ita commode functiones sensui communi tributae explicantur. Quia omnes sensus eorumque perceptiones in eadem anima sunt, fieri potest, ut licet sensus complures sint, tamen eorum obiecta simul percipiantur, distinguantur, comparentur, non quidem ab uno sensu, sed ab una anima, quae simul omnes sensus habet. Praeterea ad perceptiones percipiendas non requiritur novus sensus distinctus, sed omnes perceptiones, immo omnes actus psychici videntur per se ipsos nobis conscii esse, ut actu videndi non solum obiectum, sed etiam simul, etsi imperfecte, ipsum videre ut nostrum percipiamus[3]).

Aristoteles docet, sensum communem (κοινὴ αἴσθησις) a reliquis sen- 136
sibus distinctum esse, quoniam obiectum diversum sit, eiusque sedem esse in organo sensitivo centrali (αἰσθητήριον κοινόν), quod quasi communis fons sit, e quo vis sentiendi in reliquos sensus diffundatur et ad quod singulorum sensuum excitationes adveniant; cf. De an. III 2 (425 b); De sens. et sens. 7 (449 a 13). Similiter s. Thomas dicit: „Sensus interior dicitur communis . . sicut communis radix et principium exteriorum sensuum.“ 1 q. 78 a. 4 ad 1. „Vis sentiendi diffunditur in organa quinque sensuum ab aliqua una radice communi, ad quam etiam terminantur mutationes singulorum organorum.“ 3 De an. l. 3. Quae cum hodierna doctrina physiologorum eatenus congruunt, quatenus hi similiter organum centrale sensitivum admittunt, a quo omnis sensatio principali quodam modo pendeat, cerebrum. Sed Aristoteles existimat organum centrale esse cor, e. g. De iuvent. 3 (469 a 10) et alibi. Aliqui commentatores putant, secundum Aristotelem omnes sensationes in solo sensu communi fieri[4]), alii, eas in singulorum sensuum organis esse et in sensu communi tantum eatenus absolvi, quatenus in unum colligantur[5]).

*§ 8. De energiis specificis

Diversi sensus perceptivi diversas sensationes eliciunt, 137*
visus hanc, olfactus aliam, et id quidem sic, ut etiam, quando per accidens non sua propria causa excitante, sed aliena determinantur, velut visus et olfactus vi electrica,

[1]) Cf. 1 q. 78 a. 4 ad 1 et 2. — Aliqui neoscholastici munus percipiendi actus ut proprios „*sensui intimo*“ tribuunt, quo nomine antiquis ignoto designant animae facultatem ad actus proprios percipiendos. — [2]) Cf. *Mercier*, Psychologie[9] I n. 99 ss. — [3]) Cf. infra, De conscientia (directa). — [4]) *Baeumker*, Des Aristoteles Lehre von den äußeren und inneren Sinnesvermögen (1877) 79 ss. — [5]) *Brentano*, Psychologie d. Aristoteles (1867) 85 ss.

nihilominus suam specificam sensationem producant. „Mechanice irritatus unus nervus imaginem lucidam videt, alius sonitum audit, alius dolorem sentit. Aucta sanguinis irritatio in uno organo spontaneas lucis perceptiones, in alio sonitum, in alio titillationem, dolorem etc. excitat."[1])

Id enuntiat „lex energiarum specificarum sensuum" (loi de la specificité des sens) a J. Müller 1826 statuta. Itaque energia specifica a defensoribus huius legis intellegitur proprietas sensuum, ut semper suam sensationem specificam eliciant, quomodocumque determinantur, sive excitamentis suis propriis („adaequatis") sive communibus („inadaequatis"), e. g. vi electrica, ut igitur qualitas sensationis non a determinatione, sed a natura specifica sensus pendeat. Lex generatim loquendo vera dicenda est.

Etiam *intra eundem sensum* diversae energiae specificae adesse possunt, quatenus diversae organi partes diversis coloribus, sonis, saporibus, calori et frigori percipiendis adaptatae sunt. Quod de calore et frigore, de sonis, de saporibus certum vel admodum probabile, de aliis autem sensibus non aeque certum est.

Attamen non propterea opinandum est, organa sensoria quibuslibet excitamentis aeque adaptata esse. Directe tantum suis propriis causis excitantibus accomodata sunt, neque raro aliena excitamenta speciali modo a se prohibent. Praeterea excitationes inadaequatae parum perfectas et claras perceptiones producunt. Fortasse etiam verum est, quod nonnulli physiologi opinantur, eas antea in organo peripherico (vel in cerebro) transformari in excitationes proprias et sic tantum organum sensorium determinare.

*§ 9. De indole cognoscitiva perceptionum

*138 Ope perceptionum sensuum certitudinem acquirimus de exsistentia et proprietatibus mundi externi corporei; prae-

[1]) *J. Müller:* „Ein Nerv sieht vom mechanischen Reiz ein leuchtendes Bild, der andere hört davon Brausen, der andere empfindet Schmerz. Der vermehrte Reiz des Blutes erregt in dem einen Organ spontane Lichtempfindungen, in dem andern Brausen, in dem andern Kitzel, Schmerz u. s. w." Handbuch d. Physiologie d. Menschen I^4 (1844) 667.

bent intellectui fundamentum, cui innixus perspicit et iudicat, extra nos res exsistere easque esse corpora certis qualitatibus instructa. Si homines vulgares interrogantur, cur iis ita persuasum sit, exsistere corpora tali figura, colore, duritie, odore praedita, respondere solent: quia video, tango, olfacio, supponentes plerumque, nos his perceptionibus immediate obiecta externa in se ipsis percipere seu perceptiones esse earum proprie dictas cognitiones.

Simili fere ratione antiqui scholastici cum Aristotele omnes sensuum perceptiones cognitiones proprie dictas habent, i. e. actus psychicos, qui imagines intentionales sint res externas earumque proprietates, sicut independenter a perceptione se habent, exhibentes.

1. Sed diligentior reflexio psychologica docere videtur, 139*
perceptiones sensitivas non esse proprie dictas cognitiones rerum externarum.

a) *Plerique sensus,* gustus, olfactus, sensus temperaturae, tactus, sensus organicus immediate nihil externum sive transsubiectivum in perceptionibus suis continent. Gustus et olfactus non exhibent quidquam ab actu distinctum, sed tantum affectionem subiectivam, quae sub diverso respectu ut perceptio (sui) et ut obiectum concipi potest; odor suavis enim vel dulcis sapor ut tales nihil sunt nisi gratae affectiones subiectivae cibo vel substantia odorifera excitatae, ut ne concipi quidem possint tales, quales percipiuntur, esse extra perceptionem. Idem dicendum est de sensu temperaturae, sensu kinaesthetico, organico; calor enim amoenus, frigus ingratum, dolor talia, qualia percipiuntur, extra subiectum non sunt, sunt enim tantum perceptiones affectionum subiectivarum, ut igitur calor ille, qui formaliter percipitur, et perceptio eius realiter unum idemque sint. Vocatur quidem illud etiam, quo fornax hunc calorem in nobis producit (motus molecularis), „calor", sed hic calor causalis non immediate percipitur. Etiam tactus ita resistentiam, duritiem et similia percipere videtur, ut pressionem sentiat per resistentiam externam in organis factam. De auditu dubitari possit.

*140 b) *Visu* quidem obiectum, quod immediate repraesentatur, non *ut* affectio subiecti exhibetur; tamen etiam ipsum affectio subiecti *esse* videtur, non vero res externa immediate apprehensa. Nam plerumque inter repraesentationem visus et rem externam talis difformitas est, qualis cum cognitione proprie dicta conciliari nequit: saepe res in se ingentes montes sunt, in repraesentatione autem res minimae sunt, res immotae in visu volantes apparent, oculus electrice affectus lucem repraesentat, qualis extra non est, daltonistae loco coloris rubri vel viridis album vel canum vident; hallucinatio, quae a perceptione saepe vix differt, res repraesentat, quales omnino non sunt. Praeterea, cum aliae sensationes certe non sint cognitiones proprie dictae, idem, nisi contrarium demonstretur, de visu dicendum erit. Visus quidem cum aliqua evidentia obiecta tamquam externa sive distantia exprimere videtur. Attamen ostendi nequit, hanc „evidentem" expressionem ipsi perceptioni inesse. Sed huic tam arcte actus phantasiae, memoriae, reflexionis admiscentur et cum ea confluunt, ut vix discerni possint. His autem plerumque efficitur, ut obiecta visu repraesentata tam clare a nobis distare videantur. Qui caeci nati sunt et postea visum recipiunt, statim post sanationem obiecta visa non eodem modo a se distantia percipiunt, sed corpora ferme oculos tangere sibi videntur.

*141 2. Perceptiones sensitivae sunt *reactiones psychicae repraesentativae excitationibus rerum externarum respondentes.*[1]) Reactiones sunt, diversae secundum diversa excitamenta, prout ad rubri vel flavi, duri vel mollis, ad rosae vel sulfuris impressionem oriuntur. Reactiones autem repraesentativae sunt, quia aliquid exprimunt, non vero sicut inclinationes aliquid appetunt.

Hac ratione perceptiones rerum externarum exsistentiam et proprietates manifestant. Exsistentiam manifestant, quatenus constat, perceptiones his rebus excitari. Proprietates autem externas manifestant, quatenus id, quod immediate

[1]) Cf. Criticam, De experientia externa.

repraesentant, cum rebus aliquo modo conforme est. E. g. si pratum viride oculos afficit, obiectum actui immanens est, attamen cum re transsubiectiva congruit, non quidem magnitudine aequali, attamen saltem figura. Hac ratione perceptio dici potest rem externam exhibere, quia repraesentat aliquid, quod est sicut res externa quodque eius vices gerit, sicut fere imago hominis cum homine congruit eiusque vices gerit. Ad criticam autem spectat examinare, in quantum haec conformitas adsit sive asseri possit.

*§ 10. De perceptione pura et amplificata

Adhuc singulas perceptiones tantum secundum se ip- 142*
sas spectavimus, prout determinatione sua excitatae obiectum suum proprium exhibent. At numquam aliqua perceptio sensitiva ita solitaria adest, sed semper alii actus cognoscitivi ei adiunguntur et cum ea in unum quoddam psychicum confluunt, sive perceptiones aliae sive, quod etiam frequentius accidit, cognitiones non perceptivae, velut repraesentationes imaginationis, memoriae sensitivae vel apprehensiones intellectuales. His efficitur, ut plus videamur videre et audire, quam perceptio secundum se sumpta exhibet, e. g. ut duas lineas iuxta positas tamquam parallelas, complures sonos tamquam consonantiam, ut certam rei distantiam percipiamus, quae in perceptione secundum se spectata non exprimuntur.

Itaque distinguendum est inter nudam perceptionem, quam *puram* vocemus, et perceptionem, quae praeterea alias additiones includit, quae *amplificata* vocari potest.[1]) Perceptio igitur amplificata saepe vel plerumque praeter elementa perceptiva partes non perceptivas includit, quae eam complent.

Elucet, vix non omnes perceptiones nostras amplificatas esse. Tales sunt, praeter exempla iam allata: si aspectis paucis litteris recte totum vocabulum lego, quia imaginatio perceptionem complet; si vocabula vitiose pronuntiata recte audio; si vocabula falso audio vel lego, quia perceptiones

[1]) Psychologi germanici perceptionem puram „Empfindung", amplificatam „Wahrnehmung" appellare solent.

puras vitiose compleo; si in imagine plana res ab oculo distantes percipere videor; si quis noctu rem innocentem tamquam spectrum percipit.

De quibusdam generibus perceptionum amplificatarum speciatim agendum est.

*143 I. **„Perceptio complexus"** sive „figurae" („Gestaltwahrnehmung") nunc obiectum peculiaris attentionis facta est. Perceptiones purae divisim singulas qualitates sive elementa mundi sensibilis percipiunt, rubrum, nigrum, punctum, sonum hunc et alterum. Revera autem phaenomena sensibilia non ita divisim et atomice, sed vix non semper multa elementa in unitates sive complexus collecta apprehendimus: complura obiecta divisim percepta (rubrum, rotundum, odoriferum, molle) tamquam „rosam", quatuor lineas tamquam „parallelas", complura elementa in imagine depicta ut „regionem", complures sonos ut „consonantiam", haec puncta ·:· vel ut crucem vel ut quadratum vel ut duas lineas parallelas apprehendere possumus.

Perceptio complexus igitur in eo consistit, quod complures partes distinctim perceptae ut aliquid unum et totum apprehenduntur. Ergo haec apprehensio plus est quam simplex summatio perceptionum. Superaddit apprehensionem relationis partium sive unitatis earum, qua ad aliquod totum formantur; quae apprehensio actus intellectus est, qui solus relationes percipit.

Recenti tempore primus *Ch. v. Ehrenfels*[1]) ad has perceptiones attentionem direxit. Ex eo tempore paulatim specialis psychologiae pars orta est, „psychologia complexiva" („Gestaltpsychologie"), quae atomisticae et pure associativae psychologiae se opponens hanc complexuum sive „figurarum" considerationem colit.

*144 **II. De perceptione spatii** (Raumwahrnehmung, perception de l'espace). In psychologia hodierna accurate inquiritur, qua ratione sensus spatium percipiant, quo nomine extensionem localem eiusque determinationes designant: quomodo

---

[1]) Über Gestaltqualitäten 1890.

igitur sensus obiecta sua tamquam extensa in longum, latum, profundum (distans) percipiant, utrum ista apprehensio sensationi ipsi iam insit, an vero per alia additamenta cognoscitiva ex pristina experientia sumpta producatur, ut igitur perceptio spatii perceptio amplificata sit. Sive aliter: quaeritur, utrum perceptio plani (longitudinis et latitudinis, Fläche) et profundi (Tiefe; profondeur, la troisième dimension) „nativa" an „empirica" sit.[1])

Quaestio imprimis ad *visum* refertur, qui maxima claritate res ut extensas repraesentat, deinde ad *tactum*, qui minore quidem, attamen etiam magna claritate obiecta ut corporea exhibet. Tactus autem in hac quaestione late accipitur, ut etiam sensum temperaturae, sensum kinaestheticum et organicum, ergo illos sensus includat, ex quibus potissimum conscientiam proprii corporis extensi accipimus.

Nativismus (J. Müller, W. James, Baldwin, Hering, Stumpf et fere plerique) generatim docet, expressionem obiecti tamquam plani et profundi seu distantis saltem aliqua ratione nativam esse seu perceptioni purae iam inesse; accuratiorem autem utriusque determinationem experientia hauriri admittit.

Empirismus (Helmholtz, Lotze, Wundt, Taine, Ribot, defensores associationismi, velut Th. Brown, James Mill, St. Mill,

---

[1]) Scholastici cum Aristotele in sensibus perceptivis *obiectum proprium et commune* distinguunt. Sensibile proprium est singulis sensibus peculiare, ut color visui, sonus auditui. Sensibile commune est extensio corporum cum determinationibus suis, magnitudine, figura, distantia, motu; haec enim non uno tantum, sed compluribus sensibus, visu maxime et tactu, percipiuntur. Addunt quidam cum Aristotele „sensibile per accidens", nempe substantiam. Substantia certe phaenomenis sensibilibus subest, attamen ipsa sensibus externis nullo modo percipitur, sed tantum ratiocinatione, evidenti quidem et obvia, phaenomenis sensibilibus subesse colligitur. Idcirco substantia nonnisi improprie „sensibilis" dicitur. *Aristoteles* sic obiecta sensus distinguit: Λέγεται δὲ τὸ αἰσθητὸν τριχῶς, ὧν δύο μὲν καθ' αὑτά φαμεν αἰσθάνεσθαι, τὸ δὲ ἓν κατὰ συμβεβηκός [per accidens]. Τῶν δὲ δύο τὸ μὲν ἴδεόν ἐστιν [proprium] ἑκάστης αἰσθήσεως, τὸ δὲ κοινὸν [commune] πασῶν. De an. II 6 (418 a 8). Expresse autem dicit, sensibile per accidens sensum non determinare ad sui perceptionem (ib. a 23) et tantum per iudicium perceptioni adiungi (De an. III 1 [425 a 20 ss.]). Eodem modo loquitur *s. Thomas* 2 An. l. 13; 1 q. 17 a. 2 3; 1 q. 78 a. 3 ad 2; 4 sent. d. 49 q. 2 a. 2 et alibi.

Bain) e contrario docet, eam sensationi per consuetudinem seu experientiam adici, quatenus perceptioni obiecti proprii aliae repraesentationes associentur et apparentem extensionis perceptionem producant. Si empirismi defensores ulterius de modo interrogantur, quo sic sensationi ex se expressionem extensionis non continenti ista perceptio adiciatur, alii aliter respondent. Quidam (Bain, St. Mill) eam ex perceptionibus muscularibus derivant, quas sentiamus, si manus per varias corporis percepti dimensiones tangendo moveamus. Alii cum Lotze et Wundt haec dicunt: in perceptionibus visus et tactus singula puncta organorum, nempe retinae et cutis, non eodem plane modo afficiuntur, sed minimis affectionis differentiis localibus discrepant diversis punctis propriis; ex his differentiis qualitativis non consciis, quae „signa localia" appellantur (Lokalzeichen), anima per vim sibi innatam extensionem sive expositionem quantitativam obiecti construit. — Iam igitur iudicium feramus.

*145 1. *Visum* quod attinet, a) *Perceptio plani generatim sumpta nativa* est. Id plerique psychologi hodierni asserunt. Clarissime enim cernimus, oculum colores ut extensos percipere et extensionem perceptioni colorum tam essentialem esse, ut ea remota perceptio evanesceret. Etiam caeci nati facta operatione statim, proinde sine ulla in videndo experientia, res similiter percipiunt. Praeterea explicatio, qua empiristae perceptionem plani ex associationibus empiricis declarare conantur, intellegi nequit. Anima apprehensionem extensionis construere dicitur ex elementis penitus inextensis, faciendo ex discriminibus mere qualitativis (perceptionum kinaestheticarum aliarumque affectionum subtilissimarum) diversitates quantitativas et locales. Iam vero intellegi nequit, quomodo ex summatione et coordinatione inextensorum extensio resultet. Proinde affirmandum erit, animam propria nativa vi et impulsu his elementis inextensis adicere expressionem quantitativam, quam ex se non habent (id empiristae saepe fere expresse concedunt). Sed ita empiristae in nativismum labuntur animae vim nativam extensionis repraesentandae adscribentes; non igitur elucet,

cur perceptio plani non statim sensationi originaria esse queat. Praeterea conscientia minime testatur, nos continuo tam ingentem multitudinem subtilissimarum affectionum distinguere et ordinare et quidem semper infallibili cum rectitudine, ordinem numquam turbando.

Sed *determinata magnitudo et figura* plerumque tantum perceptione amplificata apprehenditur: saepe praeter visum simul tactus adhibendus est, frequenter requiritur, ut oculos per dimensiones corporis feramus itaque perceptiones kinaestheticae oculorum ad magnitudinem mensurandam inserviant, vel ut rei distantiam attendamus itaque cum apprehensione maioris distantiae phantasma maioris magnitudinis associetur.

b) Ut *apprehensio profundi* sive distantiae rei ab oculo 146*
oriatur, multo magis elementa empirica concurrunt, quae perceptioni obiecti associantur: apparens magnitudo obiecti, ex qua veram distantiam conicimus, diversa claritas lineamentorum rei, perceptiones kinaestheticae in oculorum accomodatione et convergentia, multitudo rerum interpositarum et similia.

Haec etiam hodiernus nativismus concedit. Sed praeterea contendit, aliquam indeterminatam saltem perceptionem rei tamquam profundae sive distantis nativam esse. Quamdiu status inquisitionis experimentalis hac in re talis manet, qualis nunc est, videtur probabile esse, aliquam *indeterminatam profundi perceptionem,* qua obiectum indeterminate ut externum et aliquo modo distans sentiatur, sensationi visus nativam esse. Huic assertioni forte haud plerique ex ipsis empiristis contradicent, quippe qui saepe concedunt, res externas percipi, sicut fere nebula nos circumdans percipiatur, itaque non quidem sine ulla distantia, attamen omni discrimine distantiarum confuso. *Rationes* assertionis haec sunt. Sic imprimis melius vivida illa profunditatis apprehensio explicatur, quam in aspiciendis corporibus experimur; valde difficile est (ipsis empiristis confitentibus) satis declarare, quomodo associationibus supra indicatis vel similibus nullam visualem profunditatem continentibus illa

tam clara et spontanea visualis apprehensio profundi oriatur. Praeterea neque animalia recens nata neque infantes animadvertuntur initio tantum plana sine ulla profunditate seu distantia percipere.

Animalia recentissime nata non solum aliquam rerum distantiam percipiunt, sed saepe etiam satis accurate eam aestimant. Pulli gallinacei statim percipiunt distantiam granulorum, quae apponuntur, eaque rostro caedunt, aliae aves statim muscas praetervolantes recte arripiunt, porculus recens natus in sella positus post aliquam considerationem in genua procubuit et ex sella desiliit. In infantulis quidem vel hominibus ab initio caecis et postea sanatis non eadem observantur; sed neque etiam observatum est, eos omni distantiae perceptione carere.

Praecipuam difficultatem empirismo parat illa clara profunditatis apprehensio, quam accipio, si *visu binoculari* corpora propinqua aspicio. Tabula mensae, cui assideo, non plana mihi apparet, sed in quocumque eius puncto intuitum figo, simul partes isto puncto anteriores et posteriores clare ut anteriores et posteriores percipere videor. Id accuratius hoc experimento ostenditur. Si duas acus in eadem ab oculo distantia seu in eodem plano mihi adverso prae oculis pono et unam aspicio, altera non duplicata, sed simplex apparet, quia radii eius in puncta correspondentia retinae incidunt (n. 115). Si deinde hanc alteram aliquantulum extra illud planum dimoveo, ut paulo ante vel post stet et sic radii in puncta non plane, attamen fere correspondentia incidant, acus statim non quidem duplicata, attamen anterior vel posterior cernitur („disparatio binocularis").

*147 In hoc etiam usus *stereoscopii* fundatur. Corpus, e. g. cubus, paulo aliter apparet oculo dextero quam sinistro, quia ex diversa parte aspicitur. Si igitur hae duae apprehensiones sive imagines eiusdem rei paulum discrepantes in duabus cartis delineantur et cartae in certa distantia sic ponuntur, ut una tantum uno oculo, altera altero aspiciatur (itaque radii, utpote non plene convenientes, in partes retinae fere correspondentes incidant), perceptio corporeitatis oritur, quamquam cartae planae sunt.

*148 c) *Motus* rei percipitur, quatenus perceptio pura visus continuam mutationem loci sive distantiae videt simulque intellectus manentem rei identitatem apprehendit. Visus autem solum motum relativum percipit; sentit enim obiectum secundum imaginem retinalem, ergo ut motum, si imago in retina movetur (sive hoc accidit, quia ipsum obiectum movetur, sive quia nos in videndo movemur), ut quiescens vero, si non movetur. Percipit igitur tantum, rem respectu nostri moveri.

*149 2. *Tactus,* prout simul sensum temperaturae, kinaestheticum et organicum complectitur, pariter vi nativa sensa-

tionis purae corporeitatem per tres dimensiones percipit, imprimis quod corpus proprium attinet.[1])

a) Si experimenti causa in aliquo, oculis clausis, extrinsecus duabus in cute punctionibus duae sensationes producuntur, eas clare tamquam duas localiter distantes percipit, etsi invicem simillimae sunt, et quando distantia punctionum crescit, etiam distantiam sensationum crescere percipit, quae igitur distantiae sensatio ipsi perceptioni purae inest; determinata quidem apprehensio regionis corporis ex hoc oritur, quod tactui visualis imago regionis corporis associatur.[2]) Simili ratione immediate et directe percipimus diversum situm localem membrorum nostrorum eorumque motus in diversas dimensiones, et quidem ita, ut statim ipsas partes symmetricas discernamus, num perceptio in dextera an in sinistra parte sit; sed etiam haec apprehensio imagine visuali associata accuratius determinatur.

b) Caeci nati, in quibus nulla associatio imaginum visualium adest, completam repraesentationem corporeitatis habent, tum quod corpus proprium tum quod res externas attinet; quae igitur ex pura perceptione tactili hausta est. Eodem modo enim sicut alii sensationes recte diversis membris attribuunt, partes dexteras et sinistras, superiores et inferiores, anteriores et posteriores distinguunt. Pariter in rebus externis supra et infra, prope et remote discernunt, distinguunt figuras geometricas, conficiunt plasticas imitationes corporum, quae tetigerunt, geometriae student. Neque facta operatione chirurgica ullam oppositionem inter mundi corporeitatem, quam antea solo tactu et quam nunc oculis percipiunt, detegunt, sed utramque convenire apprehendunt.

3. *Auditus* perceptiones spatiales parum praebet. Sonos enim non ut res extensas sentimus. Distantiam eorum aliquatenus percipimus, potis-

[1]) Spatium, in quantum visu apprehenditur, vocari solet „spatium visuale" (Gesichtsraum, espace visuel), in quantum tactu apprehenditur, „spatium tactile" (Tastraum, espace tactile). — [2]) Haec associatio saepe asseritur sic fieri, ut non (solum) sensationes tactiles, sed statim diversi nervi sive partes cerebrales, quibus sensationes tactiles alligatae esse solent, correspondentes imagines visuales in convenientibus cerebri partibus excitent.

simum ex eorum intensitate et qualitate (Klangfarbe, timbre). Ex qua parte vero sonus adveniat, ex eo potissimum colligimus, quod vel in aure dextera vel sinistra fortius auditur; infantes iam secundo vitae mense in eam partem se convertunt, ex qua vox matris iis advenit.

*150 III. De perceptione temporis. Ex quo Kant coniunctim spatium et tempus inquisitioni criticae subiecit docens, utrumque esse tantum apparentiam subiectivam per innatas formas intuitus productam et quidem spatium apparentiam productam per formam sensibilitati externae innatam, tempus vero per formam internae sensibilitati innatam, in philosophia hodierna pariter coniunctim de spatio et tempore quaestio institui solet et quidem hoc loco haec quaestio, quomodo praeter spatium etiam tempus percipiamus. Tempus autem hoc loco duratio successiva alicuius eventus vel successio complurium inter se intellegitur. Quaestio autem proposita non est criteriologica, utrum nempe successio rerum externarum, quam percipimus, vere realis sit necne (quod sane affirmandum est). Sed quaestio est psychologica, utrum perceptio iam ipsi perceptioni externae sensus insit, an fortasse aliis, maxime internae conscientiae actibus efficiatur.

Diversa dantur responsa, aliis magis nativismo, aliis empirismo potius addictis. Dicendum est, nos tempus, i. e. durationem successivam alicuius eventus sive successionem complurium inter se, tantum *ope conscientae internae* percipere.

Successionem duorum, velut fulguris et tonitrus, verborum loquentis, pulsuum campanae, duarum positionum corporis moti, ita percipimus, ut perceptionem praesentem et in ea obiectum praesens (tonitrum) experiamur et simul memoria teneamus aliam perceptionem (fulguris), quae modo fuit et non iam est. Perceptio externa sensuum per se solam tantum diversos sonos, fulgur et tonitrum, diversas positiones corporis sentit, non autem ipsam successionem ut talem, quippe quae nec sonus nec color nec figura sive positio localis nec aliud obiectum proprium sensus externi est.

Durationem successivam eiusdem eventus, velut durationem doloris vel soni, simili ratione percipimus, nempe ex successione propriorum eventuum vitalium (actionum, cogitationum, perceptionum), quae cum illo eventu fluunt sive fluxerunt.

Hac ratione per internam experientiam *temporis longitudinem* mensuramus, percipiendo sive aestimando, quot proprii eventus ei coexsistant. Unde declaratur, cur, si mora temporis magna actuum propriorum copia impletur, si multa videntur, audiuntur, si fluxus cogitationum celer est, tempus longius appareat, et, si in aliquo eventu duratio eius attenditur, mora eius longior, si ipse in se tantum attenditur, mora brevior appareat. Ideo dolores diuturni, iucunda brevia esse videntur.

Limen temporale (Dauerschwelle) sive minima temporis mora, quam percipere possumus, videtur infra 2σ esse ($\sigma = 0{\cdot}001$ sec.). Auditus enim sonos hoc temporis intervallo atque etiam minore distantes distinguere potest.

*§ 11. De sede perceptionum sensitivarum

Ex eo, quod productio perceptionum praecipue a coope- 151*
ratione cerebri et maxime corticis cerebralis pendet, physiologi et psychologi hodierni concludere solent, omnes sensationes in cerebro fieri et esse, organa vero peripherica sensuum, velut nervos tactiles cutis, organa kinaesthetica musculorum et articulorum, etsi in iis videantur perceptiones inesse, tamen revera sensationes non producere, verum tantum passive excitationes recipere et per nervos ad cerebrum transmittere. Si interrogantur, quomodo itaque fiat, ut videamur nobis in pede dolorem, in manu sensationem tactus habere, respondent, id fieri per *localisationem*[1]), qua per operationem quandam psychicam absque clara conscientia sensationem ad illam partem referamus, quae excitationem recipit, e. g. in manum, quae vulnus passa est. Si ulterius quaeritur, cur sensationem ad illam partem referamus, nativistae localisationem institutioni naturae, empiristae experientiae acquisitae et consuetudini tribuunt. Nativistae dicunt, hanc simpliciter esse institutionem naturae, ut sensatio in punctum periphericum proiciatur, ex quo excitatio advenerit, determinatam autem repraesentationem regionis corporis ex eo oriri, quod eius imago visualis associetur. Empiristae autem asserunt, totam localisationem ex tali associatione provenire, quatenus e. g. certae sensationi tactili associetur repraesentatio manus, quoniam saepe aspexerimus talem tactum in manu produci.

*Th. 2. **Perceptiones sensitivae non omnes in cerebro, sed in illis organis esse videntur, in quibus percipiuntur.**

Declar. Non est dubium, quin repraesentationes phan- 152*
tasiae in cerebro sint; neque eas alibi esse percipimus.

[1]) Terminus *localisatio* in hodierna psychologia diverso modo adhibetur: 1) De *actu* dicitur et quidem a) saepe enuntiat, aliquem actum *pendere* a certa parte nervorum (n. 53); sic dicuntur multae innervationes motoriae et sensationes tactiles in parte cerebri parietali, perceptiones visuales in occipitali localisatae esse. b) Saepe dicit, sensationem, etsi reapse tantum in cerebro producatur et sit, tamen *referri* a nobis in partem periphericam: de qua localisatione nunc loquimur. 2) De *obiecto* dicitur et enuntiat, obiectum visu apprehensum in certa parte spatii externi collocari, e. g. in certa distantia ab oculo.

Neque dubium est, quin cerebrum ad omnes perceptiones sensitivas ut praecipuum organum cooperativum active concurrat. Sed affirmanus, perceptiones eas, quas clare in aliis partibus corporis inesse percipimus, non in cerebro, sed vere in illis organis esse, in quibus esse percipiuntur. Qualis sit in hac sensationis productione cooperatio inter cerebrum et organum periphericum, obscurum est, sicut pleraeque interiores rationes eventuum psychicorum. Non videtur autem tantummodo in eo consistere, quod cerebrum solum excitationem physiologicam praerequisitam compleat, sed in hoc etiam, quod ad ipsam productionem perceptionis causalitate psychica cooperatur, quatenus anima simul cerebrum et organum periphericum informans utroque utitur, attamen ita, ut activitas cerebri causalitate organi peripherici compleatur et in hoc sensatio absolvatur.

Non omnium sensuum perceptiones eadem claritate sentimus in organis periphericis esse. Actus videndi esse in oculo, actus audiendi in aure, non vero in propinquo cerebro, minus clare discernimus, sed ex analogia cum aliis sensibus concludere possumus, de quibus conscientia manifestior habetur. Clare autem perceptiones tactiles, kinaestheticas, perceptiones caloris ac frigoris et organicas in periphericis organis sentimus; non quidem sic, ut haec experimentalis perceptio statim accurate circumscriptum organum exprimat, sed ut saltem indeterminate experiamur, sensationes esse in parte superiore vel inferiore, dextera vel sinistra, eas magis vel minus distare, magis minusve expandi. Determinata expressio regionis corporis plerumque imagini visuali debetur, quae perceptioni associatur, quia saepe vidimus tales affectiones in istis corporis partibus excitari.

Thesim allatam propterea statuimus, quia sententia opposita periculum inferre videtur doctrinae supra tractatae de origine sensationis a corpore, pariter certitudini de exsistentia corporis proprii corporumque externorum et generatim veracitati experientiae nostrae. Thesi subscribunt

omnes scholastici veteres, sensum communem hominum sequentes, ex neo-scholasticis autem plerique.

Demonst. 1. *Clara conscientia* percipimus, multas saltem perceptiones sensitivas non in cerebro, sed in aliis partibus corporis a cerebro distantibus. Valde clare enim experimur, etiam oculis clausis, tactum capitis et tactum pedis non in eodem loco esse, sed multum distare, tactum in manu dextera et simillimum in sinistra esse in partibus diversis et a cerebro distantibus; experimentis constat, duas simillimas perceptiones duabus punctionibus in cuto oculis clausis productas tamquam inter se distantes sentiri et crescente distantia punctionum etiam maiorem distantiam perceptionum sentiri; perceptiones musculares ibi esse sentimus, ubi motus ipsi fiunt, et perceptiones situs membrorum pariter in illis iisdem membris sentimus, quae illum situm habent. Atqui quod clara conscientia percipimus, verum admittendum est: Si enim naturali evidentiae conscientiae, quae actus intellectualis est, fidere non possumus, nulli iam evidentiae fidere licebit, sed scepticismum incurrere oportet. Ergo perceptiones sensitivae non omnes in cerebro, sed in illis organis inesse videntur, in quibus percipiuntur. 153*

Aliter. Si sensationes non ibi sunt, ubi sentiuntur, aut cum nativistis dicendum est, hanc esse institutionem naturae, ut dolor ibi reapse percipiatur (in pede), ubi non est, aut cum empiristis asserendum est, tantum associatione (imaginis visualis pedis) fieri, ut dolor in parte peripherica percipi falso putetur. Atqui neutrum admitti potest. Non prius, quia intolerabile est admittere, naturam continuo cum necessitate hanc falsificationem producere, ut ibi, ubi vehemens dolor esse dicitur (in cerebro), nihil percipiamus, ubi vero nullus est (in pede), dolor percipiatur, ut ibi, ubi nihil movetur, sensatio muscularis percipiatur, ubi vero musculus reapse movetur, nihil sentiatur. (Neve dicatur, dolorem in cerebro esse, sed non sentiri. Dolor enim eo adest, quod sentitur.) Alterum admitti nequit, quia imagini visuali quidem debetur, ut determinatam apprehensionem membri, non autem ut aliquam indeterminatam habeamus. Etiam 154*

abstractione facta ab associata imagine conscientia clare refert, perceptiones in diversis partibus esse. Praeterea constat, etiam caecos natos, in quibus nulla associatio imaginum visualium esse potest, idem percipere et perceptiones diversis partibus sinistris et dexteris, superioribus et inferioribus attribuere.

*155 2. Si sensationes non in illis partibus insunt, in quibus percipiuntur, labefactatur certitudo, quam habemus, *nos corpus habere* et *corpora externa* exsistere.

a) Nam *me habere corpus* sive substantiam meam etiam organis corporeis constitui, tantum propterea mihi conscius sum, quia evidenter ego meum extensum sive ex partibus distantibus constare percipio, i. e. quia me in illis partibus perceptionibus tactus, caloris, doloris affectum esse experior (cf. n. 89). Iam vero haec conscientia fallitur, si sensationes ibi minime sunt, ubi percipiuntur.

Aliter. Veracitate huius conscientiae non concessa ex eo tantum concludere possem, me corpus habere, quod sensu externo percipio, aliquod corpus me comitari, in me agere, mihi dolorem facere, si verberatur, a me varie affici. Sed (1) haec non est illa evidens cognitio naturalis, qua omnes sibi perpetuo conscii sunt, se corpus habere; non propterea huius conscii sunt, quia concludunt, se corpus habere, sed quia immediate corpus ut suum sentiunt. (2) Conclusio ipsa dubia est. Hac via tantum inferre possem, hoc corpus, quod me comitari video, mihi aliqua unione, non autem, mihi unione entitativa ut partem constituentem unitum esse. Etiam vestem video me comitari, mihi dolorem facere, si verberatur, a me affici; non tamen propterea mihi ad unam naturam unitur.

b) Neque tuto iam demonstrari potest, *corpora externa exsistere.* Si clarum testimonium conscientiae de corpore proprio error est, neque sensibus fides adhiberi potest, quatenus corpora externa repraesentant.

Itaque non satis tuta videtur esse sententia, quae tam gravibus dubitationibus ansam dat. Moderni quidem psychologi et physiologi, qui facile ad sententias idealisticas acce-

dunt, his dubitationibus parum moventur. Attamen philosophia, quae realismum tueri contendit, iis moveri debet.

3. *Dolor* finem a natura praestitutum habet, ut indicet, 156*
ubi in corpore laesio facta sit, ut remedium afferatur. Atqui huic fini parum congrueret, si natura dolorem non ibi posuisset, ubi laesio facta est, sed in cerebro, ubi nulla laesio est. Ergo dolor et pariter aliae perceptiones ibi sunt ubi sentiuntur.

Etiam *structura organorum* periphericorum admodum subtilis indicare videtur, ea non solum stationes excitatorias esse.

4. Sententia, cui tam graves rationes obstant, admittenda 157*
tantum esset, si rationibus convincentibus demonstraretur. Atqui talibus *minime demonstratur.* Etenim

a) Coniunctione organi cum cerebro interrupta nulla quidem sensatio fit. Sed inde sequitur quidem, coniunctionem cum cerebro ex institutione naturae necessariam esse et cerebrum quoque active cooperari ad sensationem, non vero ibi sensationem ipsam sedem habere.

Ceterum in animalibus non semper cerebrum ad omnes sensationes absolute necessarium sit. Notum est, non solum pisces cerebro maiore carentes videre, sed etiam animalia perfectiora, ranas, columbas, gallinas, canes, quibus cerebrum amputatum est, videre et audire, obstacula vitare, apte serpere, saltare, currere, volare, famem et sitim experiri. In his igitur animalibus centra subcorticalia et organa peripherica sine cerebro facultatem producendi sensationes habent. Sin autem organa animalium multo imperfectiora hanc potestatem habent, nequit organis humanis multo perfectioribus potestas denegari, ut saltem cum cerebro sensationem producere valeant. (Etiam infans humanus inventus est cerebro magno penitus carens, qui pauca quidem, attamen aliqua saltem signa perceptionum tactus, gustus, sensus organici edebat: bibebat ex lagena et quidem solum lac, non aliam substantiam, clamare cessabat, si caput eius fricabatur vel mater eum ad se attrahebat.[1]) Quae osten-

[1]) *A. Edinger* u. *B. Fischer,* Ein Mensch ohne Großhirn. Archiv für d. gesamte Physiologie 152 (1913) 535 ss.

dunt, in homine magis quidem necessariam esse coniunctionem cum cerebro, ut organa peripherica sentiendi potestatem exerceant, sed simul etiam, ea hac sentiendi potestate non carere.

b) Provocant ad varias dubitationes et errores de sede sensationum, ut si quis de loco doloris in visceribus dubitet et praesertim si quis dolorem in brachio iam amputato sibi sentire videatur. Quando dolor in visceribus percipitur, locus doloris perceptione ipsa tantum obscure refertur et per imaginem visualem accuratius determinatur, ut igitur nonnumquam dubium manere vel deceptio oriri possit. Si cui brachium amputatum est, dolorem in extremis nervis, ubi amputatio facta est, excitatum propterea in parte amputata sibi sentire videtur, quia cum perceptione doloris constanter imaginatio brachii amputati et reproductae pristinae perceptiones musculares et organicae brachii associantur et confluunt; quia igitur in sensatione ipsa locus obscurius exprimitur, deceptio oritur. Ceterum perceptio brachii in amputato non est eadem sicut in homine sano. Initio vivacior est, deinde sensim minuitur et saepe evanescit et pro varia attentione variatur; praesertim notandum est, plerumque membrum amputatum corpori propinquius et abbreviatum apparere, manum amputatam apparere quasi tangentem humerum et crus amputatum quasi prope medium corpus situm.

*158 c) Si nervus ulnaris in ulnis premitur, orta sensatio localisatur in digitis, si n. gustatorius prope chordam tympani in aure excitatur, producta sensatio gustus in lingua localisatur; generatim in quacumque parte nervus sensorius excitatur, orta sensatio localisatur in fine huius nervi seu in organo peripherico, in quo scimus excitationes normales fieri (lex proiectionis excentricae). Ergo talis localisatio sensationis in organo, in quo non est, admittenda est. — *Resp.* D. hae sensationes in illis organis periphericis, in quibus inesse percipiuntur, vere producuntur, etsi prima excitatio in parte distanti fit, vel (ut in exemplo n. gustatorii) aliqua illusio oritur, quatenus ob propinquitatem organum et cerebrum non satis discernuntur C. aliter N., donec probatur.

d) Itaque saepe sensatio percipitur, ubi non est. Ergo perceptio sedis non est legitimum argumentum. — *Resp.* D. ant. percipitur perceptione pura et originaria N. perceptione amplificata et cum imaginatione permixta C.

e) Hallucinatio producitur in solo cerebro. Atqui hallucinatio non differt a perceptione. Ergo etiam perceptio in solo cerebro producitur. — *Resp.* D. mai. in cerebro producitur et simul clare sentitur extra cerebrum sedere N. (donec probatur); non percipitur extra cerebrum sedere C. Tr. min. (vel D. min. non differt interna claritate, saltem nonnumquam C. non differt eo, quod hallucinatio ex specie memoriali in cerebro posita provenit, perceptio autem minime N.)

f) Species memoriales a perceptionibus relictae in cerebro deponuntur. Iam vero certe ibi deponuntur, ubi perceptiones sunt. Ergo perceptiones sunt in cerebro. — *Resp.* C. mai. D. min. ibi deponuntur, ubi sunt vel entitative vel active ratione organi principaliter cooperantis C. tantum ibi, ubi sunt entitative N.

g) Perceptio doloris solum dolorem, non etiam locum eius percipit. — *Resp.* N. Quia dolor affectio certi organi est, conscientia eius etiam perceptio certi organi esse potest.

Art. 4. **De sensibus reproductivis**

Sensus reproductivi illi sunt, qui obiecta aliquando sensu percepta nulla nova ab iis excitatione accepta iterum repraesentant.[1]) Sunt vero phantasia et memoria. Utriusque discrimen hoc solum est, quod phantasia perceptiones habitas simpliciter reproducit, memoria autem praeterea eas ut aliquando habitas recognoscit. Ergo nihil impedit, quominus utraque realiter una dicatur potentia, quae duplicem actum habeat, unum incompletum, alterum completum, ut igitur ratione duae facultates distingui possint. 159

§ 1. De phantasia

Phantasia est sensus in cerebro collocatus, qui perceptiones aliquando habitas reproducit. Reproductiones sive repraesentiones ipsae vocantur phantasmata.

1. **Discrimina phantasmatum a perceptionibus** tanta sunt, ut ordinarie cum perceptionibus non confundantur. Aliter enim omnis cognitio et vita perturbarentur. Discrimina ordinaria haec sunt: 160

a) *Intensitas* sive vivacitas phantasmatum multo minor est intensitate perceptionum. Sed diversos gradus habet. Vivide plerumque reproduci possunt obiecta visus et soni,

[1]) Quomodo psychologice explicandum sit, ut obiecta aliquando percepta ita in nobis aliquatenus permaneant, ut iterum repraesentari possint, infra exponetur: De reproductione idearum.

minus vivide odores, sapores, dolores. Vividiora sunt phantasmata in iuventute quam in aetate provectiore, vividiora plerumque in feminis quam in viris, vividissima nonnumquam in artificibus, pictoribus, musicis, architectis, poetis. Intensitas etiam ab exercitio pendet; plerumque maior est in iis, qui multum in exercitio sensuum occupantur, quam in viris abstractis studiis deditis. Aliquando intensitas tanta fieri potest, ut prope ad perceptionem accedat.

b) Phantasmata minus *distincta* sunt quam perceptiones. Plerumque partes obiecti repraesentati parum discernuntur, multa desunt, alia miscentur, saepe reproductio quasi dimidiata est, ut si nomen „in lingua haerere" videtur vel non plus scitur, quam nomen esse breve, longum, plusminusve sonorum.

c) Phantasmata *instabilia* et fluxa sunt, perceptiones autem diu immobiliter perseverare possunt. Obiecta percepta certo loco affixa manent, non autem repraesentata.

d) In perceptionibus parum conscientiam habemus, nos *activos* esse, magis autem et saepe multum in reproductionibus, ut non raro etiam in capite contentionem sentiamus, quae rugis in fronte apparentibus se manifestat.

Haec discrimina quidem plerumque adsunt et magna sunt. Attamen interdum minui et phantasmata ad perceptiones (hallucinatorias) accedere possunt.

161 2. **De typis repraesentativis.** Typi psychologici generatim sunt modi speciales constantes, quibus facultates psychicae operantur. Hac ratione de typo practico et theoretico, intellectuali et emotionali atque etiam de typis repraesentativis loquuntur. Quorum proprium est, ut in repraesentando unus sensus praeter consuetum claritate et usu praevaleat, veluti si pictores extraordinario vigore colores et figuras, musici melodias repraesentant. Distingui solet typus *visualis, auditivus* sive acusticus, *motorius* sive kinaestheticus, prout vel repraesentationes visuales vel auditivae vel kinaestheticae praevalent. Typus visualis numeros, quos repraesentat, in tabula descriptos repraesentat, typus auditivus vocabula eorum, quae legit, intus audire sibi videtur, typus

kinaestheticus denique intus quasi eloquitur, quae repraesentat, quatenus perceptiones kinaestheticas, quas in loquendo habet, reproducit.[1]) Puri typi, qui totum ambitum repraesentationum comprehendant, rari sunt. Inveniuntur, in quibus typus visualis tantum in vocabulis, non autem in rebus repraesentandis apparet, vel e contrario. Etiam mixtiones typorum reperiuntur. Generatim in rebus repraesentandis phantasmata visualia, in vocabulis autem repraesentandis auditiva et motoria praevalent.

Manifestum est, propter intimam cooperationem inter phantasiam et intellectum etiam hunc haec typorum discrimina participare.

3. **De phantasia productiva** (schöpferische Ph., l'imagination créatrice). Licet phantasia nihil repraesentare possit, quod in sensu perceptivo non fuerit, et sic essentialiter reproductiva sit, tamen sub alia ratione etiam productiva est, quatenus obiecta reproducendo mutare et sic nova obiecta construere potest. Sub hoc respectu speciatim facultas *imaginandi* (Einbildungskraft, l'imagination) vocatur.[2]) Duplex activitas huc spectat: a) *divisiva,* quae ex perceptionibus praeteritis alias partes obiecti separat, alias retinet, b) *combinativa,* quae diversa obiecta vel partes eorum coniungit. Operatio productiva vel pure spontanea, absque directione intellectus est, ut in somnio, aut sub eius directione peragitur. Imaginatio intellectu apte gubernata mater artium fit: fingit enim conceptiones poeticas, melodias musicas, nova obiecta artis plasticae, architectonicae, mechanicae, creat 162

---

[1]) Typo visuali adnumerari potest „eideticus", qui appellatur (E. Jaensch), cuius repraesentationes (fere tantum visuales spectantur) generatim insolita claritate excellunt. Hic typus satis frequens in pueritia, rarior in posteriore aetate et cum diversa frequentia in diversis locis et condicionibus reperitur. In talibus pueris et puellis somniationes vividae, maiores distractiones in scholis, falsae narrationes rerum, praesertim si excitati sunt, observantur. — [2]) Saepe etiam nomen phantasiae ad designandam facultatem imaginandi restringitur, ut igitur duplex significatio vocis phantasiae distinguenda sit, una generalior, qua significatur facultas sensitiva reproductiva, altera strictior, qua significatur eadem facultas, quatenus productiva est. — Porro similis activitas productiva, qualis in phantasia, etiam in intellectu invenitur. Quare etiam haec operatio intellectualis interdum „imaginatio" appellatur.

typos ideales. Hac ratione adminiculum *inventionis* evadit, ita tamen, ut, praesertim si inventio non tantum fortuita, sed studio quaesita est, partes praecipuae intellectui, imaginationem gubernanti, tribuendae sint.

Activitati productivae aliquatenus adnumerari potest *completiva,* qua fit, ut phantasmata repraesentationibus sensus et intellectus se inserant easque recte vel falso compleant et modificent. Huic activitati debemus, ut celeriter legamus, quatenus paucis litteris aspectis phantasia totum vocabulum aliunde notum sistit, ut litteras male scriptas legere et male loquentes intellegere possimus, ut rerum distantiam et distantium magnitudinem naturalem percipere videamur. Generatim hac actione multae vel pleraeque perceptiones „amplificatae" oriuntur, de quibus supra tractavimus (n. 142). Sed etiam deceptiones et multi intellectus errores hac ratione oriuntur. Eadem activitas facit, ut loco veri vocabuli pronuntiati falsum audiamus, ut falsa verba legamus, denique ut in loquendo verba vitiemus ob associationum permixtiones; pronuntiamus e. g. „idensitas" miscendo identitatem et intensitatem, vel permiscemus vocabula („ambulat in domo tecti sui").

163 4. **Momentum phantasiae.** Magnus est phantasiae *influxus* in reliquam vitam, in *vegetativam:* repraesentatio rei fastidiosae vehementem nauseam et vomitum provocare potest, imaginatio cibi delicati salivam contrahit, vivida imaginatione morbi nervei contrahi, sed etiam sanari possunt — in vim *motivam:* e. g. repraesentatio motus exsequendi ad eundem motum faciendum impellit — in *intellectum,* quem phantasia perpetuo comitatur et iuvat, ut intellectus sine phantasmate cogitare nequeat, cui sensibiles imagines offert, vigorem et mobilitatem dat, sed quem etiam penitus decipere et sibi subiugare potest, si ei libere frena laxantur — in *appetitum:* provocat emotiones, passiones, trahit voluntatem. — Qualis sit vis phantasiae in homine, e. g. in hypnotismo cernitur.

Imaginatio vehementer *affectibus* regi solet, qui per imaginationem ulterius intellectum movent. Amans retinet, quae in hominibus amatis ei placent in moribus, voce, vultu, eaque exaggerat, alia vero neglegit. E contrario odio agitatus ea reproducit et auget, quae displicent, ab aliis autem attentionem avocat. Qui ira excitatus vel tristitia absorptus est, totus in iis repraesentandis haeret, quae hunc affectum nutriunt.

5. **Deceptiones phantasiae.** a) Deceptiones ordinariae frequentissimae sunt illae, in quibus *imaginatio perceptiones falso complet,* velut quando verba falso legimus vel audimus. 164

Huc speciatim *illusio,* quae dicitur, pertinet, qua res aliter, ac sunt, clare percipere videmur, veluti si quis noctu strepitum percipiens voces insectantis audire existimat vel arborem pro spectro habet vel si amentes ex aliorum colloquiis voces minaces se audire arbitrantur. (Hae sunt illusiones imaginativae. Etiam illusiones pure intellectuales habentur ex sola mentis cogitatione oriundae, quales sunt, si quis ingenium et vires suas maiores existimat, quam sunt, et opera aggreditur, quibus par non est.)

Illusiones plerumque correctione auferuntur. Hallucinationes autem, saltem si perfectae sunt, raro reflexione removeri possunt.

b) *Hallucinationes* sunt deceptiones in eo sitae, quod videmur obiecta percipere, e. g. personas videre, voces audire, quae omnino non sunt.[1]) Hallucinationes sunt reproductiones sensitivae usque ad claritatem et intensitatem perceptionum auctae et a veris perceptionibus eo tantum differunt, quod hae extrinsecus, hallucinatoriae autem a centris nerveis excitatae sunt. Hallucinationes etiam evenire possunt, quando organa peripherica sensoria penitus deleta sunt. Hallucinationes ordinarie in somniis locum habent. Praeterea accidunt in hypnosi, in aegrotationibus nervorum, e. g. in amentia, in infectionibus venenatis cerebri ex morphio, haschisch, alcoholio provenientibus, in cerebri hyper- 165

---

[1]) Occurrunt etiam „negativae" hallucinationes in eo positae, quod aliquid, quod coram est et in sensum agit, tamen non percipitur, e. g. si hypnotisatus non percipit hominem coram stantem, quem hypnotisans non adesse ei suggerit.

aemia vel anaemia. Etiam diuturno defectu vel nimia contentione sensuum provocari possunt; qui e. g. diu in tenebris versatus est, propensionem ad hallucinationes pati solet. Pariter febri, frigore, vehementibus affectibus producuntur. In quibusdam personis etiam peculiaris dispositio ad hallucinationes patiendas vel producendas invenitur. Tales dispositiones in aliqua regione etiam frequentes esse et hereditate transmitti possunt, ut hallucinationes ibi valde saepe inveniantur; quo spectant visionarii illi in Scotia et Westfalia („Kieker") frequentes, qui „visu secundo" praediti esse dicuntur.[1])

Ab hallucinationibus perfectis, de quibus modo sermo fuit, distinguuntur imperfectae sive *pseudohallucinationes,* quae sunt phantasmata praeter ordinem vivida et perceptionibus similia, sed ita, ut a perceptionibus discernantur.

Multae *visiones,* quae narrantur, veluti moribundorum, visiones Swedenborgii aliaeque absque dubio merae hallucinationes sunt. Attamen non propterea omnes visiones et exstases Sanctorum, ut multorum opinio fert, hallucinationibus adnumerandae sunt. Imprimis suppositio, quae huic opinioni subest, neganda est, quasi verae visiones divinitus productae evenire nequeant. Praeterea saepe nullum in his personis signum aegritudinis psychicae vel nerveae apparet neque alias hallucinationes patiuntur; saepe etiam alii eventus certo praeternaturales, ut splendor, elevatio a terra cum illis visionibus coniunguntur; denique saepe per totam vitam iis firmiter persuasum manet, se res reales vidisse.

166 c) *Synaesthesia* est aliud factum plus minusve anormale hallucinationi et illusioni cognatum. Synaesthesia in hoc consistit, quod alicui perceptioni sponte sensatio ex alio sensu sumpta cum magna claritate adiungitur. Ita aliquibus vox audita A flava, vox O rubra, I caerulea, U nigra apparet, aliis melodiae auditae albae, rubrae, violaceae esse videntur (audition colorée), immo aliquibus singuli hebdomadae dies varios colores, fer. III viridem, fer. IV rubrum habere videntur. Accidit etiam, etsi raro, ut odores et colores ita coniungantur. Tales synaesthesiae maxime in hominibus vivida phantasia praeditis, in poetis, pictoribus, musicis inveniuntur et in pueris etiam frequentius quam in adultis.

Manifestum est, in synaesthesia praesentem perceptionem secundum nexum quendam alteram sensationem excitare, fortasse interdum sic, ut statim alterum organum perceptivum afficiat, e. g. auditio nervos opticos, itaque perceptionem visualem determinet, plerumque autem sic, ut solum in phantasia imaginationem admodum vividam alterius generis excitet. Qualis hic nexus sit inter perceptionem praesentem et alteram sensationem excitatam, non semper clarum est. Sed sine dubio plerumque

[1]) Cf. infra, De visu secundo.

leges associationis sequitur: vel sensationes nunc coniunctae aliquando, fortasse in iuventute, saepe simul fuerunt et associatae manserunt, ut dies hebdomadae et certi colores, certae melodiae et color instrumenti musici, vel obiecta similitudine quadam conexa sunt seu similia sentimenta excitant, ut sonus profundus et color obscurus, sonus altus et color lucidus.

*§ 2. De memoria sensitiva

Memoria sensitiva sensationes habitas reproducit easque ut aliquando habitas et eorum obiecta ut aliquando cognita recognoscit (reminiscentia). Sub respectu priori memoria non differt a phantasia, posterior autem activitas ipsi propria est. 167*

Hominem *habere* praeter memoriam intellectualem etiam distinctam memoriam sensitivam, ex hoc solo iam manifestum redditur, quod etiam bruta eam habent, quae beneficii accepti et iniuriae illatae recordari, stabulum et dominum recognoscere possunt; a pari igitur homini memoria sensitiva vindicanda est, qui aliter multo imperfectiorem vitam sensitivam haberet quam brutum.

Praeter memoriam sensitivam in homine etiam memoria intellectualis est, quae, sicut sensitiva sensationes, ita ipsa intellectiones reproducit. Utraque memoria similibus legibus regitur et etiam coniunctim agere solet. Ideo infra, ubi de memoria intellectuali sermo fiet, plura coniunctim de utraque memoria exponentur.

Facultas reproducendi phantasiae et memoriae propria ex eo declaratur, quod perceptiones, quando exstinguuntur, vestigia seu „species" post se in cerebro relinquunt, quae in statu latenti manent et data occasione, e. g. si quis alium de re percepta loquentem audit, iterum reproducuntur. Hae condiciones et leges reproductionis etiam accuratius infra exponentur, pariter quomodo reminiscentia praeteriti ut talis explicanda sit.

*Art. 5 De vi aestimativa

Praeter enumeratos sensus perceptivos et reproductivos scholastici aliam facultatem sensitivam internam commemorant, quam vim aestimativam appellant, quae autem omnino illa est, quae nunc communiter nomine instinctus designatur. 168*

Vis aestimativa vocatur vis sensitiva interna, qua ens sensitivum ad sibi utilia quaerenda et nociva vitanda inducitur, antequam ullam huius utilitatis vel inconvenientiae experientiam comparavit. Hac ratione animalia in primo iam occursu agnoscunt animalia sibi inimica et pericula, apprehendunt, quales nidi conficiendi sint, quomodo proli et futuris necessitatibus providendum sit. Veteres scholastici huic facultati quandam proprie dictam utilitatis cognitionem sive „aestimationem“ attribuunt, ut animalia non solum delectatione ad ea, quae utilia sunt, adducantur, sed ut ea tamquam utilia apprehendant.[1]) Quae explicatio parum consentanea esse videtur. Talis cognitio tantum in intellectu esse potest; intellegi nequit, qualis haec in animalibus proprie dicta utilitatis cognitio esse queat.

Ergo vis aestimativa in eo tantum consistit, quod animali a natura impulsus sensitivus inditus est, quo ad utilia impellitur et a nocivis arcetur absque utilitatis perceptione. Nempe apprehensioni alicuius obiecti ex institutione naturae adiungitur impulsus (delectatio, desiderium, impetus) ad unum prosequendum vel repulsio (aversio, timor, horror et similes affectiones) ad aliud vitandum, sicut fere cum nutrimento convenienti gustus amoenus, cum nocivo inamoenus coniungitur ad animal in recta electione dirigendum; praeterea saepe innatae species phantasiae impressae supponendae sunt, quae in certis adiunctis exsurgunt et appetitum sensitivum determinant, e. g. in conficiendis nidis.[2]) Quare vis aestimativa non tam una specialis potentia a reliquis distincta, quam potius facultas ex compluribus elementis psychicis composita est.

*169 Vis aestimativa sive instinctus *in homine*, qui ratione utilia et nociva perspicere potest, sane non aeque necessarius est quam in animali. Tamen non plane deest. Parvuli, antequam quidquam experti sunt, anxie timent, ne cadant, et ubera matris quaerunt, praeterea motus concupiscentiae, quibus homo impellitur ad actiones generi humano propagando utiles, pariter ad instinctum animalem pertinent.

[1]) „Necessarium est animali“, inquit s. Thomas, „ut quaerat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates sive nocumenta; sicut ovis videns lupum venientem fugit . . Necessarium est ergo animali, quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior . . Ad apprehendendum autem intentiones, quae per sensum [externum] non accipiuntur, ordinatur vis aestimativa.“ 1 q. 78 a. 4. — [2]) Cf. *Cosmologiam*, De instinctu animalium.

De vi cogitativa. S. Thomas et veteres scholastici etiam quandam „facultatem cogitativam“ commemorant, quae in solo homine sit et una ex parte sensitiva sit, altera autem ex parte intellectui cogitanti affinis sit. Dicitur esse eadem facultas ac aestimativa; aestimativam enim in homine propter consortium cum intellectu perfectiorem esse quam in animali. „Quae in animali dicitur aestimativa naturalis“, inquit s. Thomas, „in homine dicitur cogitativa.“[1]) „Illa potentia, quae a philosophis dicitur cogitativa, est in confinio sensitivae et intellectivae partis, ubi pars sensitiva intellectivam attingit. Habet enim aliquid a parte sensitiva, scilicet quod consideret formas particulares; et habet aliquid ab intellectiva, scilicet quod confert [comparat].“[2]) S. Doctor virtuti cogitativae etiam cognitionem singularium ut talium attribuit. Sed difficile est talem facultatem intellegere. Et veteres non parum laborant in iis definiendis et explicandis, quae ista vis cogitativa cognoscat; et variae controversiae habentur. Quae minoris momenti sunt.[3]) 170*

Aristoteles neque vim aestimativam neque cogitativam commemorat. Sed eas primum Avicenna et Averrhoes intulisse videntur, a quibus eas Albertus M. et Thomas acceperunt.

Caput III

De intellectu

Art. 1. De natura intellectus

Praeter sensus communi omnium persuasione usuque 171 loquendi homini intellectus sive ratio ascribitur. Hoc nomine autem eadem universali consensione semper facultas cognoscendi sensu essentialiter superior designata est, qua homo discrimine indelebili ab animalibus differat; cui consensui etiam summi omnis aetatis philosophi, praesertim Plato, Aristoteles et Thomas adstipulati sunt. De hac igitur facultate iam agendum et imprimis investigandum est, num homini vere talis facultas cognoscendi sensu essentialiter

[1]) 2 q. 78 a. 4. — [2]) 3 d. 23 q. 2 a. 2 sol. 1 ad 3. — [3]) Cf. *Urráburu*, Psych. II 742 ss.

altior insit. Non est dubium, quin intellectus principale decus naturae humanae et radix omnium eius specificarum perfectionum sit. Propter rationem enim homo libertate praeditus, religionis colendae, vitae moralis agendae, loquendi, scientiae et artis colendae capax est; propter intelligentiam homo dominus et finis mundi visibilis efficitur, finem supremum, Deum, immediate attingere potest ideoque etiam a servitute omnis creaturae eximitur, Dei imaginem in se gestat atque ad beatitudinem aeternam in Deo possidendam ordinatus est.

Natura intellectus et discrimen a sensu ex eius actibus colligendum est, sicut natura sensus ex sensationibus. Iam vero discrimen actuum intellectus a sensationibus essentiale et quidem duplex est, discrimen in *cognoscendo* et discrimen in *essendo* sive spectata entitate. Posterius discrimen ex priore deducendum est. Sicut enim cithara ideo, quia spectato modo sonandi perfectior est quam simplex fistula, propterea etiam spectata entitate nobilior est, ita actus intellectus idcirco, quia in cognoscendo sensationibus perfectiores sunt, etiam in essendo perfectiores sunt.

Ideo primum ostendemus, intellectum vere in cognoscendo a sensu essentialiter differre, ex quo deinde deducemus, eum etiam spectata entitate ab eo essentialiter diversum, nempe spiritualem esse.

*Th. 3 Actus intellectus spectata perfectione cognoscendi a sensationibus essentialiter differunt

*172 **Declar** Distinguendum est discrimen *accidentale* sive graduale et *essentiale.* Cognitiones unius facultatis a cognitionibus alterius accidentaliter tantum diversae sunt, si solum quaedam harum modificatio vel superior gradus sunt: sic differunt clarior et minus clara perceptio visualis. Essentialiter vero differunt, si penitus diversae sunt, ut una non tantum ex augenda altera oriri possit. Rubrum magis intensum a rubro minus intenso tantum gradu, rubrum autem a viridi essentialiter differt, quia viride non ex augendo tantum vel minuendo rubro oritur.

Actus intellectus a sensationibus spectata perfectione cognoscendi aliquo modo differre et sublimiores esse, communis tenet persuasio, quae adversarios non habet. Omnes enim ita loquuntur de intellectu, ut hoc nomine facultatem cognoscendi aliquo modo altiorem designent. Alios enim ob perfectionem intellectus admirantur, despiciunt ob debilitatem; non tribuunt dedecori, quod quis sensibus parum valeat, multum vero, quod intellectu infirmus sit.

At vero multi psychologi discrimen *essentiale negant,* tan- 173*
tum aliquod utriusque discrimen secundum gradum claritatis et explicationis admittentes. Dicunt, functiones intellectus tantum associationes, mixtiones, intensiones, transformationes modificatas reproductionum sensitivarum esse, ut intellectus ad modum sublimioris phantasiae conciperdus esset. Quae doctrina psychologica *sensismi* nomen habet; et fere necessario ad positivismum seu empirismum deducit, qui homini omnem legitimam certamque rerum supersensibilium cognitionem denegat. Iam antiquiores huc spectant, velut Protagoras, Democritus, aetate posteriore autem aliquatenus nominalistae ideas universales negantes. Recentiore tempore sensismi initium factum est a *Locke* († 1704), cuius errorem auxit *Hume* († 1776) in Anglia, *Condillac* († 1780) in Gallia, cui omnis functio psychica „sensation transformée" esse videtur. Recentiore aetate huc maxime *associationismus* pertinet, qui omnes functiones intellectus tantum summas seu associationes sensationum reproductarum esse contendit; et saepe cum physiologismo, subtiliore materialismo, coniunctus est, qui associationes functionibus materialibus cerebri arctissimo nexu adstringit (n. 82). Associationismus, ex philosophia anglica in alias regiones transfusus, usque ad initium huius saeculi defensores habuit. Sed paulatim iam saniori interpretationi functionum intellectualium locum cedere debet.

Associationismum inauguratus est *Locke.* Distinguit ideas simplices 174*
et compositas. Ideae simplices, quales dicuntur repraesentationes qualitatum sensibilium, figurae, cogitationis, volitionis, secundum Locke mere passive accipiuntur ex experientia externa vel interna i, e. ex reflexione in actus nostros. Ex simplicibus intellectus propria activitate ideas com-

positas efformat, attamen non per operationem a phantasia essentialiter diversam, sed tantum per idearum simplicium copulationem et separationem (qualem etiam phantasia facere potest): abstractio (ideae universalis) in eo reponitur, quod ideae simplices, quae in aliqua apprehensione simul adsunt, e. g. complures qualitates ‚determinatae arboris', ab invicem separantur, qua separatione idea ‚arboris' oriri dicitur; cognitio substantiarum consistit in mera copulatione idearum simplicium; cognitio denique relationis in iuxtapositione perceptionum simplicium ponitur.[1]) Similia opinatur *Hume:* „Si cogitationem vel idearum analysim instituimus, invenimus, eas, quantumvis complicatae et sublimes sunt, in tales ideas simplices resolvi posse, quae imagines praecedentis perceptionis vel sentimenti sint."[2])

Inter associationismi defensores eminent D Hartley († 1757), D Hume, James Mill, A Bain, H Spencer, Titchener, Taine, Ribot, Herbart, Th Ziehen, Münsterberg G E Müller et alii Hi ita fere sentiunt: „Tam ratiocinia quam iudicia omnia tantum associationes sunt . . Demonstratum est, etiam omnes sublimiores, quae appellantur, cogitandi operationes ad associationes idearum reduci posse."[3]) „Doctrina haec nova ostendit, diversas operationes intellegentiae nihil esse nisi diversas formas unius legis: imaginari, deducere, inducere, comprehendere etc. idem est atque ideas certo modo combinare."[4])

*175 **Demonst** *Arg. I* Actus intellectus spectata perfectione cognoscendi a sensationibus essentialiter differunt, si sunt

[1]) „When the understanding is once stored with these simple ideas, it has the power to repeat, compare, and unite them, even to an almost infinite variety, and so can make at pleasure new complex ideas . . Wherein its power, however managed by art and skill, reacts no farther than to compound and divide the materials that are made to its hand; but can do nothing towards the making the least particle of new matter, or destroying one atom of what is already in being." „Nor will it be so strange, to think these few simple ideas sufficient to employ the quickest thought, or largest capacities: and to furnish the materials of all that various knowledge, and more various fancies and opinions of all mankind, if we consider how many words may be made out of the various composition of twenty-four letters; or if going one step farther, we will but reflect on the variety of combinations may be made with barely one of the above-mentioned ideas." An essay concerning human understanding II 2 § 2, II 7 § 10. — [2]) „When we analyse our thoughts or ideas, however compounded or sublime, we always find, that they resolve themselves into such simple ideas as were copied from a precedent feeling or sentiment." An enquiry concerning human understanding S. II. — [3]) „Alles Schließen ist ebenso wie alles Urteilen lediglich Assoziation . . Die Möglichkeit der Zurückführung auch der sogenannten höheren Denkprozesse auf die Assoziation der Vorstellungen ist bewiesen." *Th. Ziehen,* Physiolog Psychologie[11] (1920) 420 426. — [4]) „La théorie nouvelle montre que les divers procédés de l'intelligence ne sont que les formes diverses d'une loi unique: qu'imaginer, déduire, induire, percevoir etc., c'est combiner des idées d'une manière déterminée." *Ribot,* Introd. à la Psychol anglaise contemporaine (1880). Cf. *Mercier,* Psychologie[9] (1908) n. 229.

cognitiones a sensuum apprehensionibus ita diversae iisque sublimiores, ut tamquam harum accidentales modificationes vel altiores tantum gradus considerari nequeant. Atqui hoc est. Ergo actus intellectus spectata perfectione cognoscendi a sensationibus essentialiter differunt.

Demonst. min. enumerandis cognitionibus intellectualibus a sensationibus penitus diversis.

a) Intellectus *notiones universales* habet, quae ita a differentiis rerum singularium praescindunt, ut de multis praedicari possint. Id clare ostendunt vocabula communia, ut rosa, homo, quae de variis individuis eadem significatione enuntiantur.[1]) Iam vero notiones universales a sensationibus penitus differunt seu in sensibus nullo modo inveniuntur Repraesentationes phantasiae quidem tam decolores et indeterminatae evadere possunt, ut cum multis rebus similitudinem habeant itaque phantasmata communia vocari possint; nihilominus manent repraesentationes rerum singularium, licet minus clarae Turris enim phantasmate quantumvis indeterminato repraesentata non est turris omni certa magnitudine et forma carens, qualem notio universalis exprimit.

b) Intellectus *relationes* ut tales cognoscit, e. g. identitatem inter subiectum et praedicatum, consequentiam inter praemissas et consequens, relationem medii ad finem et relationem causalitatis. Iam vero sensus tales cognitiones nullo modo habent, quod animalia ostendunt, quae mediorum et instrumentorum aptitudinem, relationes ordinis et pulchritudinis, signi et significati non percipiunt. Alioquin simili ratione sicut homo nova instrumenta invenire, pulchritudinem admirari et producere, interna sensa signis externis sive loquendo cum aliis communicare possent. 176*

c) Ex utraque functione allata oriuntur in intellectu *iudicia, ratiocinia, scientiae.* Quae pariter sensibus desunt. Neque enim iudicia et ratiocinia in sola repraesentationum sive idearum associatione consistunt, ut associationistae

[1]) Id uberius in Critica exponitur et defenditur.

affirmant; iuxtaponendo enim ideas Hannibal et Romanus nondum iudico, Hannibalem fuisse Romanum.

*177 d) Sensus tantum qualitates corporum percipiunt et repraesentant et quidem tantum modo concreto non distinguentes id, quod est res, ab eius exsistentia aliisque determinationibus; e. g. non distinguunt in extensione corporali percipienda eius essentiam, possibilitatem, finitatem ab exsistentia et coloribus. Intellectus vero *essentias* rerum apprehendit perspiciens, quid sit res, idque distinguens ab eius exsistentia et determinationibus concretis: apprehendit res, quatenus sunt accidentia vel substantiae, apprehendit naturam genericam et specificam, concipit earum possibilitatem, contingentiam, necessitatem.

Sic etiam ulterius ad *immaterialia,* veritates universales et necessarias, ad res religionem et honestatem spectantes progreditur.

e) Denique intellectu non solum actus nostros internos percipimus, sed etiam proprium *ego* ab iis clare distinguimus, distincte cognoscentes ‚ego audio, ego delector'. Quod pariter in sensibus non invenitur.

Operationes enumeratae intellectui propriae fere reducuntur ad duas: notiones universales et apprehensiones relationum. Reliquae enim eas supponunt et ex iis sponte sequuntur.

*178 *Ergo associationismus reiciendus est.* Nam a) magnas diversitates, quae teste experientia inter operationes sensitivas et intellectuales et denuo inter varias intellectuales intercedunt, declarare omnino non potest. Sola enim collectione aequalium elementorum non possunt operationes tantopere inaequales produci. Deinde associationes ut tales passive legibus quasi mechanicis successionis ac similitudinis idearum reguntur, proinde ut tales absque logica conexione et finali directione discurrunt, sicut in somniis; operationes autem intellectuales leges logicas sequuntur et active in fines diriguntur. Seu aliter: non explicatur, cur cognitiones intellectuales non perpetuo tam incohaerentes sint sicut somnia, sed apte logice cohaereant et in fines dirigantur,

ut cernitur in ratiociniis, methodicis operationibus scientificis, inventionibus industriae et artis. b) Ideo associationismus in annos vehementius impugnatur. Inter psychologos recentes, qui meliorem interpretationem vitae psychicae inaugurati sunt, eminent Wundt, F. Brentano eiusque schola. Külpe (schola Wirceburgensis) Ad confundendas sensationes et actus intellectuales multum contulit inquisitio pure experimentalis vitae psychicae. Sed nunc iam psychologi experimentales, velut Külpe et Binet, ipsis experimentis psychologicis discrimen essentiale inter sensationes postulari defendunt

Arg. 2. Homo *essentialiter differt ab animali* et quidem 179*
primo per intellegentiam. Ergo intellegentia humana a sensu animalium essentialiter differt. — Antecedens elucet ex communi consensu, qui hominem essentiali discrimine a bruto distare tenet, et ex re ipsa. Distantia enim hominis ab animali tanta tamque insuperabilis est, ut animalia numquam, quantumvis sagacia sint omnique arte instruantur, assequi possint intellegentiam humanae similem, velut ideas morales. religiosas, usum linguae, instrumentorum inventionem et similia. Neque defensores originis hominis ex bruto, qui hunc progressum animalis ad perfectionem humanam factam esse contendunt, quidquam praeter arbitrarias et experientiae contrarias constructiones proferre possunt.

Qui originem hominis beluinam defendunt, discrimen inter cognitionem sensitivam animalis et intellectualem hominis extenuare et utriusque evolutionem gradualem demonstrare conantur. Ad id ostendendum interdum *linguas gentium incultarum* proferunt, quae testimonia sint gradus cuiusdam medii inter rationem humanam perfectam et eius initia sensibus affinia. Istas linguas aiunt ostendere modum valde concretum et sensibilem apprehendendi, longe diversum a modo abstracte concipiendi, quem linguae cultiores prae se ferant.[1]) — Attamen semper et ubique, quousque structuram linguarum historica consideratione prosequimur, completa semper apparet activitas specifica humana. Eadem cernitur in linguis incultorum. Nam habent innumerabilia nomina universalia, habent casus nominum et quidem interdum plurimos, habent genera et modos et tempora verbi interdum pariter multitudinis ingentis (genus intensivum, iterativum, causativum, reflexivum, inchoativum, reciprocum, limitativum, interminativum, modum cohortativum, iussi- 180*

[1]) Cf. e. g. *Wundt,* Völkerpsychologie II. Die Sprache 2^3 (1912).

vum, potentialem, interrogativum, dubitativum, imaginativum); quae clare manifestant perspicientiam relationum et universales ideas, quae specificae operationes rationis sunt.

Eaedem principales proprietates rationis perfectae in *fossilibus* instrumentis, delineationibus aliisque reliquiis hominis praehistorici cernuntur.

Th. 4. Actus intellectus non a materia, sed a sola anima producuntur sive spirituales sunt (1. p.). Attamen in praesenti vita a materia (cerebro) extrinsecus pendent (2. p.).

181 **Declar.** 1. Materiam intellegimus substantiam extensam, animam vero substantiam a materia essentialiter diversam, inextensam. Sensationes non a sola anima, sed etiam a materia, ab organo animato, eliciuntur. Negamus nunc, actus intellectus ullo modo a materia produci, ut, sicut oculus videt et cerebrum animatum imaginatur, ita pariter cerebrum cogitare dicendum esset (si de intellectu sermo est, non de alio organo nisi de cerebro quaestio fieri potest). Sed affirmamus, actus intellectus a sola anima produci eique soli inesse, ergo inextensos et spirituales esse. Actus enim spirituales illi dicuntur, qui nullo modo a substantia extensa sive materiali producuntur, sed actus principii immaterialis, animae inextensae sunt.

Attamen concedimus, actus extrinsecus a cerebro pendere. Scilicet dependentia actus duplex distinguenda est, interna sive *dependentia a causa,* qua producitur, et externa sive *dependentia a condicione,* quae actum non producit, attamen necessaria est, ut oriri possit. Quatenus in 1. p. negatur, actus intellectus a principio materiali produci, dependentia interna a materia negatur; talem sensationes habent. Dependentia externa in eo consistit, quod anima actus intellectus elicere nequit, nisi eos simul convenientes sensationes comitantur itaque cerebrum tamquam condicio actibus intellectus producendis cooperatur. Id in hac vita necessarium esse experientia testatur.

182 2. Spiritualitatem actuum intellectus *materialismus* potissimum negat, imprimis ille *rudis* a Democrito, Epicuro, Hobbes, Helvetio, La Mettrie, Cabanis, Feuerbach, Vogt, Büchner, Häckel, Freud aliisque propugnatus, qui nihil praeter materiam admittit ideoque actus sensuum et intellectus pro affectionibus vel effectibus materiae habet. Hic rudis materialismus nunc relictus est. At non pauci subtiliori materialismo addicti sunt, qui *physiologismus* sive epiphaenomenismus vocari potest; qui concedunt quidem, facta psychica sive sensitiva et rationalia a physicis, veluti motibus nervorum, diversa esse, attamen actus psychicos mutationibus nervorum ita annectunt, ut fere secundariae affectiones materiae sive epiphaenomena evadant, vel immo utraque realiter identica esse asseverant (cf. n. 82 ss.).

Sed fere omnes psychologi moderni saltem eatenus thesi adversantur, quatenus actibus intellectus non maiorem a corpore independentiam tribuunt quam sensationibus; quas plerumque quidem soli animae tribuunt, attamen inseparabili nexu processibus physicis adstringunt et copulant. Inter actus enim intellectus et sensationes nullum discrimen entitativum agnoscunt, sed illos et hos ut facta ‚psychica, simpliciter functionibus materialibus opponunt.

Qui *materialismo rudi* adhaerent, ita fere loquuntur: „A natura et 183
quidem a materia causatur cogitatio in cerebro sicut magnetismus in ferro.“[1]) Cerebrum habent „proprium organum spiritus“ et censent, „eius functionem physiologicam [scil. „spiritum!“] perfectissimam activitatem machinae dynamicae nominandam esse“.[2]) „Sequitur simplex et radicalis conclusio, activitatem spiritualem uniformiter et absolute functionem actionis cerebralis esse et mutari, ut primum haec mutetur, et haberi se ad eam sicut effectum ad causam.“[3]) „Omnia demonstrare videntur, intellegentiam functionem cerebri esse . . Sescenta experimenta tam arctam relationem inter organum cerebrale et functionem intellectualem ostendunt, ut perduratio intellegentiae nostrae sine cerebro non magis admittenda sit, quam secretio renum sine renibus“.[4])

Physiologismi modum loquendi supra indicavimus (n. 83).

Demonst. 1. p. *Praenotandum.* Demonstratio eo potissimum 184
conficitur, quod e modo cognoscendi, quo actus intellectus

---

[1]) *Moleschott:* „Naturbedingt, und zwar stofflich bedingt ist das Denken im Hirn wie das Magnetischwerden im Eisen.“ Der Kreislauf des Lebens[5] II (1887) 439. — [2]) Für *E. Häckel* ist das Großhirn „das eigentliche Geistesorgan!“ Er findet, daß „seine physiologische Tätigkeit — ‚der Geist!‘ — als die vollkommenste Leistung einer Dynamomaschine zu bezeichnen“ sei. Die Lebenswunder (1904) 378. — [3]) *W. James:* „Taking all such facts together, the simple and radical conception dawns upon the mind, that mental action may be uniformly and absolutely a function of brain action, varying as the latter varies, and being to the brain-action as effect to cause.“ Psychology ch. 1. — ([4] *Richet,* Traité de Métapsychique (1922). Germ. (1923) 468.

excellunt, ad eorum modum essendi concluditur, concludendo, eos non posse esse effectus substantiae materialis sive extensae, materiam iis producendis imparem esse. Ergo principium, in quo complura e sequentibus argumentis nituntur, hoc est: necessaria proportio est *inter modum cognoscendi et entitatem* principii cognoscitivi. Sicut in penicillo pingente proportio est inter eius entitatem et modum pingendi, ut penicillus crassus crasse et subtilis subtiliter pingat neque proinde crassus obiecta subtilia depingere valeat, sic in principio cognoscente, quod imagines intentionales format, pariter modus et perfectio imaginis entitati principii respondere debet: si principium entitative imperfectum est, imperfectus est modus cognoscendi, neque omne principium quamtumvis imperfectum, crassum, materiale quodlibet obiectum perfectum, subtile et immateriale exprimere poterit. Generatim inter operationem vel effectum et eius causam proportio intercedit. „Cognitio contingit", ait *s. Thomas,* „secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae."[1]) „Operatio", inquit similiter *Suarez,* „indicat ipsum esse et modum eius, quia esse est propter operationem et operatio manat ab esse."[2])

His praemissis propter rei gravitatem complura argumenta afferemus, quae omnia ostendere intendunt, principium materiale producere non posse actus intellectus ea cognoscendi perfectione praeditos, quam thesi praecedenti explicavimus.

185 1. *Ex spontaneitate in cognoscendo.* In actibus intellectus magna apparet spontaneitas in hoc sita, quod non simpliciter obiecta ita repraesentant, sicut ab iis determinantur, tantum quasi passive et cum plena dependentia huic determinationi respondentes, sed quod simul cum aliqua independentia et propria activitate extra et ultra determinationem in cognoscendo progrediuntur. *Atqui* actus tali spon-

---

[1]) 1 q. 12 a. 4. — [2]) De an. II 9 n. 20.

taneitate praediti non possunt a materia produci, sed tantum effectus substantiae immaterialis, inextensae esse possunt; seu actus spirituales sunt. Ergo.

Demonst. mai. Sensationes sic et in tantum res repraesentant, sicut et in quantum impressione accepta determinantur, nempe tamquam has singulares, concretas, tali figura et qualitatibus praeditas, hoc loco et tempore praesentes, v. g. hoc fulgur certae claritatis, durationis, formae: similiter canis calorem solis percipit, sicut eo afficitur, ut praesentem et huius efficaciae ac durationis, eiusque iucunda delectatione fruitur, ad caloris autem generalem naturam, ad causas, leges naturae, generalem felicitatis apprehensionem et desiderium non progreditur. Actus autem intellectus obiecta aliter repraesentant, in accepta determinatione minime haerentes: abstrahunt a singularitate, a certis qualitatibus, a praesentia, loco, tempore et res notionibus universalibus exprimunt (‚fulgur, eventus naturae, ens', ‚calor, affectio iucunda, mutatio'); ex apprehensionibus acceptis iudicia, ex iudiciis ratiocinia longosque discursus contexunt; ex notitiis sensu acceptis ulterius progrediuntur ad ea, a quibus nullam impressionem acceperunt, nempe ex accidentibus et qualitatibus ad internam rei substantiam et essentiam, ex effectibus ad causas, ex praesentibus ad praeterita et futura, ex notionibus a sensibilibus sumptis novos conceptus analogos formant, quibus ultra fines loci et temporis ad immateralia, aeterna, divina ascendunt; porro ideas et notitias acceptas et formatas in classes et systemata et scientiarum complexus coniungunt; denique in hoc novo interno mundo intellectuali, quem propria activitate sibi efformarunt, per dies et annos contemplando, deliberando, ratiocinando, meditando immorantur. Itaque actus intellectus non solum quasi passivae reactiones sunt ad impressiones acceptas, sed magna spontaneitate extra et ultra eas progrediuntur. 186

Demonst. min. a) Organa materialia *sensitiva* neque in homine neque in animali talem spontaneitatem exercere possunt. Hoc iam ex iis, quae antea illustrationis causa 187

de sensibus perceptivis dicta sunt, colligitur. Sed nec phantasia modo essentialiter diverso agit: solum perceptiones aliquando acceptas reproducere earumque partes copulare ac separare, non autem novas cognitiones extrinsecus non acceptas formare, ultra ambitum impressionum egredi potest. Ideo videmus, animalia externis determinationibus et impressionibus regi ac mensurari et instar apparatus psychici reactivi respondere, propriis autem ideis, consiliis, progressu ad nova invenienda, interna vita intellectuali, deliberatione, meditatione, brevi verbo: propria spontaneitate carere. *Atqui* si organa materialia talis spontaneitatis natura sua capacia essent, explicari non posset, cur in animalibus numquam, ne in condicionibus quidem maxime faventibus, similis saltem spontaneitas inveniri vel saltem instructione obtineri possit.

b) Talis spontaneitas *repugnat materiae*. Quidquid enim materiale est, legi inertiae subiectum est, i. e. sic se habet, sic agit et in tantum agit, sicut et in quantum extrinsecus determinatur et impellitur. Quod passim observamus: corpus non movetur, nisi impellitur, et tantum movetur, quantum impellitur; sensus sentit, sicut excitatur, intensius, si intense, minus intense, si modo leviore excitatur. Ergo spontaneitas, qua principium intellegens non ita legi inertiae et passivitatis subest, sed ab inertia materiae emancipatur et agilitatem passivitati oppositam exercet, materiae repugnat. Apparet superioritas spiritus super materiam.

188 2. *Ex cognitione immaterialium.* Actibus intellectus obiecta immaterialia cognoscimus et quidem tum positive immaterialia, quae materiam excludunt, ut Deum, spiritus, iustitiam, aeternitatem, tum praecisive immaterialia, quae ab omni materia abstrahunt, ut ens, possibilitatem, unitatem, bonitatem, causalitatem. Neque raro tantum et cum magna difficultate talia obiecta concipimus, sed intellectus, saltem quamdiu non de scientifica tractatione agitur, continuo et cum facilitate in his obiectis apprehendendis versatur, immo mens humana omni aetate et loco in tales cognitiones, religiosas et morales potissimum vi quadam innata velut in

patriam suam desiderio fertur. *Atqui* principium materiale cognitiones rerum immaterialium elicere nequit, multo minus ei tam propriae et familiares esse possunt, ut dictum est. Ergo actus intellectus non procedunt a materia, sed a sola anima sive spirituales sunt.

Demonst. min. a) Reapse *organa sensitiva*, quaecumque in homine vel in bruto inveniuntur, immaterialia cognoscere nequeunt. Numquam enim animalia vel hominum oculi, aures, imaginatio cerebri immaterialia tractare possunt. Iam vero si organa materialia ex natura sua ad ea cognoscenda capacia essent, explicari non posset, cur numquam animalia, ne perfectissima quidem et cerebro simili nostro praedita, eo pervenire vel instructione adduci possint, ut cognoscendo fines materiae egrediantur.

b) Spiritualia apprehendimus ideis *analogis, per negationem* praesertim formatis, e. g. talibus: immateriale, indivisibile, infinitum, increatum. Atqui principium materiale nequit ita spiritualia apprehendere, quia negationes concipere nequit. Nam ea tantum concipere potest, quae ipsum determinant. Iam vero negatio, quippe quae non exsistit, non potest organum determinare. Ergo.

c) Alio modo. Principii intellegendi proprium est, ut ordinem *materialem in cognoscendo superet* longeque excedat, tum quatenus continuo et facile in ordine veritatis spiritualis, religiosae, moralis versatur, tum quatenus eius ideae principales, velut esse, posse, negatio, substantia, qualitas, ratio, effectus, quae cogitationes omnes ad modum medullae constituunt, ab omni materialitate denudatae sunt. Atqui principio ordinis materialis nequit esse proprium et conaturale ita continuo in activitate suum ordinem superare et longe excedere. Ergo.

Arg. 2. paulo aliter ita etiam proponi solet: Actus intellectus simplices sunt. Nam repraesentant obiecta simplicia, qualia sunt ens, identitas, simplex, generatim immaterialia. Actus autem extensi sive ex partibus compositi simplicia repraesentare non possunt, quia per entitatem suam extensam non possunt tamquam imagines intentionales exprimere, quid sit simplex. Atqui actus simplices non a materia, sed a sola anima producuntur; aliter enim cum corpore extensi essent. Ergo. 189

3. *Ex amplitudine obiecti.* Actibus intellectus omne ens et verum, sensibilia et supersensibilia, exsistentia et possibilia, praesentia, praeterita, futura cognoscere possumus. Atqui materia ad obiectum tam amplum cognoscendum 190

apta esse nequit. Ergo actus intellectus a materia non procedunt, sed a sola anima.

Demonst. min. a) Non esset *proportio* inter modum essendi principii materialis et modum eius agendi, nempe inter materiam exiguam, ignobilem, coarctatam et tantam in cognoscendo nobilitatem, amplitudinem, infinitatem. Quo maior enim in aliqua natura activitatis expansio et multiplicitas apparet, eo maior existimatur et est internae eius perfectionis excellentia. b) Idem ex eo quoque confirmatur, quod organa corporalia *sensitiva* reapse ad obiectum tam amplum cognoscendum capacia non sunt, sed visus intra colores, auditus intra sonos, omnes sensus simul intra materialia concluduntur.

191 *Aliter.* „*Immaterialitas* alicuius rei est ratio, quod sit cognoscitiva", inquit Angelicus, „et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis." Huius ratio *interna* est, quod in ente cognoscitivo, quod plurimis obiectis similitudine intentionali se conformare potest, magna agilitas, expansibilitas, subtilitas requiritur. Quae certe eo minor est, quo magis facultas inertiam, ponderositatem, immobilitatem, coarctationem materiae participat. „Cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum; sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius. Nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata. Naturae autem rerum cognoscentium habent maiorem amplitudinem et extensionem. Propter quod dicit philosophus, quod anima est quodammodo omnia . . Patet igitur, quod immaterialitas alicuius rei est ratio, quod sit cognoscitiva."[1]) Eadem lex *inductione* colligitur. Res anorganicae, quae maxime materiales sunt, ne vitam quidem habent; plantae principio vitali instructae itaque supra materiam paulum elevatae vitam, animae vero brutorum iam infimam cognitionem habent; spiritus puri inter creaturas supremum gradum in cognitione sortiuntur; Deus

[1]) 1 q. 14 a. 1.

vero a materia longissime remotus etiam maxime et infinite cognoscitivus est. *Atqui* si modo immaterialitatis modus cognitionis correspondet, negari nequit, obiectum supra descriptum materiae improportionatum esse et maiorem elevationem super materiam postulare, scilicet internam a materia independentiam. Ergo.

4. *Ex conscientia sui.* Actibus intellectualibus ita in nos 192
redire possumus, ut distincte nos ab actibus discernamus et tamquam subiectum et principium actuum apprehendamus; distincte percipimus ‚ego delibero, ego studeo, ego attendo'. *Atqui* principium materiale talis reditus in se capax esse non videtur. Nam a) talis reditus cognoscitivus, quo principium cognoscens se ut obiectum cognoscit, postulat, ut antea, sicut semper, obiectum cognoscendum principium cognoscens determinet, ergo in re praesenti ut cognoscens se ipsum determinet. Iam vero substantia materialis sive extensa non potest eadem in se ipsam agere et ita se determinare, sed tantum una pars in aliam, unum organum in aliud agere potest. Proinde tantum ens spirituale, quod propter simplicitatem immaterialem perfectissime in se stat, talis reditus capax est. b) Reapse organa corporalia sensitiva talis conscientiae incapacia sunt, neque quisquam talem conscientiam humanam animalibus tribuit. Ergo actus conscientiae intellectualis (proinde pariter reliqui actus intellectus) non procedunt a materia, sed a sola anima.

„Nullius corporis actio", inquit *s. Thomas*, „reflectitur super agentem. Ostensum est enim in Physicis . ., quod nullum corpus a seipso movetur nisi secundum partem, ita scilicet, quod una pars eius sit movens et alia mota. Intellectum autem supra seipsum agendo reflectitur: intellegit enim se ipsum non solum secundum partem, sed secundum totum. Non est igitur corpus."[1]) „Redire ad essentiam suam nihil aliud est quam rem subsistere in se ipsa. Forma enim, in quantum perficit materiam [e. g. anima sensitiva bruti] . ., quodammodo supra ipsam effunditur; in quantum vero in se ipsa habet esse [i. e. subsistens sive spiritualis est], in se ipsam redit. Virtutes igitur cognoscitivae, quae non sunt subsistentes, sed actus aliquorum organorum, non cognoscunt se ipsas, sicut patet in singulis sensibus. Sed virtutes cognoscitivae per se subsistentes cognoscunt se ipsas."[2])

[1]) C. gent. II 49. — [2]) 1 q. 14 a. 2 ad 1.

193 5. Sensus obiecta admodum intensa, qualia sunt fulgur, intensus sonus, vel non sine laesione percipit, vel, postquam ea percepit, ita obtusus est, ut non statim obiecta inferiora rite percipere possit. Etiam secundum legem weberianam, quo maior est intensitas sensationis, eo maius requiritur incrementum excitationis, ut sentiatur. Nam sensationes ex organis materialibus procedunt; intensa autem organi excitatione materia nervea consumitur, quae, antequam ad novam actionem proceditur, nutritione compensanda est. Si igitur actus intellectus eodem modo materiae alligati essent, similibus legibus regerentur. *Atqui* actus intellectus non talibus legibus reguntur, sed, postquam summa obiecta, Deum, veritates altissimas, universalissimas contemplatus est, aeque facile et saepe multo facilius ad inferiora se convertere et ex altioribus intellegere valet. Ergo actus intellectus a materia non procedunt.

Hoc argumentum iam *Aristoteles* ad ostendendam immaterialitatem intellectus affert: „Sensus post vehemens sensibile sentire non potest, e. g. sonos post magnos sonos. Sed intellectus aliquo valde intelligibili intellecto non minus, sed etiam magis intellegit inferiora. Ergo sensitivum non est sine corpore, ipse autem separatus est [non unitus organo corporali].“ De an III 4 (429 b 1). Idem s. *Thomas* repetit C. gent II 66.

194 6. Contra *materialistas*, qui actus intellegendi sola materia sine anima produci contendunt, etiam ita, sicut supra de sensatione, argumentari licet[1]: Si actus intellectus a solo corpore producerentur, non essent essentialiter diversi et sublimiores quam illi effectus materiales, quos materia extra subiectum intellegens producit, velut motus, eventus electrici, chemici; sed similes essent. Atqui non sunt similes, sed essentialiter totoque ordine diversi et sublimiores sunt. Quaenam enim magis diversa totoque ordine distantia sunt quam cogitatio et motus, syllogismus et mutatio chemica. Ergo actus intellectus non a sola materia, sed saltem etiam ab anima producuntur. (Ita non quidem demonstratur, actus intellectus esse spirituales, sed saltem ostenditur, eos non pure materiales esse).

[1]) Cf. n. 86.

Vel ita. Si multiplex activitas intellectualis nihil esset 195
nisi operatio materialis, secundum legem *constantiae energiae* incrementum intellectualis cognitionis et scientiae accurate responderet decremento energiae materialis, quae in hac activitate producenda consumitur. Atqui minime respondet. Nam a) vita intellectualis tantopere crescit, maxime in quibusdam hominibus, ut inter hosce thesauros scientiae et minimam energiam materialem in nutriendo cerebro consumptam comparatio nulla fieri possit. b) In morte omnes mentis thesauri subito evanescunt, sed materiae nihil energiae redditur, contra ac lex constantiae postulat.

Confirmationis gratia provocari potest ad legem contrariam, quam merito *Wundt* proponit: „Vita spiritualis extensive et intensive lege incrementi valorum regitur: extensive, quatenus varietas progressus spiritualis continuo amplificatur, intensive, quatenus valores, qui in his progressibus oriuntur, gradatim augentur.“ „Lex incrementi spiritualis aeque sine exceptione constans esse videtur ac lex aequivalentiae in causalitate eventuum naturae.“[1])

Ergo intellectus potentia spiritualis est. Potentia enim 196
spiritualis sive inorganica illa vocatur, quae non est potentia materiae sive substantiae extensae, sed solius animae immaterialis. Iam vero talis est intellectus, quia actus eius solius animae immaterialis sunt.

Demonst. 2. p. a) Actus intellectus in hac vita multis 197
modis *a cerebro pendent.* Antequam cerebrum sufficienter explicatum est, deest usus rationis, cerebro autem in senectute deficiente etiam ex parte operatio intellectus deficit. Cerebro laeso vel morbis infecto pariter intellegentia laeditur vel infirmatur et quidem ita, ut saepe certis partibus cerebri laesis certae functiones intellectus cessent vel infirmentur. Intellegentia generatim proportionatur structurae cerebri. Denique cerebrum ex intensa vel diu pro-

[1]) „Das geistige Leben ist extensiv wie intensiv von einem *Wachstum* der Werte beherrscht: extensiv, indem die Mannigfaltigkeit der geistigen Entwickelungen fortwährend sich erweitert; intensiv, indem die in diesen Entwickelungen entstehenden Werte ihrem Grade nach zunehmen.“ Es „dürfte sich die Regel des geistigen Wachstums als eine ebenso ausnahmslose ergeben, wie die der Äquivalenz für die Kausalität der Naturerscheinungen.“ System der Philosophie³ I (1907) 302 s.

tracta operatione intellectuali fatigatur.[1]) Atqui haec dependentia *non interna* est, ut ostensum est. Ergo actus intellectus in hac vita ab organo (cerebro) extrinsecus pendent ut a condicione. Quomodo autem cerebrum tamquam condicio concurrat, ex b) elucet.

198 b) Actus intellectus in hac vita *a sensationibus pendent*, quia fieri nequeunt, nisi simul aliqua sensatio concurrit, non solum quatenus primae ideae rerum externarum oriri nequeunt sine sensationibus (quod infra ostendetur), sed etiam quatenus ne ideis quidem acquisitis uti possumus, nisi phantasmata concurrunt.[2]) Non solum quando de rebus materialibus, sed etiam cum de obiectis immaterialibus cogitamus, phantasmata nobis obversantur; et quo perfectiora haec sunt, eo facilius, quo imperfectiora, eo difficilius intellectus operatur. Phantasia avolante ad imagines non conexas cum re, quam cogitamus, statim etiam cogitatio cessat neque denuo incipit, priusquam phantasia revocatur. Si activitas phantasiae quacumque ex causa turbatur vel deficit, etiam activitas intellectus turbatur et deficit. Haec phantasmata comitantia nonnumquam clara, plerumque vero obscura, incompleta et imperfecta sunt; phantasmata enim ut clara evadant, mora indigent, quae saepe praesto non est, quia intellectus cito ad alia transit. Si intellectus sensibilia apprehendit, phantasia haec eadem repraesentat, sin autem supersensibilia, phantasmata eorum similitudines,

---

[1]) Talia facta iam *Aristoteles* affert; e. g. De anima III 5 (430 a 23); Phys. VII 3 (247 b 13 18); Somn. et vig. 2 (455 a 25), 3 (458 a 28). — [2]) Idem *Aristoteles* docet: „Οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή." De anima III 7 (431 a 16). Cf. ib. III 5 (430 a 25). 8 (432 a 8 13); De mem. 1 (449 b 30). *S. Thomas* scribit: „Manifestum est, quod ad hoc, quod intellectus actu intellegat, non solum accipiendo scientiam de novo, sed etiam utendo scientia iam acquisita, requiritur actus imaginationis et ceterarum virtutum [sensitivarum]. Videmus enim, quod impedito actu virtutis imaginativae per laesionem organi, ut in phreneticis, et similiter impedito actu memorativae virtutis, ut in lethargicis, impeditur homo ab intellegendo in actu etiam ea, quorum scientiam praeaccepit. Secundo quia hoc quilibet in seipso experiri potest, quod, quando aliquis conatur aliquid intellegere, format sibi aliqua phantasmata." 1 q. 84 a. 7, ib. a. 6 ad 3 „Nequaquam sine phantasmate intellegit anima." C. gent. II 73. „Numquam sine phantasmate cogitat anima." 3 De anima 7. Ita passim.

effectus vel alia cum iis conexa exhibent. Saepe quidem, praesertim si obiecta valde spiritualia vel abstracta sunt (Deus, identitas, discrimen, negatio), in phantasia tantum vocabula clarius apparent; quibus tamen plerumque vel semper phantasmata obscura rerum ipsarum inserta esse videntur. Aliqui psychologi experimentales putant, posse fortasse ideas intellectuales interdum adesse sine omni phantasmate. Sed ordinarie certe haec dependentia a phantasmatibus adest. *Atqui* si actus intellectus ita a sensationibus, speciatim a phantasmatibus pendent, etiam (mediate) ab organo sensitivo (cerebro) pendent, attamen tantum extrinsecus, quia cerebrum non actum intellectus, sed sensationem concurrentem producit. Ergo.

Si ulterius quaeritur, quae sit *ratio istius dependentiae* 199
a sensu, sine dubio ratio ultima haec est, quod anima corpori alligata est. Propterea fieri videtur, ut anima, quatenus intellectualis est, agere non possit, nisi simul tamquam sensitiva cum organo corporali consentaneam operationem eliciat seque iuvet. Simili lege videtur actum appetitus spiritualis ponere non posse, nisi simul convenientem appetitionem sensitivam eliciat. Si rudi imagine uti velimus, de curru cogitare licet, qui duabus rotis vehitur: non potest una rota loco moveri, nisi simul alia movetur, non quod haec rota motum alterius faciat, sed quia necessaria condicio est.

Obiectiones materialistarum. 1. Quando cogitamus, in cerebro pro- 200
ducuntur motus, processus chemici, electrici, et propterea cerebrum activitate intellectuali fatigatur, immo intensa operatione laeditur. Ergo cerebrum ad actus intellectuales producendos concurrit, proinde actus ab eo pendent. — *Resp.* C. ant. (vel D. haec fiunt immediate per operationes intellectus N. immediate per phantasmata concurrentia C.) D. cons. concursus et dependentia est interna N. externa C.

2. Parvuli usu rationis carent, donec cerebrum ad iustam evolutionem pervenit, et deficiente vigore cerebri in senectute deficit memoria vel intellegentia; laesiones vero et morbi cerebri intellegentiae quoque defectum secum ferunt; e. g. microcephali sunt idiotae. Ergo pendent actus intellectus a cerebro. — *Resp.* C. ant. D. cons. pendet intrinsecus N. extrinsecus ratione sensationum, quae a cerebro intrinsecus pendent C.

201 3. Intellegentia servat *proportionem* cum volumine et forma cerebri, immo cum forma cranii, et si deformatum est cerebrum sive cranium, etiam intellectio partim sive totaliter deficit. Ergo intellegentia a cerebro pendet. — *Resp.* Tr. ant. D. cons. pendet intrinsecus N. extrinsecus C. Factum in antec. paulo diligentius considerandum est.

Sine dubio intellegentia generatim aliquam proportionem servat cum qualitate cerebri, sed non tantopere cum volumine, quam potius cum perfecta structura cerebri, praesertim magni (et corticis cerebralis, quippe qui supremum organum vitae sensitivae et centrum associationum est. Speciatim haec fere dicenda sunt:

a) Sane ineptum esset simpliciter affirmare: quo maius est in quocumque vivente pondus cerebri sive absolutum sive relativum i. e. comparatum cum pondere reliqui corporis, eo maius ingenium est. Elephas enim cerebrum habet ponderis 5000 gr., homo autem cerebrum ponderis medii 1300 gr.; pondus cerebri relativum passeris est 1 : 25, hominis autem circ. 1 : 35. Nihilominus verum est, in nullo vivente tantum pondus absolutum simul cum tanto pondere relativo coniunctum inveniri, quantum in homine. (Pondera relativa haec e. g. inveniuntur: in balaena 1 : 25.000, in elephante 1 : 560, in equo 1 : 500, in gorilla 1 : 213).. — In re proposita cerebra respicienda sunt, non quatenus motus et quaslibet perceptiones totius corporis saepe admodum voluminosi administrant, sed quatenus vitae sensitivae altiori, reproductionibus potissimum earumque associationibus, inserviunt.

202 b) Itaque si tantum *hominum* cerebra inter se comparantur, generaliter affirmare licet, fere plerumque homines vel rassas nobiliore ingenio praeditos maiore etiam cerebri *volumine* seu pondere instructos esse. Sed saepe contrarium accidit. „Inter 545 viros germanicos, quorum cerebrorum pondera v. Bischoff enumerat . ., 167 erant, qui spectata cerebri perfectione ‚Nigritae medio' aequales erant [ca. 1270 gr.], et circ. 24, qui sub hoc respectu ab illo superabantur." „Von Bischoff ex collectione cerebrorum laurea coronatorum, quam instituit, 15 cerebra virorum doctorum celebratorum enumerat . . [et] dicit: horum nullum habet pondus mirae magnitudinis; 8 quidem excedunt pondus medium, 3 medium habent, 4 vero inferius."[1]) Virorum ingenio eximiorum haec inventa sunt pondera cerebralia: Byron poeta 1807 gr., Gambetta 1241, Schiller 1550, K. F. Hermann philologus 1358, Thackeray poeta 1666, Dante 1420, Cromwell 2231, Cuvier 1829, Turgenjew poeta 2012, J. von Liebig chemicus 1352, Whewell philos. 1390, Helmholtz 1420, Gauß 1492, Kant 1650, Bismark 1807.

Neque absurdum est affirmare, immo factis demonstrari videtur, cerebri molem paulum crescere per maiorem intellectualem ideoque etiam sensitivam activitatem (et etiam per operationes motorias, velut in opificibus). Etenim etiam musculi, qui labore validiore exercentur, volumine crescunt, quia scilicet uberius enutriuntur.

---

[1]) *J. Ranke,* Der Mensch[3] I (1911) 599 ss.

c) Propinquius ad veritatem accedimus, si haec dicimus: Intellegentia generatim loquendo eo maior est, quo perfectior et magis harmonica *structura cerebri*, praesertim corticis cerebralis est, quo plures et profundiores sunt fissurae, sulci, gyri, quo perfectius lobi formati sunt, ille maxime, qui frontalis dicitur. Nam cortex supremum organum vitae sensitivae est eiusque extensio eo maior est, quo plures sunt gyri et sulci, per quos descendendo et ascendendo extenditur. Consentit experientia. Homines enim maiore ingenio donati plerumque explicatione subtili simul et harmonica corticis cerebralis excellunt (Gauß, Dirichlet, Beethoven, Helmholtz, Mommsen, Bunsen, Cope), in infantibus haec complicata cerebri structura paulatim tantum perficitur, in idiotis autem magnopere deficit vel ordine caret. 203

Forma interna cerebri et forma externa cranii cerebrum includentis necessario aliquam inter se proportionem habent. Ideo absurdum non est ex forma cranii (alto fronte etc) de intellegentia aliquam coniecturam facere; quae tamen plerumque incerta est. Saepe angulus facialis Camperianus (Camper's Gesichtswinkel) tamquam cranii (et intellegentiae) mensura affertur; qui angulus nempe duabus lineis includitur, una ex fronte ad radicem nasi descendente, altera inde ad aurem ducente: quo maior sit, eo generatim maior esse intelligentia dicitur.

Intellegentia igitur non ita ex pondere sive volumine cerebri (et capacitate calvariae cerebrum includentis) pendet, quam potius ex eius interna structura sive forma. Id iam ex eo colligi potest, quod volumen cerebri hominum recentium inter 1000—1800, immo inter 900—2000 ccm.[1]) variatur. Nec tantum forma, sed etiam compositio chemica spectanda esse videtur.[2])

4. Diversae functiones intellectus diversis partibus circumscriptis cerebri alligatae seu in iis „*localisatae*" sunt. Nam si hae partes laesae sunt, etiam illae functiones cessant. Ergo actus intelligendi a cerebro pendent. — *Resp.* D. ant. directe et intrinsecus localisatae sunt N. indirecte et extrinsecus ratione sensationum concurrentium Sd. elementa sensationum in certis partibus plusminusve localisata sunt C. sensationes (reproductae) compositae, quales ad functiones intellectus concurrunt N. (cf. n. 54 ss.). D. cons. sequitur dependentia externa C. interna N. 204

---

[1]) *Martin,* Lehrbuch d. Anthropologie[2] (1928) 748. — [2]) Ideo studia hodierna bonitatem cerebri ex eius morphologica qualitate deducere conantia exiguum successum habent: „Das Fiasko ist daraus zu erklären, daß alle Versuche, die Organisationshöhe aus der morphologischen Natur eines Gehirns zu bestimmen, von der falschen Voraussetzung ausgehen, die Leistungsfähigkeit eines Organs sozusagen von außen zu bestimmen. Den Prozessen, die in einem Organismus ablaufen, liegen Substanzeigentümlichkeiten der Zellen und chemo-physikalische Reaktionen zugrunde, für die jedes anatomische Substrat fehlt. Es erscheint berechtigt, diesen Weg der Forschung grundsätzlich aufzugeben, da er nicht die Vielfältigkeit des Gegebenen zu berucksichtigen vermag und sich dem Problem der Funktion verschließt." Kuttner-Lewy in: Handwörterbuch d. medizin. Psychologie (1930) 157.

Quia ad functiones intellectuales fere semper simul multae reproductiones ex variis sensibus sumptae concurrunt, plerumque cerebrum totum vel saltem magna eius pars ad eas (extrinsecus) cooperatur eoque magis, quo sublimiores et abstractiores functiones sunt. Idem testantur physiologi et psychologi.

205 Multi existimant, quasdam partes cerebri, quas „centra associationis" vocant, ex quibus magna fibrillarum copia in varias provincias cerebri discurrunt, hoc speciali munere fungi, ut particulares sensationes coniungant et in perfectiores formationes cognoscitivas complectantur itaque modo praecipuo intellectualibus operationibus inserviant. Praesertim cerebro frontali tale munus attribuunt. Revera non pauca facta ostendere videntur, cerebrum frontale magnum momentum habere ad operationes intellectuales.

206 Flechsig ulterius progrediens in cerebro etiam ipsa „organa cogitandi" („Denkorgane") se invenisse opinatur, centrum anterius frontale, quod sedes iudicii moralis et aesthetici sit, centrum medium, denique centrum posterius, quod sedes operationum logicarum sit. — Sed absonum est dicere, partes cerebri organa effectiva cogitandi esse. Neque ita cogitationes intellectus certis partibus cerebralibus (extrinsecus) alligatae sunt, ut ibi exclusive omnes sensationes ad quosdam cogitationum complexus et genera requisitae conveniant. Operationes enim intellectuales sensationibus ex toto ambitu sensibilitatis collectis ideoque fere totius cerebri cooperatione indigent. Insuper absurdum est, hoc modo separatas provincias cogitandi statuere, ut e. g. iudicia moralia ab aestheticis et logicis operationibus separentur; tractationes enim ethicae et aestheticae magna ex parte iisdem operationibus intellectualibus utuntur et praesertim a logicis separari nequeunt.

Art. 2. De prima origine idearum

207 **Quaestio.** Descripta spirituali intellectus natura iam ad eius indolem cognoscitivam nos convertimus, imprimis inquirentes, qua ratione rerum cognitiones sibi comparet. Nunc plurimas rerum cognitiones, ideas, notitias, scientias de rebus vulgaribus, geographicis, historicis, religiosis aliisque in intellectu gestamus. Quaeritur, quomodo in intellectum venerint, utrum fortasse iam nati simus iis instructi, an vero paulatim acquisitae sint et quomodo obtentae sint. Vulgaris quidem opinio tenet et quidem merito, ideas per sensus acquiri, postquam autem acquisitae sint, aliquo modo in statu latenti remanere, ut adveniente aliqua causa excitante reproduci queant Quod tamen difficultate premi videtur. Nam perceptiones sensuum quidem externis impressionibus ab obiectis acceptis determinantur. Sed intellectus, utpote spiritualis, obiectis externis corporeis affici

nequit. Propterea iam ab antiquis temporibus dubitatio mota est, quomodo rerum externarum notitiae in intellectum venire possint, et multis nulla videbatur via patere. De hac igitur origine cognitionum intellectualium modo tractandum est et imprimis de origine idearum. Nam iudicia et ratiocinia ex ideis componuntur, quare tota quaestio ad harum originem revolvitur.

Distinguimus autem duplicem quaestionem. Prima et praecipua est, quomodo intellectus primum ideas acquirat, altera, quomodo, postquam semel acquisitae sunt, iterum reproducantur. Priorem quaestionem diligentissime scholastici pertractarunt, de altera psychologi hodierni copiosas inquisitiones instituunt. Itaque imprimis inquirendum est, quomodo primum puerulis ideae intellectuales, ex quibus deinde ad iudicia et alias operationes progrediuntur, adveniant.

Diversae sententiae de hac prima idearum intellectualium origine propositae sunt: 208

1. **Sensistae** ideas intellectuales nihil esse dicunt nisi accidentales modificationes et associationes sensationum. Ita vero quaestio proposita potius sublata quam soluta est. Si non adsunt ideae a sensationibus essentialiter diversae, neque iam quaestio de earum origine locum habet. Haec sententia iam supra th. 3. refutata est, qua ostenditur, actus intellectus spectata perfectione cognoscendi a sensationibus essentialiter differre.

2. **Doctrina idearum innatarum.** Nonnulli eorum, qui dis- 209
crimen inter ideas intellectus et sensationes agnoscunt, opinantur, ab initio menti *ideas innatas* inesse, i. e. intellectum iam ab initio proximas dispositiones ad ideas rerum exprimendas in se habere, quae accedente sensatione excitentur, ut deinde intellectus in actus prodeat. Quidam eorum omnes, alii saltem quasdam principales ideas, velut universalissimas seu spirituales, sic innatas esse existimant.

Iam *Plato* huius opinionis fuit. Putavit enim, ideas universales (εἴδη), quae rerum essentias immutabiles et aeternas exhibeant, nullo modo ex sensibus hauriri posse, qui

tantum contingentia, mutabilia, transitoria referant, sed animam iis iam instructam in corpus ingredi; animam enim, antequam in corporis carcerem intrusa sit, vita beatiore fruitam et essentias contemplatam esse, quarum ideas secum in corpus afferat, in quo quasi sopitae sint, donec iterum perceptione sensitiva rerum concretarum excitentur. Plato et platonismus sic intellectum a sensu dissociantes multum contulerunt, ut deinceps variae doctrinae falsae de origine idearum proferrentur. Etiam Augustinus non raro hac in re modo platonico loquitur. Praeterea ideas innatas admittunt *Cartesius* (qui tamen non constanter loquitur), *Leibniz*, *Kant*, qui intellectui duodecim „categorias" et rationi tres „ideas" innatas tribuit, *Rosmini* et alii. Falsitas huius opinionis ex proxima thesi colligetur.

210 3. **Ontologismus**, a quibusdam antiquis iam statutus, recentiore autem aetate potissimum a *Malebranche* († 1715), deinde a *Gioberti* († 1852) et *Rosmini* († 1855) restauratus, docet, nos in hac vita immediate, etsi confuse tantum, Deum intueri, reliqua autem in Deo cognoscere tamquam medio in quo, quatenus ut causa exemplaris vel efficiens omnium rerum rationes in se contineat.[1])

Sed haec sententia 1) non est necessaria ad originem idearum declarandam, quippe quae doctrina scholastica melius explicatur. 2) Conscientiae adversatur. Nam cum haec immediata Dei intuitio perpetuo menti inesse et ratio omnium aliarum cognitionum esse dicatur, non posset constanter conscientiam latere; latet autem. Cognitio enim Dei, cuius conscii sumus, est cognitio per discursum et per analogiam ad res creatas comparata. 3) Praeterea non satis explicari posset, cur solum difficulter et per discursum rerum essentias cognoscamus, si omnes in Deo videremus.

211 Ad ontologismum statuendum aliquam ansam interpretatio quorundam locorum *s. Augustini* dedit, in quibus asserit, suprema principia *in rationibus aeternis* divinis cognosci. Haec conceptio ex Platone derivatur. Plato enim docuit, essentias rerum, quas ideas appellat, subsistere in ordine quodam ideali a visibili mundo separatas earumque

[1]) Ontologismus proscriptus est a S. Officio 18/9 1861. DB 1659.

participatione intellectum res visibiles cognoscere. Neoplatonici autem (Plotinus † 269 p. Ch.) ideas in mente divina a summo ente emanante (Νοῦς) collocabant, ex qua instar virium et substantiarum subsistentium in mentes humanas agant. Simile fere munus philosophi arabici intellectui agenti ascribunt (n. 230). Augustinus autem, saniora proponens, multis in locis asserit, rationem, cur suprema principia cum evidentia perspiciamus, esse veritatem aeternam et immutabilem divinam, cuius lumine mens humana illustretur. In quibus locis s. Doctor asserere videtur, Deum, esse infinitum, una ex parte ultimam rationem esse omnium veritatum cognoscibilium, quae, utpote immutabiles et aeternae, non ex hominibus veniunt, sed ultimam rationem in veritate immutabili et aeterna habent, altera ex parte mentem humanam in iis cognoscendis divinitus illustrari, quatenus illae veritates sicut eradiationes a divino sole descendant et in humana mente recipiantur et quatenus Deus simul causa et fons sit luminis cognoscitivi humani.[1]) Sed obscure loquitur. Schola augustiniana s. 13 et deinceps eius doctrinam ita interpretata est, ut doceret, lumen divinum movere intellectum creatum, ut per ipsum et in ipso veritates immutabiles videat. Postea etiam ontologistae ad Augustinum provocarunt.

4. **Irrationalismus**. Haec doctrina, nunc multum divulgata, 212
affirmat, res superempiricas, praesertim quae divinitatem et religionem spectant, a nobis potissimum vel unice attingi non intellectuali ratiocinatione per ideas extrinsecus haustas, sed modo „irrationali". Hic modus describitur ut immediata apprehensio et contactus plusminusve ex ipso subiecto proveniens et quidem vel ut apprehensio pure affectiva sive emotionalis vel ut perceptio quaedam in modum „intuitionis"; quae tamen non ita intuitio intellectus, quam potius cordis intellegitur itaque ab apprehensione affectiva parum differt.

Haec doctrina, praetermissa criteriologica consideratione[2]), non concedit, cognitiones superempiricas per ideas ex mundo externo ope experientiae haustas et in discursus compositas comparari. Falso immanentismo addicta affirmat, eas plusminusve ex ipso subiecto, eius indole, indigentia vel ex immediato eius contactu cum divinitate promanare. Ideo negat, eas modo rationali, per ideas et ratiocinationes extrinsecus haustas et determinatas, demonstrari posse.

[1]) Cf. Ontol., De ultima ratione possibilium; Criticam, De irrationalismo — [2]) De qua cf. Criticam, De irrationalismo.

213 Immanentismi et intuitionismi defensores ita ferme disserunt: „Dispositio, quam humana ratio secum attulit, cum species homo mundum ingrederetur, facta est naturalis impulsus, nempe religiosus, qui ortus est ex obscuro fundamento idearum innatarum." Apprehensio divini et aeterni est „indolis intuitivae-affectivae": „intellectualis dialectica expositio et demonstratio talis intuitionis non est possibilis, immo institui non debet, quia eius propriae naturae contraria est."[1] „Homo, in quocumque gradu evolutionis religiosae constitutus, semper et ab initio intuetur aliquem realitatis et valoris ordinem, qui ab universo reliquo mundo experimentali penitus diversus est . . atque tantum et unice actu religioso [amoris, desiderii etc.] apprehendi potest: haec est prima certa veritas omnis phaenomenologiae religiosae, eaque asseritur, experientiam religiosam esse originariam et inderivabilem." „Eo modo primitivo, quo mens ordines mundi externi . . apprehendit, eodem omnino per actum religiosum ordinem divinorum et supersensibilium phaenomenorum et factorum intuetur . . Ergo de exsistentia ordinis religiosi ex aliis factis mundanis per argumentationem demonstranda sermo esse nequit.[2])

214 Quaedam intuitionismi forma, sed valde absona *theosophismus* est, qui docet, hominem, saltem si se disponat, posse immediata intuitione supersensibilia, divina et arcana percipere, quae modis absurdis describi solent (Jac. Böhme, Swedenborg, Helena P. Blavatsky, R. Steiner).

215 5. **Traditionalismus** Quidam scriptores catholici Galliae, quibus traditionalistarum nomen inditum est, e. g. Bonald († 1840), Lamennais († 1854), Bonnetty († 1879) volentes insolentiam rationis deprimere in hunc errorem inciderunt, ut dicerent, homines ideas et veritates omnes vel praecipuas initio ex revelatione divina accepisse, postea autem unam generationem alteri eas per traditionem oralem transmittere. Quae sententia, nunc merito relicta, ad originem idearum explicandam inepta est, quia revelatio divina vel traditio oralis intellegi nequeunt, nisi iam antea homo scit, Deum esse eumque locutum esse, et nisi ideas verbis auditis respondentes iam habet, alioquin audita non intellegit. Praeterea sententia falso supponit, rationem veritatis cognoscendae incapacem esse.

[1]) *R. Otto:* „Die Anlage, die die menschliche Vernunft beim Eintritt der Gattung Mensch in die Geschichte mitbrachte, ward . . zum Trieb, nämlich zum religiösen, der sich . . über sich selbst klar werden will und klar wird durch Explikation der dunklen Ideengrundlage a priori selber, aus dem er auch selber entsprang." Die religiösen Anschauungen sind „Erkenntnisse intuitiv-gefühlsmäßigen Charakters": „eine verständig-dialektische Auseinandersetzung und Rechtfertigung solcher Intuition ist gar nicht möglich, ja darf nicht einmal statthaben, da sie ihr eigenstes Wesen aufheben würde." Das Heilige (1921) 139 174 175. — [2]) *Max Scheler:* „Daß der Mensch, auf welcher Stufe seiner religiösen Entwicklung er sich befinde, immer und von vornherein in einen von der gesamten Erfahrungswelt grundverschiedenen Seins- und Wertbereich hineinblickt . ., der nur und ausschließlich zugänglich ist durch den religiösen Akt: das ist die erste sichere Wahrheit aller religiösen Phaenomenologie. Es ist der Satz von der Ursprünglichkeit und Unableitbarkeit religiöser Erfahrung." „So ursprünglich das Bewußtsein in seiner endlichen Wesensbestimmtheit immer wesensnotnotwendig die Sphären ‚Außenwelt, Ich, Wir' als Korrelat hat . ., genau so ursprünglich blickt es durch den religiösen Akt auch in die Sphäre der göttlichen, übersinnlichen Phänomene und Tatsachen . . Von einem Beweis der Existenz der ganzen religiösen Sphäre aus anderen Welttatsachen durch Schluß kann daher keine Rede sein." Das Ewige im Menschen I (1921) 398 342.

6. **Doctrina scholastica** docet, ideas a nobis acquiri et quidem ex experientia. Hanc doctrinam sequimur, sicut constanti scholasticorum consensu, saltem quod praecipua capita attinet, tradita est, licet in quaestionibus minoribus dissensiones fuerint et adhuc sint. Distinguimus autem praecipua a minus principalibus. 216

Doctrina enim complura puncta continet: 1. Intellectus ideas acquirit; quo asserto potissimum ideae innatae excluduntur. 2. Ideas per experientiam, sensibilem maxime, acquirit, non vero fortasse per revelationem vel numinis intuitionem, quam ontologistae statuunt, vel ex interno ordine subiecti, ut immanentismus irrationalismi proprius opinatur. 3. Ideae intellectuales autem a sensationibus, ex quibus hauriuntur, eo potissimum differunt, quod plerumque universales, mentis abstractione comparatae, sunt; quo sensismus et doctrinae affines excluduntur. Praeterea continet 4. punctum, quod accuratior determinatio puncti secundi est: ideae a sensibus accipiuntur ope intellectus agentis. Hoc punctum, quia nec momenti nec certitudinis eiusdem est sicut priora et quia praeterea doctrinam scholasticam ceteroquin valde claram et simplicem paulum implicatam reddit, a reliquis punctis instar supplementi separamus.

Agemus igitur ex ordine primum de acquisitione idearum ex experientia, quae est pars praecipua doctrinae de origine idearum, deinde de intellectu agente, tertio loco adiungemus particularem quaestionem de singularium cognitione cum origine idearum conexam et inter scholasticos controversam.

§ 1. De acquisitione idearum ex experientia

Th. 5. Intellectus ideas rerum non ab initio in se habet, sed acquirit (1. p.), et quidem per experientiam, sensibilem maxime (2. p.). Atque hoc ita, ut ideas universales, sibi maxime proprias, ex experientia per ingenitam suam facultatem abstrahendi comparet (3. p.).

217 **Declar.** Ideae sunt similitudines intentionales obiectorum. Quot igitur ideas intellectus in se producit, tot rerum similitudines exprimit. Iam vero quidquid causa in actu secundo producit, in actu primo iam virtualiter habeat oportet. Ergo, ut intellectus in actu secundo ideas seu expressiones obiectorum habere possit, requiritur, ut eadem obiecta iam in actu primo aliquo modo in se contineat. Aliis verbis, ut intellectus hoc vel illud per ideam exprimere queat, praerequiritur, ut obiectum exprimendum ei prius coniungatur, quatenus iam in actu primo quandam cum obiecto assimilationem accipiat.

De hac coniunctione cum obiecto quaestio instituitur, quomodo intellectus istam ultimam *dispositionem in actu primo* ad ideas exprimendas praerequisitam accipiat. Quod maxime ideo difficile esse videtur, quia intellectus spiritualis per obiecta externa immediate affici nequit.

Sed directe tantum de ideis *primitivis* sive illis loquimur, quae non ex aliis formatae sunt. Ex aliis ideis formantur e. g. ideae ‚fons vini', ‚aqua caerulea', conceptiones architectonicae ex variis elementis compositae et maxime ideae analogae ex propriis formatae, velut ‚immateriale', ‚improductum'. Patet, tales ideas (factitiae interdum dicuntur) non directe extrinsecus accipi, sed ex primitivis propria activitate formari. Sufficit igitur ostendere, qua ratione primitivae acquirantur.

218 In 1. p. negamus, intellectum sufficientem dispositionem ad ideas exprimendas ab initio in se habere. Eam haberet aut per essentiam animae hoc fere modo, quo Deus rerum perfectiones ut omnium supremum exemplar et causa in se gerit (quod facile apparet in anima limitata impossibile esse) aut per innatas dispositiones accidentales sive species et quasi inscriptiones; quae „ideae innatae“ vocantur. (In qua

acceptione „idea“ non intellegitur ipsa cognitio sive idea formalis, sed idea dispositiva seu dispositio ad ideam producendum.) Asserimus igitur, intellectum ab initio quasi „tabulam rasam“ esse, nullis inscriptionibus instructam. Sed ideas innatas non propterea reicimus, quod in se impossibiles sint. Sicut enim homo dispositiones sive species acquirere potest, etiam Deus eas ab initio infundere posset; et theologi docent, primis parentibus et animae humanae Christi revera tales species infusas esse. Tantum affirmamus, eas reapse lege ordinaria non adesse.

In 2. p. asserimus, fontem idearum experientiam esse. Experientia autem duplex est, externa de rebus externis, quae sensibus fit, et interna de propriis actibus psychicis, quae conscientia fit, quo nomine immediata perceptio actuum internorum designatur. Etsi pleraeque ideae sensibus acquiruntur, minime tamen omnes, ut sine restrictione dicere liceret ideas per sensus accipi.

Quod 3. p. attinet, in quaestione proposita inculcandum est, intellectum ideas ab experientia non pura quadam reactione passiva accipere, ut ideae tantummodo immutatae copiae perceptionum sint, sed ideas a perceptionibus potissimum universalitate differre, ex propria intellectus abstractione orta. Multi asserunt, intellectum hanc abstractionem iam in primo actu exercere, quando sensatio obiectum singulare proponit; alii autem putant, primam ideam ex sensu acquisitam esse singularem et intellectum postea demum ad ideam universalem progredi instituta comparatione inter complura individua. Sed hanc rem controversam interim omittentes in 3. p. tantum inculcamus, intellectus proprium esse ideas universales comparare. Non utique asserimus, eum tantum ideas universales elicere, etenim etiam res singulares apprehendit, sed sic intellectus proprium esse ideas universales formare, ut ei facultas et naturalis tendentia ad eas formandas insit.

Demonst. 1. p. 1. Si intellectus ab initio sufficientes dispo- 219
sitiones ad ideas rerum exprimendas haberet, homines ab initio iam simili modo se haberent sicut postea, quando experientia, studio, instructione rerum ideas compararunt.

Tunc vero ideae semper ita paratae sunt, ut sponte a prompte absque nova rerum experientia, sine instruction et studio, solum posita aliqua excitatione reviviscant e praesto sint. Atqui homines *ab initio non iam ita se haben sicut postea.* Sed paulatim tantum res videndo et tangend ideas comparant, lente et cum labore rerum relatione similitudinem, diversitatem, nexus causales percipiunt, cun mora et difficultate, quae proponuntur, intellegunt et, qua docentur, capiunt, cum instructione et diuturno studio i rerum intellegentia et scientia progrediuntur; non nascun tur linguis instructi, eruditi, geographi, philosophi, sed lent et cum industria fiunt. Ergo intellectus ideas rerum no ab initio in se habet, sed acquirit.

Neve dicatur, externam experientiam tantum necessarian esse, ut ideae innatae excitentur. Modus descriptus progre diendi in cognoscendo talis est, qualis respondet ideis ac quirendis, non tantum excitandis. Si tanta cooperatio ex perientiae postularetur, qualis ad producendas ideas sufficit ideae innatae superfluae essent.

2. Idem omnibus rationibus 2. p. afferendis demonstra tur, quae ostendunt, ideas *per experientiam,* sensibilem ma xime, acquiri.

220 3. Intellectus sufficientem dispositionem sive assimilationem ad idea exprimendas ab initio haberet aut per species accidentales superaddita aut *per essentiam animae.* Hoc posterius insuper hac speciali ration excluditur, quod sic opus esset, ut anima rerum omnium perfectione quas cognoscit, in essentia sua contineret, simili modo sicut Deu omnium causa et exemplar, omnium perfectiones in se complectitu Iam vero hoc non est. Anima nec virtualiter, ut causa, res co gnoscendas in se habet, quia non est causa hominum, animalium montium, eventuum historicorum. Nec formaliter sive eminenter omnen rem continet, quia finita est. „Quaelibet creatura habet esse finitum e determinatum. Unde essentia superioris creaturae, etsi habeat quandan similitudinem inferioris creaturae, prout communicant in aliquo genere non tamen complete habet similitudinem illius, quia determinatur a aliquam speciem, praeter quam est species inferioris creaturae. Se essentia Dei est perfecta similitudo omnium, quantum ad omnia, qua in rebus inveniuntur, sicut universale principium omnium."[1])

221 Quaestio modo tractata, num ideae innatae adsint, psychologica est Alia est quaestio critica hoc loco praetermittenda, utrum ideae innatae, s

[1]) 1 q. 84 a. 2 ad 3.

admittendae essent, propterea *valore obiectivo* destitutae essent. Id Kant supponit. Sed hoc minime sequitur. Valor enim obiectivus ideae per hoc solum adest, quod idea est signum quo sive imago intentionalis obiecti, quaecumque est eius origo et productio. Ideae et generatim cognitiones non propterea valorem obiectivum habent, quia per influxum obiectorum producuntur, sed quia obiecta repraesentant, sicut sunt. Neque sane ideae valorem habere desinerent, si loco obiectorum Deus eas produceret.

Demonst. 2. p. Ideas rerum externarum, quae sunt pars maior cognoscendorum, per sensus acquirimus, ideas autem actuum internorum per experientiam internam. Ergo intellectus ideas rerum per experientiam, sensibilem maxime, acquirit. 222

A. *Ideas rerum externarum per sensus acquiri,* sic elucet.

1. Homines, qui ab initio aliquo *sensu carent,* etiam ideis obiectorum carent, quae huic sensui propria sunt, velut caeci ideis colorum, surdi sonorum. Praeterea tantum rerum externarum sensibilium conceptus proprios habemus, non vero spiritualium. Et rerum sensibilium eo clariores ideas habemus, quo perfectiores sunt sensationes, quibus simul apprehenduntur. Atqui haec tantum ex eo declarari possunt, quod intellectus ideas rerum externarum per sensus acquirit. Aliter explicari non potest, cur in caecis natis numquam ideae colorum excitentur[1]), cur, si ideae infusae dicuntur, tantum tales ideae propriae infusae inveniantur, quas etiam sensus dare potest. Ergo.

Idem confirmatur ex eo, quod hic modus acquirendi ideas per sensus organis alligatos apprime congruit cum natura humana ex *corpore et anima unita* et sensibus instructa. Sensus enim et corpus sine dubio hunc finem habent, ut animae et cognitioni eius intellectuali comparandae inserviant, quia inferiora propter superiora adsunt. „Maxime autem videtur corpus esse necessarium animae intellectivae ad eius propriam operationem, quae est intellegere."[2])

Eadem est constanter assertio *Aristotelis et scholasticorum,* ideas acquiri et quidem (potissimum) per sensus. Aristoteles negat, nobis ideas rerum innatas esse[3]), et iam animad-

[1]) Cf. 1 q. 84 a. 3. — [2]) 1 q. 84 a. 4. — [3]) E. g. An. post. II 19 (99 b).

vertit, homines, qui nati sint caeci vel surdi, carere colorum et sonorum ideis.[1]) S. Thomas idem semper repetit: „Intellectiva cognitio fit a sensibili"[2]); „scientiam a sensibilibus mens nostra accipit" [3])

Ideo commune scholasticorum proloquium est: nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.

223 2. Denique *interna possibilitas,* ut intellectui necessaria dispositio ad ideam producendam ope sensationis afferatur, ex eo sequitur, quod sensatio una ex parte in se obiectum continet, quod per ideam intellectus exprimendum est, ut figuram, domum, altera ex parte sensatio cum intellectu in eadem anima est, quo efficitur, ut obiectum in sensatione stans intellectui coniunctum censeri possit. Si quis utique ad mentem Platonis unionem entitativam animae intellectualis cum corpore negat, viam praecludit, qua intellectus ex sensibus ideas acquirat, et ad ideas innatas vel alias doctrinas confugere debet.

Sicut igitur actus appetitus sensitivi, ut primum in nobis oritur, statim similem actum in voluntate determinare solet, et sicut cognitio boni sponte in voluntate complacentiam eiusdem obiecti excitat, nempe propter praesentiam in eadem anima, sic etiam sensatio obiecti facere potest, ut in intellectu idea eiusdem obiecti oriatur.

Itaque obiectum sensatione intellectui coniungitur et in ideam producendam influit; hinc celebre pronuntiatum: *cognitio fit a cognoscente simul et cognito.* A cognoscente fit, quatenus est actus cognoscitivus intellectu productus, a cognito autem sive obiecto fit, quatenus est cognitio certi obiecti, quod intellectui antea coniunctum sit oportet.

224 Scholastici accuratius modum exponere student, quo hic influxus sensationis in intellectum concipiendus sit, medium interponentes intellectum agentem. Quem interim omittimus (n. 230). Doctrina scholastica maius meritum ex eo habet, quod constanter ideas ex sensibus hauriri tenet itaque ab immoderato dualismo recedit, quem e. g. Plato inter intellectum et sensum ponit, quam ex hoc, quod certum modum defendit, quo sensatio intellectum determinet.

---

[1]) An. post. I 18 (81 a 38); De an. III 8 (432 a 8); De sens. et sens. 6 (445 b 16). — [2]) 1 q. 84 a. 6. — [3]) Ver. q. 10 a. 6.

Obiecta externa primum perceptionibus proponuntur. Sed scholasticis secundum Aristotelem consuetum est dicere, *phantasma* intellectui obiecta (externa) proponere eumque determinare. Hoc non immerito dicitur, quia plerumque saltem ad perfectiores magisque completas ideas rerum tum ea concurrere debent, quae nunc in re percipiuntur, tum aliae eius qualitates, quae antea perceptae fuerunt et in phantasia ac memoria repraesentantur.

B. *Ideas actuum internorum experientia interna acquirimus.* 225
Non tantum rerum externarum, sed internorum quoque actuum et affectionum psychicarum ideas habemus, ut cognitionis, visus, dubii, felicitatis, libertatis, actionis, successionis. Has autem per experientiam internam acquirimus. a) Id perpetuo experimur. Propterea enim scimus, quid sit gaudium et tristitia, quid cognitionis claritas et obscuritas, quomodo differat dubium et certitudo, benignitas et ira, quia ea experti sumus et continuo experimur; et si accuratiorem eorum notitiam accipere volumus, reflexione adhibita ea in nobis attentius consideramus. b) Aliunde ideas actuum haurire non possumus. — Neque difficultas est, ut isti actus intellectui in actu primo sufficienter coniungantur. Haec coniunctio adest, quatenus actus cum intellectu in eadem anima stant.[1])

Experientia interna multas ideas principales suppeditat, quae primum quidem a rebus internis sumptae sunt, deinde vero rebus quoque externis concipiendis applicari possunt, quales sunt ideae exsistens, ens, actio, causa, substantia. Tamen verum manet, res externas ad suas ideas nos tantum per sensus determinare.

Demonst. 3. p. *Ideas universales intellectui maxime proprias* 226
esse, ex eo manifestum fit, quod omnes eius operationes ideis universalibus componuntur et ex iis suam indolem

---

[1]) Idem *s. Thomas* docet. Respondens ad obiectionem: „Videtur, quod intellectus non intellegat actum voluntatis. Nihil enim cognoscitur, nisi sit aliquo modo praesens in intellectu" — haec scribit: „Ratio illa procederet, si voluntas et intellectus, sicut sunt diversae potentiae, ita etiam subiecto differrent . . Nunc autem cum utrumque radicetur in una substantia animae . ., consequens est, ut, quod est in voluntate, sit etiam quodammodo in intellectu." 1 q. 87 a. 4 ad 1. (Ideo neque species impressas postulat ad actus internos percipiendos; 3 sent. d. 23 q. 1 a. 2 ad 6.)

specificam accipiunt: iis efficitur, ut intellectus iudicare, ratiocinari, principia generalia formare et suo proprio modo, quo sensus non possunt, de rebus cogitare queat.

Intellectus ideas universales ex experientia, quae tantum singularia offert, directe haurire nequit, sed eas *per propriam facultatem abstrahendi* ex experientia sibi comparat. Quae abstractio ideae universalis in hoc consistit, quod intellectus in obiecto tantum id apprehendit, quod ei cum aliis obiectis commune est (nigrum, rotundum, ens), differentias vero (*hoc* nigrum, rotundum, *tale* ens) omittit. Sensus obiectum ut singulare percipit, e. g. ‚certum corpus nigrum hic exsistens', intellectus vero a singularitate, exsistentia aliisque praescindere tantumque id apprehendere solet, quod obiecto cum aliis rebus individualibus commune est, ut ‚ens', ‚corpus', ‚nigrum'. Non tamen asserimus, intellectum hanc abstractionem statim facere, ut primum aliqua res singularis proponitur; sed forte postquam complures tales res percepit easque sub certo respectu similes esse deprehendit, eam peragit.[1])

227 Quamquam igitur cognitio intellectualis maxima ex parte ex sensibus hauritur, tamen non est mera recapitulatio cognitionis sensitivae, sed intellectus propria spontaneitate ex determinationibus a sensibus acceptis altiores cognitiones effingit et ambitum sensuum excedit. Hoc maxime per abstractionem idearum universalium efficitur; attamen non tantum, sed praeterea potissimum per apprehensionem relationum, qua rerum similitudinem, diversitatem, causalitatem perspicere, iudicia et ratiocinia formare potest.

228 *Nota. De ideis rerum spiritualium.* Sensus igitur praecipuus fons idearum est, attamen directe tantum illarum, quae materialia apprehendunt. Ideae rerum spiritualium qua talium per sensus directe acquiri non possunt. Proinde interrogatio se offert, quomodo mens harum ideas acquirat.

a) Primum eas acquirit *ex sensibus*, attamen tantum indirecte, quatenus eas ope idearum rerum materialium efformamus, quas sensibus acquisivimus, concipiendo spiritualia per oppositionem ad materialia (‚immateriale'), per similitudinem cum iis (‚apprehensio') et aliis modis. Eiusmodi conceptus igitur tantum *analogi* sunt, quia res spirituales non tales exhibent, quales in se sunt, sed per respectum ad alias res, quae illarum perfectionem non adaequant.

[1]) Quae sententia praeferenda videtur alteri, quae abstractionem in primo obiecto apprehenso fieri asserit. De qua re cf. n. 243.

b) Permultum etiam ideae ex *interna experientia* haustae ad formandas notiones rerum spiritualium concurrunt, quatenus substantiae spirituales tamquam subiecta et principia actuum intellectualium concipiuntur, velut ‚substantiae cogitantes et volentes', ‚vita rationali praeditae'. Attamen isti quoque conceptus analogi sunt, quia essentiam actuum internorum plerumque tam obscure apprehendimus, ut haec cognitio propria vocari nequeat; non enim essentiam cognitionis vel spiritualitatem, ut in se sunt, cognoscimus.

Magna vis nativa et agilitas intellectus in eo manifestatur, quod ideas rerum spiritualium, quaecumque ad religionem, moralitatem et similia spectant, in prima iam pueritia prompte ex rebus sensibilibus apprehensis sibi efformare potest. Quae agilitas etiam magis apparet, si homo ab initio visu vel auditu caret. Immo inveniuntur, qui utroque sensu caruerunt, nihilominus omnes ideas altiores et notabilem vel eximiam mentis eruditionem acquirere potuerunt, e. g. Helena Keller, Laura Bridgman, Maria Heurtin.

Obiectiones. 1. Animae essentiale est semper cogitare; alioquin non 229
viveret (Cartesius). Ergo habet ideas ab initio innatas. — *Resp.* N. ant. ad rat. D. non viveret in actu primo N. non in actu secundo C.

2. Suprema principia cogitandi, leges conscientiae, idea Dei, desiderium felicitatis et alia huiusmodi nobis ingenita sunt. Ergo ideae innatae admittendae sunt. — *Resp.* D. principia illa ingenita sunt radicaliter spectata, i. e. ingenita est intellectus vis, qua facile et cum quadam necessitate illas ideas et veritates apprehendit C. formaliter spectata innata sunt N. Idem dicendum est de idea Dei. Innatum est desiderium felicitatis D. radicale, quatenus potentiae nisus ad felicitatem desiderandum inest C. formale N.

3. Cognitio obiecti necessarii et universalis, velut notarum essentialium et universalium, ex rebus sensibilibus contingentibus et singularibus hauriri nequit; ergo innata est (Kant). — *Resp.* D. ant. non sine abstractione et comparatione intellectus comparari potest C. non cum ea N.

4. Veterum scholasticorum constans sententia est, omnes ideas e sensibus hauriri: „nihil in intellectu, quod non fuerit in sensu“ (cf. r 222). Ergo per experientiam internam ideae non acquiruntur. — *Resp* D. ant. veteres non expresse nominant experientiam internam C. ex cludunt N. Vel propterea de sensu tantum loquuntur, quia fons prae cipuus est, vel interdum nomine sensus totam experientiam significant Ceterum concedendum est, hanc internae experientiae omissionem ali quem defectum esse.

5. Ut phantasma aliquid ad intellectum determinandum conferret opus esset, ut intellectus phantasma prius cognosceret, ut nempe vide ret, quid sibi repraesentandum esset. — *Resp.* N. Phantasma non pe hoc, quod cognoscatur, sed per aliquam efficientiam propter praesen tiam in eadem anima facit, ut oriatur actus intellectus idem obiectun repraesentans.

*§ 2. De intellectu agente

*230 Ob maiorem doctrinae simplicitatem et propterea etiam ut certa a minus certis distinguantur, in thesi praecedent aliquod punctum omissum est, quod praeterea doctrina scholastica de prima origine idearum continet. Scholastic accuratius definire volentes, quomodo sensatio intellectu cognoscenti dispositionem seu assimilationem praerequisitam conferat, insuper docent (quam doctrinam ex Aristotele hauserunt), sensationem sive phantasma non immediate, sed *mediate* tantum in intellectum ad ideam producendam influere. Inserunt inter phantasma et ideam „speciem impressam“, quae ab „intellectu agente“ producatur. Existimant enim, phantasma per se ipsum non posse immediate intellectui sufficientem dispositionem ad ideam producendam conferre, sed ad hanc assimilationem requiri speciem spiritualem intellectui ante actum cognoscendi impressam et quidem impressam per intellectum agentem, quem appellant, qui phantasmate ad istam speciem producendam determinetur. — Paulo uberius igitur exponendum est, quid nomine speciei impressae et intellectus agentis significetur.

Distinguitur species expressa et impressa. Species expressa est ipsa idea vel actus repraesentans. *Species impressa* vero, quae etiam „species intellegibilis“ vel „idea“ (nempe dispositiva) vocatur, non est ipsa cognitio, sed vicaria similitudo obiecti intellectui cognoscenti in actu primo indita et inhaerens, qua obiectum intellectui coniungitur eique

proxima dispositio ad cognitionem praerequisita confertur. Species igitur impressa non est id, quod cognoscitur, neque id, quod cognoscit sive quo cognoscitur, sed medium, *quo praeparatur* cognitio.[1])

Praeterea distinguunt intellectum patientem seu „possibilem“ (νοῦς παθητικός seu ν. δυνάμει) et intellectum agentem (νοῦς ποιητικός). Intellectus patiens sive possibilis est ipsa illa facultas intellegendi, quam simpliciter intellectum vocamus; quae ideo patiens vel possibilis dicitur, quia secundum se solum spectatus actu nec cognitionem nec speciem impressam habet, attamen ad utramque accipiendam in potentia est. Nomine *intellectus agentis* autem facultas spiritualis designatur, quae non ipsa intellegit, sed cuius unicum munus est, ut in intellectu patiente species impressas producat.

Secundum hanc igitur doctrinam phantasma non directe 231* intellectum ad ideam producendam determinat, sed tantum intellectum agentem ad speciem impressam in intellectu patiente producendam determinat, qua instructus hic deinde ideam ipsam producit. Etenim etiam intellectus agens ex se indifferens est ad speciem imprimendam vel non imprimendam, hanc vel illam imprimendam; proinde pariter determinandus est et quidem per phantasma, quod obiectum proponit. Ideo omnium scholasticorum sententia est, phantasma una cum intellectu agente ad species impressas producendas concurrere, ut ex utroque completum principium speciei impressae coalescat, attamen ita, ut intellectus agens praecipuas partes agat et quasi causa principalis, phantasma autem causa instrumentalis sit, intellectus agens faciat, ut species imprimatur immaterialis, phantasma vero, ut imprimatur species talis obiecti. Itaque obiectum externum primum impressionem in organum facit, ut sensatio externa

---

[1]) Sunt (scotistae, Suarez, alii), qui speciem impressam similitudinem virtualem, et alii (thomistae), qui eam similitudinem formalem vocandam esse velint. Species impressa certe quaedam similitudo obiecti est, attamen non cognoscitiva, sicut species expressa, sed tantum dispositiva. Ideo praeferendus videtur modus loquendi eorum, qui eam similitudinem virtualem appellant.

et forte simul etiam phantasma oriatur, quod deinde intellectum agentem determinat, ut una cum phantasmate speciem impressam in intellectu patiente efficiat, qui deinde ideam ipsam producit.

Num Aristoteles hanc doctrinam, sicut descripta est, docuerit, incertum est (n. 240). Sed postquam primus Albertus M., Aristotelem ita interpretans, eam excoluit, s. Thomas eam recepit et postmodum scholastici omnium scholarum communiter docuerunt existimantes, eam esse aristotelicam. Sunt tamen, etsi non multi, qui necessitatem specierum impressarum et intellectus agentis negant, inter quos nominandi sunt Guilelmus Parisiensis, Henricus Gandavensis, Durandus, Aureolus, Occam, Oviedo, Lessius, inter recentes Balmes, Tongiorgi, Palmieri, Geyser.

*Th. 6. **Probabile est, in ideis per sensus acquirendis species impressas necessarias esse (1. p.), intellectu agente productas (2. p.).**

Ad demonstrandam thesim argumentationem adhibemus apud scholasticos usitatam, etsi plenam certitudinem non afferat, a novis argumentis peregrinis, quae forte excogitari possint, abstinentes, ut doctrinam scholasticam proferamus, sicut ab antiquo tempore proposita est.

*232 **Demonst. 1. p.** Probabile est, non sufficere phantasma, ut immediate per se ipsum necessariam dispositionem facultati intelligendi conferat, sed requiri assimilationem spiritualem potentiae intellegendi inhaerentem. Atqui haec vocatur species impressa. Ergo probabile est, requiri speciem impressam.

Demonst. mai. a) Phantasma est *materiale,* in corpore animato inhaerens, facultas autem intellegendi spiritualis, in sola anima exsistens. Ideo non videtur sufficiens utriusque coniunctio et perfectionis aequalitas adesse, ut potentia intellegendi per solum phantasma materiale sibique quodam modo externum obiecto sufficienter assimilata sit, sed videtur postulari assimilatio spiritualis ei inhaerens.[1])

[1]) *Suarez:* „Intellectus est alterius ordinis ab omni potentia sensitiva: ergo in proprio ordine habet omnia requisita ad actum cognitionis. Haec autem sunt potentia et obiectum illi unitum. Ergo in proprio ordine spirituali hoc habet. Illa autem unio fit per species. Ergo habet species proprias a sensibilibus distinctas." De anima III 1 n. 9.

b) Phantasma obiectum ut *singulare* repraesentat. Ex mente autem multorum scholasticorum, praesertim s. Thomae et thomistarum intellectus statim primo actu et directe obiectum ut universale exhibet. Iam vero non videtur phantasma obiectum singulare repraesentans assimilatio sufficiens esse ad ideam universalem exprimendam, sed similitudo seu species pariter universalis requiri videtur. (Haec ratio non ex sententia omnium est. Multi enim existimant, intellectum primo actu de obiecto singulari proposito etiam ideam singularem exprimere et demum postea universalem per abstractionem ex ideis singularibus formare.)

Apud *s. Thomam*, cuius auctoritate praecipue factum est, ut doctrina de speciebus impressis et intellectu agente communiter reciperetur, ratio secundo loco allata principalis vel unica est, quae profertur, sed constanter conexa invenitur cum conceptione illa platonica-aristotelica de *materia principio individuationis,* quam sententiam s. Doctor suam fecit. 233*

Supponit, essentias sive „formas" rerum numerice in individuis muliplicari per materiam, quatenus eadem forma in diversa materia signata recipiatur.[1]) Iam vero, ita ratiocinatur, etiam intellectus formas cognoscendas in se recipit; cognoscendo enim facultas cognoscitiva obiectum in se recipit ipsaque quasi obiectum fit. Quidquid autem recipitur, recipitur secundum modum recipientis. Ideo, quia sensus in materia certis corporalibus dimensionibus signata inest, „obiectum cuiuslibet sensitivae potentiae est forma, prout in materia corporali exsistit. Et quia huiusmodi materia est individuationis principium, ideo omnis potentia sensitivae partis est cognoscitiva particularium."[2]) Intellectus autem non est in tali materia, ideo non recipit formas cum singularitate, sed tantum „in conditionibus immaterialibus" sive a singularitate abstractas. Ergo obiecta, sicut in materia sunt et a phantasmate proponuntur, non sunt actu intellegibilia, sed antea quasi extrahenda, abstrahenda, liberanda sunt a condicionibus materialibus sive a singularitate. Ad hanc abstractionem faciendam intellectus agens requiri dicitur.

„Sensus", inquit Angelicus, „est virtus in organo corporali; intellectus vero est virtus immaterialis, quae non est actus alicuius organi corporalis. Unumquodque autem recipitur in aliquo per modum sui. Cognitio autem omnis fit per hoc, quod cognitum est aliquo modo in cognoscente, scilicet secundum similitudinem. Nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu. Oportet igitur, quod sensus corporaliter et materialiter recipiat similitudinem rei, quae sentitur. Intellectus autem recipit similitudinem eius, quod intellegitur, incorporaliter et immaterialiter. Individuatio autem naturae communis in rebus corporalibus et materialibus est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus

[1]) Cf. Ontologiam, De principio individuationis. — [2]) 1 q. 85 a. 1.

contenta; universale autem est per abstractionem ab huiusmodi materia et materialibus condicionibus individuantibus. Manifestum est igitur, quod similitudo rei recepta in sensu repraesentat rem, secundum quod est singularis, recepta autem in intellectu repraesentat rem secundum rationem universalis naturae."[1]) „Quia Aristoteles non posuit formas rerum naturalium subsistere sine materia (formae autem in materia exsistentes non sunt intellegibiles actu), sequebatur, quod naturae seu formae rerum sensibilium non essent intellegibiles actu . . Oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quae faciat intellegibilia in actu per abstractionem a condicionibus materialibus; et haec est necessitas ponendi intellectum agentem."[2])

*234 **Demonst. 2. p.** Species impressa, utpote accidens spirituale, postulat causam seu potentiam pariter spiritualem, quae eam producat; phantasia, potentia tantum organica, ad eam producendam non sufficit, quia effectus superaret causam. Atqui haec potentia spiritualis producens speciem impressam intellectus agens vocatur. Ergo species impressae producuntur per intellectum agentem ideoque, sicut probabile est esse species impressas, pariter probabile est esse intellectum agentem.

*235 Argumentatio in 1. p. allata non affert plenam certitudinem. Adversarii enim haec vel similia *respondent*[3]):

1. Videtur phantasma sufficiens determinatio esse, ut in anima correspondens intellectio oriatur, absque nova determinatione media, specie impressa. Nam sufficit etiam in appetitu sensitivo desiderium, ut statim in voluntate simile desiderium excitetur; videtur forte generatim inter operationem sensitivam et intellectualem talis mutua redundantia esse, ut, quod anima in una parte agit, idem consonanter in alia parte agere incipiat. Secundum scholasticos sufficit etiam sola praesentia actuum internorum, ut sufficienter absque speciebus impressis intellectui coniuncti sint et ab eo reflexe cognoscantur. Ergo videtur etiam phantasma sufficere, ut anima determinata censenda sit ad idem obiectum intellectualiter repraesentandum.

2. Supponitur, intellectum agentem ex se solo non iam ad species producendas sufficienter dispositum esse, sed, ut hanc vel illam speciem producat, phantasmate determinari. Si igitur phantasma, licet materiale et singulare sit, intellectum agentem propter unionem in eadem anima ad speciem impressam spiritualem et universalem determinare potest, non videtur impossibile esse, ut statim facultatem intellegendi ad speciem expressam producendam determinet.

Ad hoc responderi potest, facilius phantasma immediate ad speciem impressam cooperari posse quam ad expressam, utpote perfectiorem. Praeterea hanc esse naturam intellectus agentis, ut sit potentia mere

[1]) 2 De anima l. 12. — [2]) 1 q. 79 a. 3. Cf. q. 85 a. 1. — [3]) Cf. e. g. *Palmieri,* Anthropologia th. 25; *Durandus,* 2 dist. 3 q. 6.

activa, quae igitur determinatione inhaerente non indigeat. — Attamen, quod hoc ultimum responsum attinet, hoc ipsum quaeri videtur, cur intellectus agens non egeat, intellectus autem cognoscens indigeat determinatione sibi inhaerente.

3. Praeterea sententia de materia principio individuationis, quae apud s. Thomam praecipua ratio est ad intellectum agentem statuendum, a multis vel plerisque non admittitur.

Nota. Restat, ut de quibusdam minoribus partibus doc- 236*
trinae scholasticae aliqua adiungantur.

1. De *concursu phantasmatis ad species impressas* producendas controversia est. Omnes quidem tenent, phantasma simul cum intellectu agente ad producendam speciem concurrere. Et recte quidem. Nam intellectus agens ex se solo indifferens est ad speciem producendam vel non producendam, hanc vel illam producendam; ergo complendus est per aliam causam. Etiam facile perspicitur, phantasma non concurrere ad producendam speciem, quatenus species sit spiritualis, sed quatenus sit similitudo certi obiecti; sub hoc enim maxime respectu intellectus agens complemento indiget.

De modo autem, quo phantasma concurrat, disputant. Suarez asserit, phantasma solum causalitate quadam *materiali vel exemplari* influere, non vero stricte efficiente: „Dicitur phantasma materialiter concurrere eo, quod praebet veluti materiam et quasi exemplar intellectui agenti ad efficiendam speciem intellegibilem."[1]) Plerique thomistae autem, scotistae, Fonseca, Toletus, Conimbricenses, Rhodes, Lossada affirmant, phantasma esse causam *efficientem* et quidem instrumentalem, qua intellectus agens in producenda specie utatur. Non videtur inter has sententias magna realis discrepantia esse. Aliqua efficientia phantasmatis certe admittenda est; intellectus agens enim ex se indifferens est ad determinatam speciem producendam ideoque, quia causa efficiens determinata esse debet, in ratione causae efficientis complendus est. Ita non immerito causa efficiens appellari potest. Sed haec completio potissimum in eo consistit, quod phantasma intellectum agentem, cum quo

[1]) De anima IV 2 n. 10.

in eadem anima stat, quasi dirigendo determinat ad hanc speciem producendam, quae phantasmatis obiecto congruit, praebendo eius actioni materiam.[1]) Sub hoc respectu etiam causa exemplaris vel materialis vocari potest.

*237 2. *Munus intellectus agentis*, quod supra descripsimus, etiam aliis nominibus appellari solet.

a) Intellectus agens dicitur *„abstrahere species a phantasmatibus"*. S. Thomas hoc ita intellegit. Intellectus agens in producenda specie impressa, quae semper universalis esse dicitur, omittit individualitatem obiecti in phantasmate contenti, quae ex materia individuante provenit; ideo dicitur intellectus agens „facere intellegibilia in actu per abstractionem specierum a condicionibus materialibus"[2]), „abstrahere species intellegibiles a phantasmatibus, in quantum per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione naturas sine individualibus condicionibus"[3]). Alii, qui species impressas individuales admittunt et tamen hunc consuetum modum loquendi retinent, his verbis tantum dicere intendunt, intellectum agentem materialitatem phantasmatis omittere, quatenus species ex eo sumpta spiritualis sit.

b) Intellectus agens dicitur *„facere res intellegibiles in actu"*, quia intellectus possibilis per species impressas intellectus agentis in acto primo proximo ad obiectum exprimendum constituitur.

*238 c) Dicitur, formula loquendi ab Aristotele petita, *„illuminare phantasmata"*. Secundum omnes haec illuminatio eo fit, quod obiecta sensibilia in phantasmate relucentia in potentia solum intellegibilia per intellectum agentem actu

---

[1]) *S. Thomas* haec scribit: „Non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causae." 1 q. 84 a. 6. „[Substantia animae] nondum habet, quod assimiletur huic vel illi rei determinate, quod requiritur ad hoc, quod anima nostra hanc vel illam rem determinate cognoscat.. Et has quidem determinatas naturas rerum sensibilium praesentant nobis phantasmata." C. gent. II 77. „Intellectus possibilis recipit formas [cognoscendo] ut intellegibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum." Ver. q. 10 a. 6 ad 7. — [2]) 1 q. 79 a. 3. — [3]) 1 q. 85 a. 1 ad 4.

intellegibilia evadunt. — Sed multi hoc non contenti praeterea alia addunt.

Et quidem multi thomistae asserunt, intellectum agentem antea phantasmati aliquam dispositionem sive lumen imprimere, quo aptum reddatur, ut tamquam causa instrumentalis cum intellectu agente speciem producat. Alii cum Cajetano hanc illuminationem meram assistentiam intellectus agentis interpretantur, qua fiat, ut in phantasmate appareat quidditas obiecti, non iam apparentibus eius notis individuantibus. Capreolus autem et Ferrariensis illuminationem in eo reponunt, quod phantasma in homine propter coniunctionem cum intellectu agente in eadem anima perfectius ideoque ad producendam cum eo speciem aptius sit (cf. 1 q. 85 a. 1 ad 4). Scotistae autem, Suarez, Conimbricenses, Lossada aliique existimant, illuminationem in hoc solo consistere, quod intellectus agens imprimendo species intellectui possibili manifestet, quid in phantasmate contineatur. Quae opinio simplicior est et multas difficultates et obscuritates priorum explicationum evitat.

Plerique igitur haec et nonnulla alia, quae intellectui agenti ascribuntur, tantum diversas expressiones habent eiusdem muneris principalis intellectus agentis in eo positi, quod species impressas ex phantasmate sumit.

3. Plerique cum Aristotele, Alberto M. et s. Thoma[1]) in- 239*
tellectum *agentem et possibilem realiter distinctos* habent. Alii autem, scotistae, Suarez, Rhodes, Arriaga, Oviedo tantum distinctionem rationis admittunt, quod non sit necessitas distinctionis realis, quoniam potentia, quae species expressas producere valeat, etiam ad impressas producendas sufficiat. Secundum hanc sententiam idem intellectus duplicem operationem conexam exercet: quatenus primum speciem impressam in se producit, intellectus agens, quatenus deinde expressam elicit, possibilis vocatur.

Historia doctrinae de intellectu agente. Scholastici ad in- 240*
tellectum agentem speciesque impressas statuendas potissimum auctoritate Aristotelis moti sunt, ita eius doctrinam de origine idearum interpretantes. Haec quidem interpretatio probabilis est. Sed certa dici nequit. Id iam ex eo concludendum est, quod inter eruditissimos Aristotelis commentatores maxima interpretandi dissensio est. Quae enim in hac re scribit, brevissima et obscura sunt neque satis clare cum iis, quae alibi docet, componi possunt. Paucis,

---

[1]) Cf. 1 q. 79 a. 7.

eius verbis utentes, proponemus, quid dicat, deinde varias interpretationes commentatorum perstringemus.

Aristoteles (De an. III 4 5) haec scribit: In anima adest intellectus sive facultas cogitandi, quae in cogitando formas rerum recipit et sic quodammodo obiecta intellegibilia fit, sed actu tunc tantum, quando cogitat; antea solum in potentia est, tabulae similis, in qua nondum quidquam scriptum est.[1]) Sed quando aliquid arte faciendum est, semper tum materia requiritur, quae in potentia est, ut omnia fiat seu omnia recipiat, tum principium activum, quod materiae tribuit, ut haec vel illa actu habeat. Ita pariter praeter intellectum illum, qui omnia fit et in potentia est ad formas recipiendas, alius intellectus requiritur, qui omnia in illo facit ei formas tribuens eumque actuans et obiecta intellegibilia faciens, lumini similis, quod etiam facit, ut colores, qui antea in potentia in corporibus sunt, iam actu adsint seu appareant. Prior intellectus ab Aristotele patibilis sive possibilis (νοῦς παθητικός, νοῦς δυνάμει), alter vero non quidem ab ipso, sed iam ab antiquissimis commentatoribus intellectus agens (νοῦς ποιητικός), ab Aristotele ipso autem τὸ ποιητικόν nominatur.[2]) Quomodo vero intellectus agens in possibili formas producat seu „omnia faciat“ et unde formas acquirat, non clare exprimitur, nisi quod ex phantasmatibus per abstractionem sumi dicuntur. Porro intellectus agens dicitur spiritualis, incorruptibilis, cum corpore minime periturus. Intellectus possibilis non aeque clare describitur, ut alii eum materialem et corruptibilem, alii vero

[1]) „Intellectus in potentia est quodammodo intellegibilia ipsa, actu vero nihil est eorum, priusquam intellegit. Oportet autem sic se habere ut in tabula scriptoria, in qua nihil actu scriptum sit oportet. Hoc accidit in ipso intellectu.“ III 4 (429 b 30). — [2]) „Cum autem in tota natura in singulis generibus unum sit materia (hoc est id, quod est in potentia omnia illa), alterum vero causa et principium activum omnia faciens, sicut ars se habet respectu materiae, sic etiam in anima oportet has differentias inesse (ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς). Atque unus talis intellectus in eo consistit, quod fit omnia, alter in eo, quod omnia facit sicut habitus quidam (ὡς ἕξις τις) ad modum luminis. Nam quodammodo etiam lumen colores, qui sunt potentia, actu colores facit.“ III 5 (430 a 10).

pariter spiritualem et incorruptibilem interpretentur.[1]) Aristoteles enim docet, ad animam animalem sive sensitivam, quae non spiritualis, sed cum corpore corruptibilis sit, in ortu hominis extrinsecus (θύραθεν) mentem sive intellectum (νοῦς) accedere, et hunc (intellectum agentem saltem) spiritualem, incorruptibilem et divinum quiddam (θεῖον) esse.[2]) Quomodo autem intellectus agens ad possibilem se habeat, sintne duae potentiae eiusdem animae an potius diversae partes animae, quomodo νοῦς (saltem ποιητικός) extrinsecus ad animam sensitivam accedat, fueritne iam ante corpus et quomodo sit divinum quiddam, non clare exprimitur, ut variae interpretationes, pantheisticae et theisticae, proferantur.

Revera in interpretanda hac brevi et obscura Aristotelis doctrina magna dissensio est.

Theophrastus, philosophi discipulus, videtur intellectum agentem 241*
magistri interpretatus esse vim animae insitam intellectu possibili, qui sit corporalis, altiorem. Utrum *Eudemus*, alter discipulus immediatus, eum pariter vim animae, an vero mentem divinam intellegat, non satis constat. *Alexander Aphrodisias* autem (circ. 200 p. Ch.), celeberrimus veterum commentatorum, intellectum agentem intellegentiam divinam interpretatur, quae in hominem agat eumque intellegentem efficiat. *Themistius* iterum magis quam Alexander intellectum agentem in anima inhaerere inculcat. *Philoponus* autem cum aliis distinguit tres intellectus animae inhaerentes, qui νοῦς ποιητικός, ν. δυνάμει, ν. παθητικός nominantur. Fuerunt etiam inter veteres, qui existimarent, intellectum agentem esse habitum supremorum principiorum.

Celebris est interpretatio philosophorum arabicorum, qui ex parte Alexandrum sequuntur.[3]) *Avicenna* docet, intellectum possibilem esse potentiam spiritualem animae, intellectum autem agentem intellegentiam substantialem ab anima diversam, ex divina substantia emanantem

[1]) „Et is intellectus [agens] est separabilis et impassibilis et impermixtus, quia natura sua actus est. Nam semper id, quod efficit, praestabilius est eo, quod patitur, et principium praestabilius quam materia .. Intellectus autem postquam separatus est, id tantum est, quod est, atque id solum [scil. intellectus agens] est immortale et aeternum. Non autem recordamur, quia hoc est expers passionis, intellectus autem passibilis corruptibilis est et sine hoc nihil intellegit.“ (430 a 17). Hoc loco Aristoteles obiectionem solvit, quod in senectute memoria deficiat. Id non propterea, inquit, fieri, quod ipse intellectus [agens], spiritualis, secundum se deficiat, sed quod sine intellectu passibili [aliqui putant, intellectum passibilem hoc loco intellegi phantasiam] cogitare nequeat, qui ipse, utpote corruptibilis, deficiat. — [2]) „Relinquitur autem, λείπεσθαι δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον.“ De gen. et corr. II 3 (736 b 27). — [3]) Cf. 1 q. 84 a. 4.

unamque in omnibus hominibus, per quam intellectui possibili formae rerum universales communicentur, ita tamen, ut possibilis per phantasiam et „virtutem cogitativam“ ad eas recipiendas disponendus sit. *Averrhoes* tres intellectus distinguit: νοῦς παθητικός est facultas cogitativa sensibilis, ν. δυνάμει autem et ν. ποιητικός sunt intellegentiae substantiales universales inter se et ab homine diversae atque eaedem in omnibus; intellectum agentem facere phantasmata intellegibilia.

Quod *scholasticos* iam attinet, eorum interpretatio generatim illa est, quam supra doctrinam scholasticam appellavimus. Primus auctor eius *Albertus M.* est. Albertus Arabibus et maxime Averrhoi se opponens intellectum possibilem et agentem potentias accidentales unius animae humanae interpretatur, agenti autem munus tribuit, ut abstrahat intellegibilia „ab omnibus appendicibus materiae“ seu ab individualitate itaque universalia efficiat et intellectum possibilem „illuminet“. (Hanc illuminationem autem, aliquem mysticismum neoplatonicum admiscens, sic interpretatur, quasi lumen intellectus agentis a speciebus „imbuatur“ et in iis resplendeat.) Utrumque intellectum incorruptibilem dicit, attamen intellectum possibilem, qui sine phantasmatibus in morte pereuntibus intellegere nequeat, etiam in morte desinere asserit.

*242 *S. Thomas* hanc interpretationem Alberti quoad principalia, non tamen sine aliqua mutatione recepit et deinceps inter thomistas communem reddidit. S. Doctor, ut supra exposuimus, potissimum ex sententia platonico-aristotelea de materia principio individuationis concludit, necessarium esse intellectum agentem, qui species „a condicionibus materialibus abstrahat“. Posteriore tempore multi, inter quos eminet *Suarez,* illud principium individuationis (ob solidas rationes) recusant, nihilominus species impressas (individuales) et intellectum agentem admittunt (n. 247). Quatenus sic praecipuum quidem fundamentum relinquebatur, cui secundum antiquiorem traditionem intellectus agens innitebatur, ipse autem retinebatur, negari nequit antiquam doctrinam notabiliter mutatam esse.

Recentiores etiam in sententia Aristotelis interpretanda dissentiunt. *A. Trendelenburg,* quocum Brandis et F. Kampe fere consentiunt, existimat, secundum Aristotelem intellectum agentem esse aliquid ad hominem pertinens, eum non esse unum in omnibus, attamen a Deo oriundum et extrinsecus in hominem ingredientem. *Ravaisson-Mollin* magis Alexandro Aph. et Arabibus consentit, pariter *E. Zeller. Mandonnet, Farges* intellectum patientem facultatem sensitivam interpretantur. *Geyser* putat, intellectum agentem extra animam intellectu patienti instructam constitui. Cum s. Thoma fere consentiunt *F. Brentano, Hicks, Rolfes.*

Itaque „in nulla re alia commentatores Aristotelis aeque in diversas et opposita partes discedunt“[1]. Sed vix dubium est, quin interpretatio s. Thomae probabilis dicenda sit.

[1]) *F. Brentano:* „Nirgends gehen mehr als in diesem Punkte dei Erklärer des Aristoteles nach verschiedenen und entgegengesetzten Richtungen auseinander.“ Die Psychologie des Aristoteles (1867) 4.

*§ 3. De cognitione singularium

Scholasticis semper consuetum fuit universalium cognitionem multo potiorem habere quam cognitionem singula- 243*
rium eamque intellectui peculiari modo propriam et conaturalem defendere, idque ita, ut etiam specialis quaestio moveatur, qua ratione intellectus res singulares apprehendere queat. Cui quaestioni tractandae praecipue ansam dedit sententia platonico-aristotelea a s. Thoma aliisque recepta, quae asserit, materiam principium individuationis esse seu naturam specificam in complura individua dividi et multiplicari per diversam materiam, in qua recipiatur. Quae sententia in re proposita dubium movit, num et quomodo intellectus ideas materialium singularium recipere queat, quoniam spiritualis sit, spiritualis vero facultas tantum formas „a condicionibus materialibus“ sive a singularitate abstractas recipere queat. Itaque quaestio proposita tantum singularia materialia spectat.

I. Intellectus cognoscit singularia. In hac re imprimis 244*
tenendum est, intellectum singularia ut talia distincte cognoscere et ab aliis discernere posse, tum materialia tum immaterialia, non quidem sic, ut internas essentias individuales perspiciat, sed ut individua ex accidentalibus differentiis discernat. Scholastici fere communi consensu id asserunt. Sunt tamen, velut Capreolus, Caietanus, alii, qui hanc distinctam individuorum materialium cognitionem intellectui ipsi denegant eamque solum hac ratione in anima esse dicunt, quod cum notione universali intellectuali simul sensitiva apprehensio rei singularis in eadem anima coniungatur. Quod non sufficit, ut intellectus ipse hanc cognitionem habere dicatur.

Sed manifestum est, intellectum ipsum singularia ut talia cognoscere posse. Nam perpetuo de singularibus iudicamus, de nobis, de personis historicis, de certis aedificiis, plateis, fluminibus, de obiectis singularibus ad fidem spectantibus, velut Deo, resurrectione Christi. Discernimus etiam singularia ab universali.

*245 **II. De modo cognoscendi singularia** inter duas sententias controversia est.

Duplex sententia. Alii affirmant, cognitionem singularium tantum indirectam esse et per reflexionem comparari, alii autem putant, eam directam esse et ante ideam universalem produci.

1. *Singularia indirecte et per reflexionem cognosci* defendunt s. Thomas et schola thomistica, Fonseca, Conimbricenses et multi recentes, ut Schiffini, Urráburu, Liberatore, Tongiorgi, Palmieri, Mercier, Maher. Sententia plerumque sic exponitur. Intellectus, sensibus altioris, proprium est res universaliter cognoscere. Ideo, quando obiectum quoddam per sensum proponitur, statim a singularitate abstrahit et ideam universalem efformat, singulare autem postmodum „per reflexionem" sive „per conversionem ad phantasma" apprehendit. Quae reflexio ferme ita fieri dicitur: intellectus postquam ideam universalem expressit (rosa, ens), sponte reflectitur in phantasma in anima stans et in eo obiectum, quod universaliter expresserat, notis individualibus instructum apprehendit, quas nunc cum conceptu universali componit itaque rem ut singularem apprehendit (rosa tam magna, tam rubra, talibus foliis circumdata; tale ens).

*246 *S. Thomas* hac in re ex sententia sua de *materia principio individuationis* proficiscitur ex ea deducens, intellectum immaterialem non posse sicut sensum materialem rerum cognoscendarum species individuales, „a condicionibus materialibus abstractas", recipere. Proinde asserit, intellectum singulare materiale non directe per speciem suam individualem atque primo apprehendere, sed tantum indirecte, per aliquam reflexionem. „Singulare in rebus materialibus intellectus noster directe et primo cognoscere non potest. Cuius ratio est, quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis. Intellectus autem noster . . intellegit abstrahendo speciem intellegibilem ab huiusmodi materia . . Sic igitur ipsum universale per speciem intellegibilem directe intellegit, indirecte autem singularia, quorum sunt phantasmata. Et hoc modo format hanc propositionem: Socrates est homo."[1])

Quomodo autem *reflexio* ad singularium cognitionem requisita concipienda sit, auctores diversis modis explicant, qui obscuritate et difficultate non carent. S. Thomas eam hoc modo describit: „Mens singulare cognoscit per quandam reflexionem, prout scilicet mens cognoscendo obiectum suum, quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus et ulterius in speciem, quae est actus sui principium, et ulterius in phantasma, a quo species est abstracta, et sic aliquam cognitionem de singulari accipit"[1]); „sed haec reflexio compleri non potest nisi per adiunctionem virtutis cogitativae et imaginativae."[2]) Alii faciliore modo utentes sufficere arbitrantur, ut intellectus simpliciter redeat in ipsum obiectum phantasmatis. Alii denique cognitionem indirectam in eo reponunt, quod cum intellectu in eadem anima coniungatur vis aestimativa sive cogitativa (n. 170) singulare apprehendens et propositionem universalem ad res particulares applicans. Sed hac ratione negatur, intellectum ut talem singulare cognoscere, cum singularitatis apprehensio extra intellectum in facultate sensitiva collocetur. Ceterum etiam Thomas saepe in hunc modum loqui videtur. Cf. e. g. Ver. q. 2 a. 6 ad 3; ib. q. 10 a. 5; 2 De an. I 13; 1 p. 57 a. 2; 1 q. 79 a. 6; 1 q. 86 a. 1 ad 2; ib. a. 3.

1) 1 q. 86 a. 1.

2. *Singularia directe cognosci* multi vel plerique defendunt, qui ad scholam thomisticam non pertinent, scotistae, Suarez, Valentia, Toletus, Petrus Hurtado, Rhodes, Lossada, Fröbes, alii, affirmantes, intellectum directe et primo absque illa reflexione exposita singularia materialia apprehendere posse. Neque difficultatem obstare, quominus intellectus non possit species impressas individuales accipere; intellectum enim aeque, sicut ad universales, ita ad singulares ideas correspondentes species accipere posse. 247*

Rationes utriusque sententiae. 1. *Universale primo, singulare autem per reflexionem* aliquam cognosci, 248*

a) A plerisque huius sententiae defensoribus eo demonstratur, quod materia principium individuationis in rebus materialibus sit, ex quo sequatur, intellectum spiritualem non posse rerum materialium formas sive species individuales, sed solum universales recipere, quibus directe et primo tantum universalia cognoscat.

b) Praeterea sententia his suaderi possit. Ex mente communi scholasticorum intellectui maxime proprium et connaturale est ideas universales formare. Omnis potentia autem primo in illum actum ferri videtur, qui ei maxime connaturalis est. Ergo intellectus primo universale, singulare demum postea cognoscere videtur. Praeterea intellectus singularia, saltem in directa eorum cognitione, sic apprehendere videtur, ut ideam universalem determinet additis

1) Ver. q. 10 a. 5. — 2) 2 De an. l. 1.

individualibus differentiis ex sensatione haustis, proinde per aliquam reflexionem in sensationem sive phantasma institutam. Etenim ideae nostrae singulares distinctae plerumque compositae sunt ex notione universali et adiuncta determinatione ex sensatione hausta, e. g. ‚rosa sic rubra', ‚hic lapis', i. e. qui in sensatione mihi apparet. Denique generatim ex rerum apprehensione indeterminata ad magis distinctam progredimur; sensus res primum potius confuse quam distincte secundum singulas qualitates et partes percipit, et ipse intellectus ex cognitione minus completa ad magis completam procedere solet.

*249 Sententia indirectam singularium cognitionem asserens etiam ita defendi possit, ut singulare quidem post universale cognosci dicatur, attamen per speciem individualem sibi propriam aliqua reflexione in phantasma singulare comparatam. Attamen, qui supponunt materiam principium individuationis esse, species singularium omnino non admittunt, sed affirmare coguntur, singulare cognosci per speciem universalem ita coniunctam cum reflexione, ut reflexio speciem individualem quasi compenset. Quod tamen difficile intellectu est.

Nam 1) intellectus certe singulare sua cognitione cognoscit. Si igitur ad nullam ideam phantasma sufficere, sed ad omnem species spiritualis requiri dicitur, etiam ad ideam individui species individualis postulari videtur. 2) Reiectio speciei individualis ex sententia de materia principio individuationis deducitur, quae admodum dubia est. Praeterea pari iure ex hac sententia concludendum esset, neque speciem expressam intellectualem singularem esse posse; quod revera interdum expresse affirmant. 3) Non est dubium, quin etiam rerum materialium singularium, hominum, fluminum, solis species memoriales habeamus. 4) Denique conversio ad phantasmata, sicut eam defensores huius sententiae describunt, variis difficultatibus implicatur. Dicunt e. g. intellectum per speciem impressam universalem, in quam reflectitur, propterea in cognitionem singularis induci, quod species „in obliquo et de conotato habitudinem importat ad illa singularia phantasmatis tamquam ad terminum a quo relictum; repraesentat enim naturam abstractam ab illis, unde relinquit aliquam conotationem et habitudinem ad illa."[1] Sed non intellegitur, quomodo species impressa pure universalis ex se, dummodo aspiciatur, in notitiam singularis ducere queat. Videtur sic species universalis furtim simul aliqua singularitatis indole vestiri. Etiam minus haec reflexio intellegitur, si tantum in eo reponitur, quod cum intellectuali cognitione universali simul cognitio singularis sensitiva in eadem anima stet; sic enim non intellectus singulare cognoscit.

*250 Porro inter eos, qui universale ante singulare apprehendi affirmant, alii et quidem plerique cum s. Thoma

[1]) *Joannes a s. Thoma,* De an. q. 10 a. 5. Cf. *Urráburu,* Psych. II 886.

(1 q. 84 a. 3) existimant, mentem *universaliores notiones prius* quam minus universales concipere et omnium primam notionem universalissimam entis; alii vero putant, mentem a minus universalibus incipere.

2. *Sententia affirmans, singularia primum* cognosci, uni- 251*
versalia autem postea, his suaderi potest:

a) Intellectus ad primum actum determinatur obiecto singulari in phantasmate stante, ideo convenientius apparet, ut statim obiectum tale, quale se sistit, apprehendat. Difficultas praecipua, quae opponitur, est sententia de materia principio individuationis; quae tamen admittenda non videtur.

b) Intellectus notionem universalem tantum per comparationem complurium rerum singularium formare posse videtur, quas igitur antea apprehendere debet. Nescit enim, quid sit illud universale multis commune (color), qualis ille notarum complexus compluribus individuis communis, quem abstrahere debet, nisi antea illa complura (album, viride, rubrum) apprehendat et ex eorum comparatione ad hoc commune percipiendum inducatur.[1]) Et si universale abstrahendum aliqua specifica essentia est (animal, vivum, planta, corpus huius speciei), multo minus statim primo actu id apprehendere potest, cum essentiarum specificarum cognitio tantum diligenti ratiocinatione acquiri soleat. (Ceterum defensores sententiae propositae non essentias specificas, sed admodum generales, velut ens, unum, substantiam, qualitatem primo actu attingi affirmant. Sed etiam ad primam originem harum notionum aliqua singularium cognitio praecedens requiri videtur.)

At opinandum non est, hanc primam rei singularis cognitionem statim distinctam esse. Sed admodum confusa esse potest absque complurium notarum distinctione, solum secundum aliquam confusam complurium notarum rei summam sive totalitatem, quae deinde paulatim ope experientiae distinctior efficitur.

[1]) „Eo ipso, quod sensus cognoscit singulare, potest intellectus facillime illud cognoscere, universale vero non ita facile, siquidem prius requiritur cognitio singularium et convenientia illorum, ut ab illis abstrahatur natura communis." *Suarez,* De an. IV 3 n. 15.

Art. 3. **De reproductione idearum per memoriam**

252 Prima idearum origine declarata explicandum iam est, qua ratione fiat, ut ideas aliasque cognitiones, quas aliquando acquisivimus, memoria retinere et iterum reproducere valeamus. Talis reproducendi facultas non tantum in sensu invenitur; sed praeter sensitivam etiam memoria intellectualis in nobis est. Etenim non solum sensationum habitarum, sed etiam idearum rerum spiritualium, iudiciorum, ratiociniorum, quae tantum in intellectu sunt, memoriam habemus. Memoria intellectualis similiter sicut sensitiva duplicem functionem exercet, ut cognitiones pristinas *reproducat* et ut eas tamquam habitas eorumque obiecta ut prius cognita recognoscat seu *reminiscatur*. Reproducimus apprehensionem bellorum punicorum et reminiscimur, nos ea aliquando didicisse. Sicut generatim activitas intellectualis et respondens sensitiva, ita reproductiones quoque intellectuales et sensitivae simul concurrere solent et iisdem fere legibus reguntur eodemque modo explicandae sunt. Propterea omnia fere, quae de memoria intellectuali exponentur, de sensitiva quoque vera sunt, ut una expositione utraque operatio declarari queat.

§ 1. Quomodo reproductio explicanda sit

Th. 7. **Ideae et cognitiones, quas intellectus aliquando habuit, species latentes in eo relinquunt (1. p.), per quas, si causae excitantes accedunt, reproduci possunt (2. p.).**

253 **Declar.** Thesis de *ideis et cognitionibus* quibuslibet agit. Constat enim, nos non solum ideas, sed etiam iudicia, ratiocinia et quaslibet compositas operationes ut tales reproducere posse. *Species* latentes, quae relinqui dicuntur (nunc „engrammata", inscriptiones vocari solent), sunt accidentales dispositiones intellectui inhaerentes a cognitionibus relictae itaque spirituales sicut intellectus ipse; iis intellectus habilis redditur ad easdem ideas reproducendas. Dicuntur autem „species", quia obiectorum imagines sive similitudines sunt, non quidem similitudines cognoscitivae, sicut species expressae, sed similitudines potentiales seu

dispositivae, quae deinde una cum intellectu ideam reproducendam producunt. Affirmamus autem, ideam toties, quoties adest, talem speciem memorialem relinquere sive iam relictam denuo augere. *Causae excitantes* vim determinativam specierum complent, quae ex se quidem intellectum sufficienter determinant quoad specificationem, i. e. ut reproductio fiat *huius* obiecti, non autem solae sufficiunt ad exercitium reproductionis determinandum, ut reproductio *fiat*. Quales sint hae causae, infra dicetur.

Demonst. 1. p. Ideae et cognitiones quaelibet sive rerum externarum sive internarum sive sensibilium sive spiritualium, pariter iudicia et ratiocinia, si in mente fuerunt, postea, etiamsi pristinae causae determinantes non iam adsunt, reproduci possunt et quidem eo promptius et accuratius, quo saepius adfuerunt. *Atqui* id declarari nequit, nisi ideae et cognitiones, cum recedunt, latentes dispositiones in intellectu relinquunt et quidem toties, quoties adsunt, sive eas primum imprimentes sive impressas augentes. Istae dispositiones species vocantur. Ergo ideae et cognitiones, quas intellectus aliquando habuit, species latentes in eo relinquunt. 254

Demonst. min. a) Intellectus post cognitionem aliter se habet quam antea, quia nunc cognitionem reproducere potest, antea autem non potuit. Ergo ex cognitione dispositio ad reproductionem faciendam relicta est; cognitio enim ipsa non iam adest.[1]) Haec dispositio autem eo maior fit, quo saepius cognitio adest; eo promptius enim et perfectius reproduci potest. Ergo cognitio, quotiescumque adest, speciem relinquit vel eam auget.

b) Haec speciei memorialis relictio tantum specialis casus est legis generalis, ut ex omni actione psychica dispositio relinquatur ad eam facilius repetendam et quidem eo

[1]) Herbartiani, item defensores psychoanalysis freudianae putant, reproductiones non ex eo repetendas esse, quod species relictae, sed quod ipsae cognitiones maneant, attamen inconsciae. Sed id negandum est, praesertim ideo, quia nullam cognitionum manentium conscientiam habemus.

maior, quo saepius actio exercetur; quod observamus in comparandis habitibus virtutum, in acquirenda facilitate loquendi, ludendi, in obtinenda dexteritate artificii.

Similiter reproductiones phantasiae et memoriae sensitivae ex eo declarandae sunt, quod sensationes habitae in cerebro animato species sensibiles relinquunt; quae igitur post mortem cessant. Species autem intellectuales spirituales sunt et post mortem manent.[1])

255 Ex his etiam colligitur, memoriam intellectualem non esse novam potentiam ab intellectu apprehensiones, iudicia, ratiocinia, reflexionem instituente realiter distinctam, sed esse *eundem intellectum*, quatenus simul cognitionum habitarum species conservat et cognitiones habitas recognoscit; nulla enim ratio distinctionis realis asserendae adest.

Species memoriales intellectus postulant subiectum, in quo sint. Cum igitur in corpore esse nequeant, *animam substantialem* exigunt; proinde novam rationem ad eam affirmandam praebent.

256 **Nota.** 1. *Psychologi recentes* etiam admittunt, dispositiones latentes in nobis relinqui; manifestum enim est. Sed quia plerumque animam substantialem negant, dispositiones in anima manentes statuere nequeunt ideoque in gravem difficultatem coniciuntur. Plerumque tantum *dispositiones materiales* in cerebro manere dicunt, videlicet dispositiones cellarum et fibrillarum, quae faciant, ut hae partes nerveae in posterum facilius similibus impressionibus excitentur excitationesque invicem transmittant, „certas collocationes motusque molecularum“, novas „vias cerebrales“ (Bahnungen, frayages), „vestigia“, similia vestigiis rotarum e vectione cursuum relictis.

257 Concedendum quidem est, simul cum speciebus sensitivis (et sic mediate cum intellectualibus) correspondentes dispositiones physiologicas invicem associatas in cerebro imprimi. Sed reproductio sensitiva vel immo intellectualis ex solis dispositionibus materialibus *explicari nequit.*

[1]) „Intellectus secundum se ipsum est conservativus specierum praeter concomitantiam organi corporalis.“ 1 q. 79 a. 6 ad 1.

a) Haec sententia ad materialismum ducit. Sic enim fere integra vita psychica, quae in adultis maxima ex parte in activitate reproductiva consistit itaque ex dispositionibus memorialibus provenit, effectus materiae esset.

b) Etiam multi psychologi hodierni talem explicationem pure physiologicam propterea reiciunt, quia leges psychologicae, secundum quas dispositiones memoriales imprimuntur et excitantur, minime conformes, sed contrariae sunt legibus mechanicis, quibus eiusmodi physiologicae dispositiones subiectae sunt. E. g. si complures imagines unam post aliam contemplamur, dispositiones materiales ex iis relictae in iisdem partibus nerveis imprimuntur et remanent ideoque sicut imagines photographicae in eadem tabula impressae invicem contegunt et confundunt, ut distincta earum memoria et reproductio impossibilis esset; quae tamen adest. Pariter si eundem sonum ter audimus, vestigia pure materialia ex iis relicta eadem essent et iisdem partibus nerveis imprimerentur ideoque similiter se haberent sicut idem sigillum ter in eodem loco impressum, quod nullam multiplicitatem ostenderet; tamen memoria trium distinctorum sonorum manet.[1])

Ad defendendam sententiam reprobatam obici solet, praeter vestigia pure materialia species memoriales latentes statui non posse, quod tales species aliquid psychicum inconscium sint, quale concedi nequeat. Species memoriales sunt quidem aliquid psychicum, at non actuale sive actus, sed psychicum potentiale, quod utique inconscium est.

2. Doctrina peripatetica de prima origine idearum affirmare solet, 258
intellectum etiam ante ideam acquirendam speciem recipere, quae *„impressa“* vocatur (n. 230) quaeque postea manere dicitur tamquam dispositio habitualis ad eandem ideam reproducendam. (At non sine aliqua mutatione manet. Antea enim efficaciter cognitionem adducere seu tum specificationem tum exercitium cognitionis determinare asseritur, postea autem dicitur manere absque illa prima efficacia, solummodo ut habitualis dispositio ad specificationem ideae reproducendae.)

Sed praeter has impressas etiam *species memoriales* admittendae sunt, quae a speciebus impressis sic differunt: a) Species memoriales non ad primam ideae productionem per sensus accipiuntur, sed ex ipsis cognitionibus relinquuntur ad reproductionem faciendam. b) Species memoriales etiam ex ideis reproductis et quidem toties, quoties adsunt, atque etiam ex ideis analogis, iudiciis, ratiociniis, ex percep-

[1]) Cf. Fröbes, Experim. Psychologie II³ (1929) 64.

tione rerum internarum relinquuntur; species impressae autem secundum scholasticos non singulis vicibus imprimuntur neque in ideis analogis, iudiciis, ratiociniis, perceptionibus conscientiae locum habent. — Attamen species memoriales cum impressis, si admittuntur, duplicem congruentiam habent: a) utraque est similitudo eiusdem obiecti; b) species memoriales dicendae sunt impressis supervenire, non ita, ut tamquam res alienae quasi iuxta eas collocentur, sed ut cum iis coalescant easque augeant.

259 **Demonst. 2. p.** Species semper in intellectu sunt, nihilominus non semper reproductiones oriuntur, sed experientia teste tunc solum, quando aliqua causa determinans sive excitans accedit. Ergo praeter eas causa excitans requiritur, ut reproductio oriatur.[1])

Tales causae excitantes sunt: 1. plerumque *psychologicae,* velut imperium voluntatis, sentimenta et affectus, perceptiones sensuum, phantasmata, aliae cognitiones intellectus. Perceptio amici memoriam benefactorum, tristitia ideas inamoenas excitat. Maximum momentum hac in re associationi idearum tribuendum est, de qua infra sermo fiet. Imperium voluntatis directe ideas advocare nequit, quia notitia ideae imperandae, proinde ipsa eius praesentia iam supponitur; tantum indirecte ideas excitare potest, e. g. applicando attentionem, excitando et dirigendo associationes idearum, ut fortasse hac ratione idea quaesita exsurgat. — 2. Nonnumquam causae *physiologicae,* ut vehemens frigus, affluxus sanguinis, opium cerebrum afficiendo phantasmata et ideas excitare possunt, sed plerumque indirecte tantum, per perceptiones gratas vel ingratas, concitatas vel sedatas aliasque, quas determinant, quaeque deinde alias ideas associando adducunt. Causae physiologicae solae sine psychologicis mediis fortasse in aliquibus hallucinationibus locum habent.

260 *Nota.* 1. Itaque lex generalis est, ut reproductio non oriatur, nisi species aliqua causa accedente excitetur. Tamen fortasse aliqua exceptio concedenda est. Frequenter observamus, cognitiones, brevi postquam adfuerunt, sponte identidem in mentem redire, etsi nulla nova causa reproductionem excitans adesse conspiciatur („Perseverationstendenz", G. E. Müller). Videtur igitur speciei a cognitione relictae per

---

[1]) Cf. 1 q. 84 a. 7 ad 1.

breve tempus aptitudo et tendentia inesse, ut propria vi reproductionem faciat. (Alii autem putant, etiam in hoc casu cognitionem per aliquam associationem excitari, sed facilius quam alias, quod species initio maiorem aptitudinem habeant, ut prompte excitentur.) Sunt, qui insuper affirmant, cognitiones etiam post illud tempus initiale, raro quidem, attamen interdum sine speciali causa determinante sola sua propria tendentia reproduci („frei steigende Vorstellung"); quod tamen parum factis demonstratum est.

2. Etiam commemorari potest, actus psychicos numquam statim, postquam ex campo attentionis recesserunt, exstingui, sed aliquamdiu, licet cum minuta claritate, in anima perdurare, ut eam non reproducere, sed tantum aspicere opus sit, si eam denuo attendere velimus („psychische Präsenzzeit").

§ 2. De associatione idearum

In excitandis speciebus memorialibus maximi momenti est 261
associatio idearum (et phantasmatum). Associatio idearum est talis successio cognitionum reproductarum, ut una per aliam certo nexu excitetur, e. g. ut idea diei ideam noctis, perceptio hominis reproductionem nominis excitet.

Haec est associatio in actu secundo. Saepe associatio in actu primo spectatur, quae est specierum mutua colligatio talis, ut una tendentiam habeat ad aliam data occasione secum adducendam.

De associatione iam *Aristoteles* (De mem. 2) loquitur, qui quattuor idearum genera se invicem excitare dicit: similes, contrarias, eas, quae aliquando vel loco vel tempore coniunctae fuerint. Hae quattuor leges ad duas revocari possunt. Recentiore tempore natura et momentum associationis primum a philosophis *anglicis* saec. 18. (Hume, Hartley) diligentius illustrata sunt, qui eam „association of ideas" vocant. Ex eo tempore de „associatione idearum" sermo fit. Sed antiqua vox anglica „idea" latius patet quam terminus latinus ideae. Revera leges associationis idearum non tantum ideas, sed quaslibet cognitiones intellectuales et etiam phantasmata atque actus quoque appetitivos comprehendunt, velut emotiones et affectus, qui secundum easdem leges vel se invicem vel ideas excitant.

1. Leges generales determinantes, quales ideae invicem 262
associentur, ad duas revocari possunt, prout vel nexus externus simultaneitatis vel nexus internus similitudinis associationem causat.

1) *Lex simultaneitatis* sive contactus temporalis: ideae sive perceptiones, quae eodem tempore adfuerunt sive invicem immediate secutae sunt, associantur et quidem eo promptius, quo saepius simul fuerunt. Si nubes atras conspicimus, ideae fulguris et tonitrus adveniunt, si personam

videmus, eius nomen, si domus patria mentem subit, eius interna spatia, regio vicina, parentes, sodales simul recurrunt.[1] In hac lege fundatur inter alia usus et intellegentia linguae, quatenus re apprehensa statim vocabulum et audito vocabulo idea correspondens mentem subit. Eadem lex etiam sentimenta ideis adnexa spectat: cum eventibus gratis vel ingratis etiam grata vel ingrata sentimenta reproducuntur. — Ratio huius legis sine dubio est, quod species eodem tempore impressae realem quandam coniunctionem in anima (et in cerebro, quatenus de phantasmate agitur) conservant.

Porro in serie rerum, velut vocabulorum orationis recitandae, unumquodque membrum non tantum cum proximo, verum etiam cum singulis membris subsequentibus nexu associativo copulatur, sed ceteris paribus eo infirmiore, quo magis distant. Membra subsequentia etiam vim ad excitanda membra antecedentia habent, sed minorem quam e contrario; idcirco res in illa serie reproduci solent, in qua memoriae mandatae sunt, a b c, non autem modo inverso c b a. Plerumque etiam membra cum locis suis, quos in serie occupant, associantur, e. g. cum loco libri, in quo leguntur, vel cum loco, quem in rhythmo sive in melodia occupant. Denique non solum eadem idea *a*, quae antea adfuit, sociam suam *b* directe excitat, sed etiam ei similis *α*. E. g. etiam nova nubes atra ideam tonitrus, vocabula nova voce prolata et literae nova forma scriptae ideas correspondentes excitant (lex substitutionis).

Experientia etiam docet, seriem vocabulorum alicuius orationis recte recitari posse sine attentione in ipsam rem vocabulis significatam, ut igitur vocabula mere materialiter spectata associatione conectantur. Id propterea fit, quia perceptiones musculares formandis vocabulis correspondentes per associationem consuetudine factam serie continua productionem subsequentium vocabulorum determinant; vel fortasse simpliciter aliquo mechanismo physiologico consuetudine facto efficitur, ut, si pronuntiatur prius vocabulum, statim motu reflexo formatio vocabuli subsequentis excitetur.

[1] Quatenus haec lex associationis efficere conatur, ut unum elementum menti adveniens totum illud, cuius aliqua pars est, in mentem revocet, etiam „lex integrationis sive totalisationis" (Hamilton) appellatur.

2) *Lex similitudinis:* ideae obiectorum similium inter se 263
associantur. Cum aliquam historiam audimus, alia similis in mentem venit, cum res spirituales apprehendimus, illustrationes sensibiles adveniunt; in eadem lege usus metaphorarum, allegoriarum, symbolorum fundatur. — Eadem lex sentimenta quoque spectat: ideae simili sentimento affectae inter sese evocant, iucundae iucundas, tristes ideas tristes. Ratio legis haec esse videtur, quod, si anima per unam cognitionem certo modo iam affecta seu attemperata est, etiam cognitio similis animae dispositive iam coniuncta per quandam consonantiam excitatur et quasi evigilat, sicut una chorda sonans aliam aequaliter attemperatam excitat.

Sicut similia, ita etiam *contraria* se invicem suscitare solent, velut dies et nox, album et nigrum. Haec associatio autem ad utramque legem enuntiatam reducenda esse videtur: primo contraria eatenus similia sunt, quatenus ad idem genus pertinent et in eo genere extrema sunt, secundo autem frequenter simul in mente adfuerunt.

Sapientissime creator mentis humanae has leges associationis instituit, ut ideae debito tempore se sistant vitaque psychica rite fluat. Sine hac associatione impossibilis esset usus linguae, conversatio humana, exercitium artis vitaque humana tota. Longe pleraeque vel omnes fere ideae associatione in nobis excitantur.

Multi ex psychologis hodiernis *legem similitudinis* tamquam pro- 264
priam non admittunt, sed ad legem simultaneitatis reducere conantur. Quam reductionem ita fere exponunt: duae ideae similes partialiter identicae sunt, fere se habent sicut duo complexus *abcd* et *cdmn*, in quibus pars *cd* identica est; si igitur *abcd* adest, pars identica *cd* statim aliam partem sibi etiam nexu simultaneitatis coniunctam *mn* secum trahit. Praecipua vero ratio movens haec saepe est, quod tantum associatio ex simultaneitate proveniens explicationem physiologicam admittere putatur, quam illi auctores intendere solent.

Sed haec opinio admittenda non videtur. Praeterquam quod lex similitudinis semper ut propria agnita est, non videtur ad legem contactus simultanei reduci posse. Nam primum ne obiecta quidem sensibilia semper sic in partes, alias identicas et alias diversas, ut explicatio allata supponit, dispesci possunt, velut similes sapores, odores, colores, qui

singuli qualitative spectati nullam compositionem habent. Minus etiam talis secundum diversas distinctas partes simultanea identitas et diversitas locum habet in rebus supersensibilibus, velut si puritas lilium, animi oblatio ascensum thuris, cognitio actionem apprehendendi, generatim supersensibilia illustrationes sensibiles excitant. Si forte dicatur, in tali similitudine saltem identitatem logicam adesse, quod similia in notione abstracta conveniant, id verum quidem est, attamen non apparet, quomodo talis nexus logicus ad contactum temporalem reduci possit.

265 **2. Causae particulares** ulterius faciunt, ut intra leges generales potius tales ideae invicem associentur prae aliis, quae etiam per se associari possent. Legibus enim generalibus saepe multiplici modo satisfieri potest. Eadem enim idea simul cum diversis aliis nexu associativo coniuncta esse potest; e. g. arbor cum ornatu foliorum, floribus et vere, sed pariter etiam cum foliorum et florum privatione, hieme et morte, item cum ideis botanicis vel philosophicis sociari potest, ut modo cum his, modo cum aliis coniungi queat. Quales igitur ideae associentur, pendet a) ab ideis *praecedentibus*, quae modo mentem occupant, quo fit, ut latine loquenti latina, anglice loquenti anglica vocabula in mentem veniant, ut idem vocabulum analogum radix (Wurzel, racine) aliam ideam excitet, prout vel in colloquio cum hortulano vel cum medico dentium vel cum mathematico vel cum philologo auditur, denique ut praesens occupatio omnes ideas in se convertere tendat — b) ab *affectu;* res, quibus affectus adhaeret (e. g. „interesse"), aliis promptius mentem intrant, pariter hilaritas et tristitia faciunt, ut similes ideae adveniant — c) ab *occupatione* habituali sive attentione, quae in planta contemplanda in botanico tales, alias in philosopho ideas affert (apperceptio; n. 300) — d) denique *ideae recentiores* antiquioribus promptius redeunt.

266 **3. Celeritas vel tarditas** associationum pendet a) imprimis a maiore minoreve *bonitate (firmitate) specierum* ideoque remote a cognitionum claritate et repetitione. — b) *Species initio,* brevi postquam acquisitae sunt, maiorem aptitudinem habent, ut reproducantur, ideoque facilius redeunt quam posterius. — c) Praeterea celeritas ab *indole* habituali individui, maxime cerebri eius pendet; alii celerem associa-

tionem in cogitando et loquendo manifestant, alii tardiorem. — d) Pariter pendet a *dispositione actuali.* Hilaritas auget, tristitia retardat celeritatem; thea, alcoholica et, quae nervos irritant, similiter celeritatem, initio saltem, promovent.

Moderata idearum acceleratio permultum operationem mentalem iuvare potest: auget fecunditatem et celeritatem in cogitando, affert ingeniosas conceptiones et comparationes, iocos, fluxum sermonis movet. Interdum etiam extraordinaria tarditas vel acceleratio associationum evenit, e. g. tarditas in melancholia et imbecillitate psychica, acceleratio in delirio, mania, ebrietate. Quamdiu intellegentia integra manet, talis acceleratio magna in cogitando iuvare potest, sin autem deficit, cursus idearum paulatim, ordine logico turbato, in dissolutionem et fugam desinit.

§ 3. De qualitatibus memoriae

Reproducendi facultas ad memoriam spectat. In qua sub hoc respectu variae proprietates et differentiae observantur.

Proprietates bonae memoriae tres potissimum sunt, quae 267
diverso gradu adesse possunt:

1. *Facilitas* in recipiendo.
2. *Firmitas* in retinendo.

Utraque qualitas generatim maior est pro maiore attentione, qua res primum percipitur sive discitur, pro maiore exercitio, quod permultum ad memoriam augendam iuvat, pro nativa indole. Firmitas in retinendo in iuventute maior esse solet quam postea, sed facilitas in discendo in pueris generatim minor est quam in adultis, quos maior rerum intellegentia iuvat; in adultis autem paulatim decrescit. Saepe, qui celeriter discunt, etiam celeriter obliviscuntur.

3. *Fidelitas,* qua obiecta accurate talia reproducuntur, 268
qualia apprehensa fuerant. Proinde fidelitas eo minor est, quo plures partes rei apprehensae omittuntur vel quo plures alienae per errorem substituuntur sive adduntur. Qui tamen error ad iudicium pertinet de obiecto reproducto enuntiatum, ut igitur distinguenda sit fidelitas reproductionis et enuntiationis. Fidelitas reproductionis fere idem est ac firmitas.

Fidelitas autem enuntiationis postulat, ne aliud iudicando enuntietur, quam quod vere reproductum est, ne igitur reproductio in iudicando ex inconsideratione, imaginatione, studiis vel desideriis vitietur. Fidelitas maximi momenti est in testimoniis iudicialibus (n. 271).

Praestans intellegentia et egregia memoria plerumque, sed non semper simul sunt.

269 **A quo pendeat perfectio memoriae.** a) Memoriae facilitas, firmitas et fidelitas eo maiores sunt, quo *cognitiones clariores* sunt et quo maior attentio est. Idcirco res, quae alicui cordi sunt, pariter res iucundae et comicae facilius haerent. Experientia etiam docet, species firmius imprimi, si post perceptionem vel studium non statim intensus labor mentalis consequatur.

b) Item maiores sunt, si plures *repetitiones* fiunt. Quo longior est series rerum, eo plures repetitiones necessariae sunt, sed ita, ut serie rerum aequaliter crescente numerus repetitionum requisitarum initio magis crescat quam postea; e. g. ad discendas syllabas 7, 12, 16, 24, 36 inveniebantur requiri repetitiones 1, 16, 30, 44, 55.[1]) Primae repetitiones maximum fructum ferunt. Porro in addiscendis rebus permultum voluntas imprimendi valet; si adest, saepe paucae repetitiones, si abest, ne multae quidem sufficiunt.

270 c) Memoria *moram postulat.* Idem numerus repetitionum plus valet, si non omnes simul instituuntur, sed si morae inseruntur; 68 repetitiones, quae invicem immediate sequuntur, inveniuntur minus utiles quam 38 inter 3 dies continuos distributae.

Experientia etiam docet, species ex perceptione vel studio relictas per intensum laborem mentalem immediate sequentem (etiam absque fatigatione) debilitari et quasi obscurari. Propterea si multae res continua serie cum intenso studio imprimuntur, non diu haerent; pariter si plurima continua successione inspiciuntur, e. g. in itinere, in imaginum collectione, singula parum clare retinentur. Idcirco commen-

[1]) Secundum *Ebbinghaus,* qui primus talium memoriae inquisitionum auctor est.

dandum est, ut in discendis rebus intervalla inserantur. Similiter compertum est, memoriam rerum per decursum alicuius temporis firmari; si examen immediate post studium instituitur, generatim minus prosperum successum habet quam si paulo posterius instituitur.

d) Bonis speciebus imprimendis iucunda *animi dispositio* in discendo favet, nocet autem morositas vel anxietas. Plurimum autem *exercitatio* facit, ut memoriae vis augeatur.

De memoriae differentiis. 1. *Obiectum memoriae* vel est 271
aliquid, quod percipitur, ut imagines, eventus, nuntii, vel aliquid, quod discitur, ut vocabula, facta historica.

a) Memoria eorum, *quae percipiuntur,* praesertim in iudiciis forensibus attenditur, in quibus diiudicandum est, quae sit fidelitas testium, et in critica historica, quae examinare debet, qualis sit auctoritas testimonii historici. Quare nunc diligentes in hac re inquisitiones instituuntur. E. g. proponuntur imagines vel producuntur coram intuentibus eventus et deinde rerum perceptarum descriptio exquiritur, ut hac ratione ea, quae ceteroquin communis experientia testatur, accuratius comprobentur et distinguantur: generatim personae, res et loca fidelius retinentur quam qualitates, circumstantiae loci ac temporis et colores; minor fidelitas invenitur in iis, quae sine attentione vel cum magno affectu percepta sunt; maior est fidelitas in iis, quae spontanea expositione narrantur (Bericht), quam quae examinando interrogantur (Verhör), in quibus facilius, quae exciderunt, complentur et dubia sine dubio proferuntur, maxime si quaestiones suggestivae proponuntur. In feminis etsi firmitas in retinendo generatim maior est, tamen fidelitas minor esse solet, quia propter mobilitatem phantasiae et affectus reproductio facilius vitiatur. In puerulis autem fidelitas parva est, ut pueri nondum septennes tantum cautissime ad testimonium deponendum adhiberi queant.

b) Memoria eorum, quae *discuntur,* saepe cum Kant in 272
mechanicam, iudiciosam et ingeniosam dividitur; inter quas tamen multiplex ex una in aliam transitus invenitur.

Memoria *mechanica* adest, si series rerum tantum ita memoriae mandatur, ut sola naturali associatione conectantur, e. g. series vocabulorum ignotae linguae. In pueris memoria mechanica minor est quam in adultis. Sed magnopere exercitio augeri potest.

Memoria *iudiciosa* (rationalis) adest, si res, velut concio, facta historica, memoriae imprimuntur propter internum earum nexum.

Memoria *ingeniosa* habetur, si obiecta, ut melius discantur, cum alienis rebus extrinsecus conectuntur, e. g. si numeri cum litteris nectuntur et verbum memoriale formatur. In his artificiis docendis mnemotechnica occupatur.

Patet, memoria iudiciosa et ingeniosa res firmius quam sola mechanica imprimi, quia sic una idea simul cum pluribus aliis associationis vinculis colligatur itaque firmius haeret.

273 2. Non raro inveniuntur, qui *memoria speciali* excellunt: alii facile numeros, alii physiognomias, aliis melodias, alii alia facile retinent, in ceteris autem saepe minus possunt. In hac re multum quidem indoles nativa valet, sed permultum etiam rationes generales conferunt, velut specialis exercitatio, amor rei, magna attentio non facile fatigabilis. Si memoria in una re exercetur, simul etiam respectu aliorum perficitur.

274 **De oblivione.** Oblivio oritur, quando species non iam sufficientem vim habent, ut causis ordinariis excitari possint. Non tamen propterea species perierunt; in condicionibus insolitis, velut in hypnosi, nonnumquam oblivione iam deleta subito in memoriam revertuntur.

Proximo tempore, quod res memoriae mandatas sequitur, memoria rerum perceptarum celeriter decrescit; qui tamen processus decrescendi postea multo lentior evadit. Post unam horam, ut series memoriae impressae denuo reproduci possint, iam plus quam pars dimidia laboris pristini necessaria est, post mensem vero nondum plus quam $^{4}/_{5}$. Porro primum illae perceptiones et notitiae oblivioni mandantur, quae recentissimo, postea, quae elapsis et remotissimis temporibus receptae sunt, ultimo denique eae,

quae in consuetudinem et usum automaticum transierunt; i. e. primum magis, postea minus firmata. E contrario si memoria morbo amissa revertitur, primum recordatio veterum, tunc rerum recentiorum redit.

*§ 4. De reminiscentia

Reminiscentia est altera functio, quae memoriae praeter 275*
reproductionem convenit, in eo sita, quod cognitiones, reproductae ut aliquando habitae et in iis obiecta ut aliquando cognita recognoscuntur. Reminiscentia autem ita efficitur: nunc, cum obiectum aliquando perceptum denuo cognoscitur, simul etiam perceptio conscientialis, quae illam pristinam cognitionem perceperat, reproducitur et sic praesentem cognitionem ut a me iam habitam sistit et in ea etiam obiectum ut notum. Video e. g. urbem. Quando post annos revertor, recognosco eam eiusque plateas ut iam visas et notas: cum hodierna enim intuitione associatur perceptio urbis reproducta simulque conscientia, qua tunc perceptionem illam ut meam perceperam; qua nunc efficitur, ut urbem tamquam a me visam mihique notam recognoscam. Haec conscientia reproducta potest nonnumquam valde obscura esse et sensim minui.

Saepe accidit, ut statim determinata adiuncta et *tempus,* in quibus cognitio praeterita adfuit, in memoriam redeant, quatenus cum cognitione reproducta etiam circumstantiae associantur. Nonnumquam autem memoria tantum indeterminate adiuncta et tempus praeteritum refert, e. g. hoc aliquando visum esse. Tunc intellectus tempus inquirere debet tentando, ut per associationem idearum circumstantiae cognitionis praeteritae redeant.

In reminiscendo etiam *errores* evenire possunt. Qui ex hoc oriuntur, quod quaedam, quae percepta fuerunt, omnino non vel tantum ex parte reproducuntur et deinde iudicantur non fuisse, vel quod iis, quae percepta fuerunt, alia admiscentur, quae minime percepta sunt, et in eventu narrando adiunguntur.

*276 Quaestio, quid sit illud in cognitione reproducta, *quo eam ut aliquando habitam recognoscamus,* sive quo ille sensus notitiae producatur (Bekanntschaftsgefühl, sentiment du déjà vu), quo obiectum ut notum sentitur, multum nunc discutitur. Secundum alios haec ratio sive criterium est claritas obiecti, qua recordatio a pura imaginatione differt, secundum alios promptitudo novae reproductionis. Alii rationem hanc esse dicunt, quod obiectum reproductum associationes excitet, e. g. reproductio personae nomen et habitationem eius, et sic apprehendatur notum. Alii criterium in eo reponunt, quod nova repraesentatio memorialis promptius et celerius quam aliae motum et actionem moveat (Bergson).

Sed haec indicia adesse possunt, ubi nulla adest reproductio pristinae perceptionis sive repraesentationis: etiam ideae vel imaginationes, quae recordationes non sunt, clarae, promptae esse et associationes excitare, e contrario recordationes his qualitatibus carere possunt. Praeterea „obiectum clarum est, repraesentatio prompta est etc." nondum formaliter idem est ac „recordatio"; huius igitur notitia aliunde haurienda est. Magis, etsi parum clare, verum attingit sententia affirmans, „sensum notitiae" esse motivum reminiscentiae; qui sensus tamen non est emotio appetitiva, ut aliqui asserunt, sed actus cognoscitivus, etsi saepe obscurus, nempe illa reproducta conscientia, de qua supra diximus.

*277 Nonnullis scholasticis difficile vel impossibile videtur, ut *memoria sensitiva recognoscat praeterita* ut praeterita itaque reminiscentiam habeat. Sed dubium non est, quin id possit, non quidem ita, ut rationem abstractam praeteriti apprehendat et explicite praeteritum cum praesenti comparet, quod tantum intellectus potest, sed ut praeteritum concrete cognoscat, quatenus apprehendit, interea elapsam esse seriem eventuum, imprimis actuum et deinde eventuum externorum illis actibus perceptorum. Sensus autem hoc percipere potest. Percipit enim successionem, ante et post, e. g. successionem motus successive fluentem, et discernit motum breviorem a diuturno.

Art. 4. **De obiecto intellectus**

278 Iam investigandum est, quidnam ideis et cognitionibus nostris, quas experientia, sensibili maxime, acquiri didicimus, attingere valeamus, utrum omnia, quaecumque vera sunt, an tantum aliqua, et quam perfecte. In psychologia autem versantes data opera non tractamus quaestionem ad criticam spectantem, utrum cogitationes mentis forte tantum repraesentationes pure subiectivae sint, an vero rerum cognitiones valore obiectivo praeditae; sed tacite id cum communi hominum sensu supponimus.

Si inquirendum est, qualia obiecta cognitione intellectuali et quam perfecte attingere possimus, veritas in medio sita est inter duos errores extremos *positivismi* et *rationalismi,* quorum prior nimis restringit, posterior nimis exaggerat intellectus potestatem. Positivismus res experimentales obiectum totum intellectus esse nosque ultra ambitum experientiae legitime egredi non posse contendit. Rationalismus vero intellectui, eius vim exaggerans, omnium rerum claram cognitionem vindicat et negat veritates admittendas esse, quas clare apprehendere non possimus. Positivismum excludimus asserentes obiectum adaequatum intellectus esse omne ens, rationalismum vero defendentes, obiectum proportionatum in praesenti vita tantum res sensibiles esse.

Th. 8. **Obiectum adaequatum intellectus omne ens est.**

Declar. Obiectum adaequatum intellectus illud vocatur, 279 quod omnia comprehendit, quae intellectus aliquo modo, dummodo ei proponitur, cognoscere potest. Sicut igitur obiectum adaequatum auditus soni, visus colores, sensuum generatim res materiales sunt, ita obiectum adaequatum intellectus omne ens esse dicimus, ut nulla res exsistat vel possibilis sit, quam intellectus non aliquo saltem modo, sive perfecte sive imperfecte, sive per experientiam sive per fidem, cognoscere valeat.

Demonst. Obiectum adaequatum intellectus est omne ens, 280 si intellectus omne ens sub aliqua ratione apprehendere potest et quidem non solum abstracte, sed etiam ut tale ens singulare. *Atqui* id est. Nam intellectus habet *notiones universalissimas,* quae omnes res sub se continent. Tales sunt ens, unum, bonum, finitum et infinitum, substantia et accidens, materiale et spirituale, causa et effectus et aliae huiusmodi. Per has notiones, quarum vel singulae vel binae omnes res sub se continent, intellectus omne ens secundum variam rationem apprehendere potest. Et quidem res non tantum sub ratione universali, ut ens vel substantiam, sed etiam ut has res *singulares* cognoscere valet. Nam certe tot et tales cuiusque rei differentias individuales, velut eius praesentiam („haec"), qualitates, actiones, effectus, locum, relationes externas apprehendere potest, quibus

ab omnibus aliis rebus discernitur. Ergo obiectum adaequatum intellectus est omne ens.

Quia omne ens cognosci potest itaque eo ipso, quod quid ens est, intellectu attingi valet, dici solet obiectum intellectus esse *ratio entis* sive ens, in quantum ens; non quasi intellectus in rebus tantum ens attingat, sed quod sufficit, ut aliquid ens sit, ut eo ipso cognosci possit. Sicut visus viride non formaliter propterea videt, quia viride est (aliter tantum res virides videret), sed quia color est, ita intellectus res attingit non formaliter, quia hoc et illud, sed quia ens sunt. „Intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis."[1]) Ideo ens in communi obiectum formale intellectus vocari solet. Obiectum enim formale alicuius potentiae est nota illa sive ratio in re, secundum quam attingitur.

Ergo omne ens intellegibile est et, quia intellegibilitas veritas (ontologica) dicitur, omne ens verum est. Hac ratione saepe obiectum adaequatum *verum* esse dicitur, non quasi intellectus omnes res ut veras apprehendat, sed quod veritas condicio cognitionis est. Proinde rectius obiectum intellectus omne ens dicitur, quod deinde consequenter verum est.[2])

281 *Capacitas intellectus* igitur secundum quid infinita est, quatenus, non quidem simul, attamen successive omnia et infinita cognoscere valet, ut quavis rerum multitudine et perfectione cognita semper ulterior capacitas ulterius implenda remaneat. Haec naturalis autem aptitudo a natura instituta simul est naturalis ordinatio et destinatio intellectui insita, seu, ut idem alio verbo exprimatur, naturalis appetitus eius ad omne verum absque fine cognoscendum. Hic appetitus numquam perfecte satiari potest, nisi intellectus ens absolute infinitum, quod omne esse omnemque veritatem comprehendit, perfecte cognoscit, quantum per naturam suam fieri potest. Talis autem appetitus naturalis oportet aliquando satietur, ne natura rationalis in perpetuum a naturali fine

¹) 1 q. 79 a. 7. — ²) Cf. 1 q. 16 a. 3 ad 3.

et perfectione prohibeatur. Ergo oportet, hominem aliquando, nisi impediat, ad talem cognitionem et possessionem entis infiniti pervenire.

Obiectiones. 1. Si intellectus omnia cognoscere potest, non iam sunt mysteria. — *Resp.* D. ant. si omnia perfecte, ut obscuritates non relinquantur C. si tantum omnia aliquo modo N. 282

2. Intellectus etiam negationes et entia rationis cognoscere potest. Ergo etiam talia ad obiectum adaequatum pertinent. — *Resp.* D. ant. ista cognoscuntur per respectum ad ens C. sine eo N. D. cons. indirecte C. directe N.

3. Intellectus materialia cognoscere nequit. Nam oporteret esse similitudinem inter actum et obiectum; cognitio enim est similitudo cum obiecto. Atqui inter actum spiritualem et obiectum materiale non est similitudo. — *Resp.* N. ant. Ad rat. D. similitudo physica requiritur N. intentionalis C.

Th. 9. **Obiectum proportionatum intellectus in praesenti vita res sensibiles sunt.**

Declar. *Obiectum proportionatum* (vel „proprium") illud intellegitur, quod naturae intellectus plene congruit ideoque ab eo perfecte, nempe conceptu proprio, sicut in se est, cognoscitur. Non iam propterea, quod intellectus omnia aliquo modo apprehendere potest, omnia ei plene proportionata et accommodata sunt. Differt igitur obiectum proportionatum ab adaequato sicut pars a toto. Porro intellectum non absolute in se, sed *in hac vita* respicimus, in qua scilicet propter praesentem unionem animae cum corpore a sensibus pendet. Res autem *sensibiles* sive materiales eae dicuntur, quae experientiae sensibilis ambitu continentur, cuiusmodi fere sunt obiecta scientiarum naturalium et historicarum, non vero obiecta philosophiae et religionis. 283

Veritas thesi asserta est communis doctrina scholasticorum. „Obiectum proprium intellectui nostro proportionatum est natura rei sensibilis . . Omnia, quae in praesenti statu intellegimus, cognoscuntur a nobis per comparationem ad res sensibiles naturales."[1])

Demonst. 1. Obiectum proportionatum intellectus illa comprehendit, quae intellectus *conceptu proprio* i. e. ita, ut in 284

¹) 1 q. 84 a. 8.

se sunt, cognoscit. Nam illa sola possunt dici obiectum naturae intellectus plene congruum et hac ratione proprium, quae intellectus cognoscere potest, sicut in se sunt, et proinde quasi directe et primo. Quae enim tantummodo conceptu analogo ex aliis rebus sumpto, itaque quasi indirecte et secundo apprehendit, non sunt obiectum eius indoli et tendentiae plene correspondens, sed potius ab ea aliquatenus divergens, dispar et alienum. *Atqui* intellectus tantum sensibilia conceptu proprio cognoscit, spiritualia autem solum conceptu analogo per respectum ad alia, nempe ad sensibilia, quae illorum perfectionem non adaequant. Id indicant ipsae notiones rerum spiritualium, velut ‚immateriale', ‚infinitum', ‚creatio' i. e. effectio sine subiecto, ‚creator mundi'. Idem ostendit primitiva significatio vocabulorum, quibus spiritualia designamus; significant enim primo res sensibiles, quod scientiae philologicae in dies clarius confirmant. Confer e. g. anima, âme, ἄνεμος [sanscr. an, respirare]; spiritus, spirare; Deus, ex deivos [lucidus]; intellegere, inter legere. Idem denique origo idearum manifestat, quas intellectus potissimum per sensus haurit. Ergo obiectum proportionatum intellectus in praesenti vita res sensibiles sunt.

285 2. Intellectus ita *a sensibus pendet,* ut non possit quidquam apprehendere, nisi sensitiva repraesentatio concurrat, utque eo facilius operetur, quo magis obiectum etiam sensu attingitur, eoque difficilius, quo minus sensus convenientibus apprehensionibus concurrit. Atqui si haec est dependentia intellectus a sensu, obiectum eius proportionatum in hac vita sensibilia sunt, quae nempe directe sensibus percipi ac repraesentari possunt. Ergo.

3. In naturis cognitione praeditis est *proportio inter entitatem et modum cognoscendi.* Iam vero huic principio apprime consentaneum est, ut, sicut intellectus infinitus obiectum proprium habet esse infinitum, intellectus puri spiritus creati obiectum proportionatum spiritus creatos, ita intellectus animae corpori alligatae obiectum habeat „intellegibile in sensibili", i. e. materialia sive sensibilia, attamen

perfectius cognoscenda, quam per sensus cognoscuntur, nempe secundum essentias eorum; id quod statim exponetur.

Intellectus obiecta sensibilia aliter cognoscit ac sensus. Sensus non essentias, sed tantum phaenomena sive qualitates 286
et etiam haec tantum concrete et individualiter cognoscit non distinguendo quidditatem ab exsistentia, a contingentibus affectionibus, a singularitate; apprehendit concrete hoc album huius figurae coram praesens. Intellectus autem *essentiam* rei cognoscit apprehendens, quid res sit, et id distinguens ab exsistentia, externis adiunctis atque etiam ab aliis rei internis proprietatibus et accidentibus; apprehendit rem, quatenus est ens, substantia, planta, arbor huius speciei, secundum id, quo in genere et specie constituitur. „Sensus non apprehendit essentias rerum, sed externa accidentia tantum . . Intellectus autem solus apprehendit essentias rerum; unde in 3 De an. dicitur, quod obiectum intellectus est, quod quid est."[1]) „Cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores, cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei. Obiectum enim intellectus est, quod quid est."[2])

Non tamen existimandum est, intellectum non accidentia quoque apprehendere posse et quidem etiam ut concreta, singularia, exsistentia. Tantum asseritur, ei facultatem propriam esse, ut rerum essentiam apprehendat, et hanc cognitionem etiam spontaneam et facilem esse, si agitur de apprehendenda re sub ratione entis, substantiae, qualitatis vel alius notionis universalioris. Ad exactam enim cognitionem essentiae *specificae* seu ad completam definitionem essentialem saepe accuratior et scientifica inquisitio a sensibus remotior necessaria est.

Scholastici discrimen cognitionis intellectualis et sensitivae saepe etiam in eo reponere solent, quod intellectus in rebus *universale* apprehendat. Hoc idem fere exprimit. Nam quia essentialia rerum praecipue illa communia sunt, quibus complura in unam classem colliguntur, saepe universale et essentia a s. Thoma et scholasticis promiscue ut idem fere accipiuntur.

---

[1]) 1 q. 57 a. 1 ad 2. — [2]) 2, 2 q. 8 a. 1. Cf. C. gent. IV 1 et passim.

287 **Corollaria practica.** 1. Ex his perspicitur, cur res sensibiles earumque pulchritudo et iucunditas vehementer *voluntatem trahant,* res vero spirituales et aeternae minus et parum. Voluntas enim intellectum sequitur; quo clarius igitur bonum proponitur, eo vehementius voluntas afficitur. Idcirco si nihilominus motiva religiosa vitam dirigere debent, necessaria est frequens eorum consideratio per auditionem verbi Dei vel, si quis altius ascendere velit, per continuam meditationem, ut hac ratione continua praesentia motivorum compensetur, quod eorum claritati deest.

2. Quando veritates supersensibiles nobis ipsis vel aliis proponendae sunt, iuvat atque necesse est, quantum fieri potest, obiectum proportionatum facere, vestiendo veritates supersensibiles *illustrationibus* sensibilibus, analogiis, factis. Praeclara huius rei exempla in rebus fidei, ut in cruce Dni, in cultu B. V. M., in sacramentis, in parabolis Dni, in ceremoniis et ritibus Ecclesiae cernuntur.

288 3. In rebus spiritualibus, maxime in divinis, possunt nobis *mysteria* esse, i. e. veritates eatenus nobis occultae, ut apprehendamus quidem, quid dicant, non autem intellegere possimus, quomodo verae sint. Divina enim analogice tantum cognoscuntur, vel per negationem, apprehendendo, quid non sint, vel per similitudinem cum effectibus creatis, qui perfectionem causae divinae minime exhauriunt. Ideo plurima in Deo esse possunt, quae conceptibus nostris satis explicari et comprehendi nequeunt.

4. Quia res materiales facilius et clarius quam *metaphysicae* et supersensibiles cognoscuntur, accidit, ut in scientiis harum rerum, velut in philosophia, multae controversiae gravesque errores inveniri possint, quae eodem modo in aliis scientiis non sunt. Eadem facilitas cognoscendi facit, ut scientiae naturales et positivae non raro nimium extollantur, inquisitiones vero metaphysicae despiciantur. Ratio huius non est ignobilitas, sed potius sublimitas obiectorum metaphysicorum.

Perspicitur praeterea, mentem humanam in rebus philosophicis et religiosis indagandis veram quidem *certitudinem*

habere posse, sed plerumque non eandem *claritatem* ac in rebus naturalibus, mathematicis et similibus. Ideo in illis facilius obscuritates et difficultates inveniuntur quam in aliis. Propterea stultum est, si in rebus fidei non ubique lucida claritas adest, inde concludere fidem incertam esse.

Obiectiones. 1. Multa ad naturam sensibilium spectantia non conceptu proprio, sed valde obscure apprehenduntur, e. g. inhaerentia accidentis, actio, divisibilitas materiae, relatio materiae ad quantitatem. Ergo essentia rerum sensibilium non est obiectum proportionatum. — *Resp.* D. ant. et talia, in quantum sunt sensibilia, non proprie cognoscuntur N. non proprie cognoscuntur, in quantum sunt insensibilia C. Si quae in rebus sensibilibus a sensuum perceptione valde remota sunt, non iam sensibilia dici possunt. D cons. non simpliciter loquendo N. non spectatis his rationibus, quae quidem in rebus sensibilibus sunt, sed ipsae sensibiles non sunt C. 289

2. Essentiae substantiarum materialium, velut animalium, arborum, metallorum cognoscuntur tantum per accidentia et effectus et quidem saepe operose solum propterea, utpote per alia cognita, non conceptu proprio, sed analogo apprehenduntur ideoque ad obiectum proportionatum non pertinent. Ergo essentiae rerum materialium non spectant ad obiectum proportionatum. — *Resp.* D. mai. essentiae sub notionibus generalioribus, tamquam ens, unum, substantia, apprehensae ita analogice cognoscuntur N. essentiae specificae Sd. et sic cognoscuntur per alia plane diversa, quae earum perfectionem non adaequant, sicut e. g. spiritualia per materialia concipiuntur N. cognoscuntur per accidentia sua sibi conaturalia et effectus sibi plus minusve adaequatos, ergo per res, quae illarum perfectionem aliquo modo adaequant Sd. ideo conceptus earum simpliciter analogi dicendi sunt N. propriis adnumerari possunt C.

3. Etiam interni actus conceptu proprio apprehenduntur; immediate enim percipiuntur, sicut in se sunt. Ergo etiam ad obiectum proportionatum pertinent. — *Resp.* D. ant. actus sensitivi inferiores possunt dici conceptu proprio apprehendi C. alii et omnes actus N. Naturam actuum internorum diversa claritate percipimus. Naturam sensationum imperfectiorum, e. g. quid sit dolor, sensus fatigationis, satis clare percipimus. Aliorum autem naturam, e. g. quid sit cognitio, libertas, tam obscura et superficiali apprehensione percipimus, ut propria dici nequeat. Minime autem animam ipsam conceptu proprio cognoscimus, quia praesertim eius spiritualitatem non attingimus, ut in se est (cf. n. 423). Itaque quae immediate percipimus, non semper dici possunt conceptu proprio cognosci.

Art. 5. De variis functionibus intellectus in specie

Functiones sive actus, quibus intellectus circa obiecta sua versari potest, sunt varii generis. Aliae, veluti attentio, apprehensio, memoria etiam in sensibus inveniuntur, etsi non

cum eadem perfectione. Aliae, ut iudicium, ratiocinatio intellectui propriae sunt. Spectatis his variis functionibus intellectus variis nominibus appellatur, velut conscientia, memoria, ratio. Singulae paulo uberius exponendae sunt.

*§ 1. De cognitione in genere

*290 1. Omnibus functionibus intellectus essentiale et commune est, ut cognitiones sint seu ut obiectum exprimant. Conscientia enim ostendit, quando cogitando concipio florem et atomos vel quando iudico, lunam circa terram cursare, me aliquid repraesentare et exprimere. Eadem conscientia manifestat, hanc repraesentationem in eo sitam esse, quod obiectum ab actu cognitionis distinctum sistatur, ut in critica uberius exponitur, non autem in eo, quod obiectum actui quasi immanens et identicum sit. Obiectum non ut actui immanens, sed ut aliquid in se, sic vel aliter se habens sistitur: flos, atomi, iustitia, omnipotentia, immo etiam obiecta in se repugnantia non propterea, quod cogitantur, sunt id, quod sunt, reale vel possibile vel repugnans, sed iam ante cogitationem.

Unde sequitur, cognitionem esse similitudinem vel *imaginem intentionalem* obiecti. Cognitione enim obiectum quodammodo in nobis habemus et apprehendimus. „Omne intellectum, in quantum intellectum, oportet esse in intellegente; significat enim ipsum intellegere apprehensionem eius, quod intellegitur per intellectum.“[1]) Sed certe non secundum esse physicum suum in nobis est; ergo non aliter nisi sic, ut per cognitionem eius similitudinem in nobis habeamus, obiectum quodammodo in nobis reproducentes. *Intentionalis* haec similitudo vel imago vocatur, quia intellectus cum obiecto, e. g. elephante, certe non secundum esse specificum convenit, sed secundum repraesentationem. „Omnis cognitio fit secundum similitudinem cogniti in cognoscente.“[2])

*291 Idcirco eadem imago intentionalis *species expressa* vocatur, quia per eam obiectum exprimitur. Eadem a scholasticis *verbum* mentis dicitur, quia ferme sicut verbum ore prolatum manifestatio obiecti e mente procedens est. Etiam *intentio* vocatur, quia mens cogitando in obiectum se intendit. Itaque nomina cognitio, intellectio, species expressa, verbum, intentio eandem rem designant.

[1]) C. gent. IV 11. — [2]) Ib. II 77.

Porro facile comprehenditur, verbum sive speciem expressam non esse id, quod cognoscitur, ut fere idealistae existimant, quod antea oporteat aspici, ut ex eo deinde novo actu in notitiam rei deveniatur, sicut in imagine picta accidit, sed esse *id, quo* obiectum cognoscitur seu quo obiectum immediate sistitur. Si cognitio esset id, quod cognoscitur, semper tantum cognitiones nostras, numquam obiecta ipsa apprehenderemus, ut frustra pons quaereretur, quo ex cognitionibus ad obiecta deveniremus, et in idealismo haerendum esset.

A sententia modo exposita, quae cognitionem medium quo dicit, paulum deflectit schola thomistica affirmans, verbum in cognitione productum esse *medium in quo*. Asserit enim, in cognitione intellectuali formari imaginem sive verbum (ab ipso actu intellegendi sive ab intellectione realiter distinctum), quod cognoscatur ita, ut in eo simul obiectum reluceat et cognoscatur, sicut fere, aiunt, in imagine depicta sive in speculo obiectum repraesentatum apprehendatur; itaque verbum et obiectum eodem actu cognosci, sed cognitionem verbi esse rationem cognitionis obiecti in verbo relucentis. Ceterum solum in cognitione abstractiva tale verbum produci affirmant, non vero in perceptiva, velut in sensitiva et in visione beatifica, quippe quae per obiectum praesens determinetur, ut imagine vicaria non indigeat.

Haec sententia non ducit ad idealismum. Non enim affirmat, verbum tantum signum quod esse et ipsum solum cognosci; sed concedit, in eo simul obiectum attingi. Attamen naturam cognitionis non satis recte explicare nec testimonio conscientiae comprobari videtur. Nobis conscii non sumus, nos omnia apprehendere tamquam relucentia in propria repraesentatione sive tamquam „repraesentata“; sed apprehensio immediate in obiectum ipsum refertur.[1])

2. Cognitio ab intellectu producitur. Ergo non est substantia animae, sed entitas accidentalis ei inhaerens et quidem transitoria.[2]) Porro productio cognitionis et cognitio ipsa ratione quidem distinctae sunt, quia cognitio ut terminus productionis concipitur. Attamen non est ratio suf- 292*

[1]) Cf. Criticam, De medio in quo. — [2]) Aliud *Cartesius* opinatur: „Cogitatio et extensio spectari possunt ut constituentes naturas substantiae intellegentis et corporeae.“ Princ. Phil. I 63.

ficiens, ut dicatur productio a suo termino immanente, cognitione ipsa, realiter distincta dicatur (quod aliqui asserunt); sed cognitio, utpote actus immanens, videtur immediate per se ipsam ab intellectu procedere.

3. In cognoscendi facultate *magna perfectio* consistit. „Cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum, sed cognoscens natum est habere formam etiam alterius rei, nam species cogniti est in cognoscente."[1]) „Et ideo in 3 De an. dicitur, animam esse quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere. Et secundum hunc modum possibile est, ut in una re totius universi perfectio exsistat. Unde haec est ultima perfectio, ad quam anima potest pervenire secundum philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius; in quo etiam finem ultimum hominis posuerunt, qui secundum nos erit in visione Dei, quia secundum Gregorium quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident?"[2])

*293 4. Si quaeritur, num intellectus eodem tempore *multa simul* cognoscere valeat, dubium non est, quin eodem tempore de compluribus obiectis cogitare possit. In ratiocinio enim complures ideae, in concentu musico simul complures soni apprehenduntur. Attamen tantum *copiam limitatam* obiectorum simul tractare valet. Hoc sequitur ex generali arctitudine animi, quae in eo consistit, quod vis animae, natura sua limitata, obiecta indefinite multa simul sive cognoscendo sive appetendo tractare nequit. Hoc modo fit, ut variae cogitationes vel generatim actus psychici, maxime si aliquam oppositionem inter se habent, invicem impediant. Ideo auditio melodiae vel aspectus rei insolitae impediunt studium et attentio periculi turbat quietam considerationem; cum autem multa simul apprehenduntur, unum tantum vel pauca clare percipiuntur, reliqua vero, si inter se aliqua ratione conveniunt, in confusam summam confluunt.

Ideo animi *collectio* necessaria est in laboribus, studiis, in oratione, ne mens, si aliis occupatur, illico a re proposita avocetur.

[1]) 1 q. 14 a. 1. — [2]) Ver. q. 2. a. 2.

sita avocetur. Generatim ut aliquod opus perfecte peragatur, concentratio requiritur; qui multa simul agit, nihil perfecte agit.

§ 2. De attentione

1. Attentio est *conversio animae in certum obiectum prae aliis considerandum,* qua fit, ut obiectum clarius apprehen- 294
datur et aliae apprehensiones ab ingressu impediantur. Attentio igitur non est specialis actus a reliquis distinctus, sed specialis proprietas cuiuslibet actus esse potest et locum habet in cognitione intellectuali et sensitiva, in apprehensione, iudicio, ratiocinio. In homine attentio intellectualis et sensitiva propter unitatem animae arcto nexu colligantur. Hoc loco de attentione intellectuali potissimum loquimur, quae magis proprie attentio vocatur.

Animae igitur facultas innata inest, ut vim suam psychicam in certum obiectum prae aliis cum concentratione applicare queat. Haec facultas, si attentio voluntaria est, per voluntatem, si involuntaria, per alias causas determinantes in actum deducitur. Facile intellegitur, vim cognoscitivam per voluntatem ita certo obiecto applicari posse, ut cognitio vividior et clarior evadat et, quia vis animae limitata est, ut eo ipso aliae apprehensiones ab ingressu impediantur. In attentione autem involuntaria emotiones vel intensae apprehensiones sive specialis associationum vis similem influxum exercent.

Diversae sententiae, quae in psychologia hodierna de natura atten- 295
tionis proferuntur, vel variis formulis idem exprimunt, quod modo dictum est quodque simplex reflexio manifestat, vel explicationes parum sufficientes praebent.

Aliqui, velut Wundt, affirmant, attentionem esse functionem *voluntatis* („apperceptionem" eam Wundt appellat). Sed persaepe attentio involuntaria est, et si voluntaria est, actus voluntis causa, non attentio ipsa est, quae cognitio sive cognitionis qualitas est.

Alii attentionem in *actibus corporalibus attentionem comitantibus* reponunt, quales sunt contractio frontis, intuitus oculorum, musculorum contentio, mutata respiratio, motus, vel in perceptione harum (Ribot). Haec quidem saepe vel plerumque adsunt et ad finem attentionis obtinendum iuvare possunt. Sed non semper et necessario adsunt et certe attentionem tantum comitantur, non eius essentiam constituunt.

Alii attentionem in eo consistere existimant, quod *aliae apprehensiones praecluduntur* (Hemmungstheorie: Külpe). Haec praeclusio effectus, non essentia attentionis est. Adesse potest, ubi nullae aliae apprehensiones ingredi conantur, atque etiam aliis causis effici potest, ubi nulla attentio adest.

296 2. *Causae* attentionem excitantes praecipuae sunt: a) *Vehementes apprehensiones,* sponte attentionem attrahentes, ut perceptio fulguris, odores penetrantes. b) *Novitas* obiecti. c) *Apprehensiones conexae* reproductae. Inter multa vocabula, flores, personas, quae percipiuntur, statim una, quae nota est, attentionem attrahit. Ideo musicus attentionem ubique in suas, in alias negotiator, in alias res theologus convertit. d) *Affectus.* Quod placet, quod scire alicuius interest, attentionem tenet. Speciatim hoc „interesse" (l'intérêt), quod dicitur, sive rei noscendae iucunda cupido permultum ad attentionem movendam valet. Sed etiam ingrata attentionem movent; odium, gravis tristitia magnam concentrationem in sua obiecta efficere possunt. Quare opus est proprias inclinationes moderari et corrigere, si quis mentem ordinatam et quietam servare velit. e) *Voluntas;* quae quidem praecipua attentionis causa, attamen minime unica est. In pueris etiam generatim attentio involuntaria praevalet. Efficacia voluntatis hac in re limitata est. Nam solum tamdiu alicui rei attentionem applicare potest, quamdiu cogitatio rei adest; ut primum haec per aliarum idearum associationem extruditur, simul etiam imperium et attentio desinunt, donec rei cogitatio redit et imperium renovatur.

297 3. Quod ambitum seu *amplitudinem attentionis* spectat,

a) Attentio *arctis* limitibus circumscribitur. Intellectus quidem complures res simul quomodocumque apprehendere, non tamen his omnibus, sed paucis tantum simul attentionem tribuere potest. In legendo libro stricte simul argumentum, argumenti veritatem, dictionis rectitudinem et pulchritudinem attendere impossibile est. Quare qui attente rem considerare, serio orationi vel studio se dare intendit, ab aliis attentionem avertere debet. Attentio alicuius rei facit, ut simultanea aliarum rerum attentio seu

apprehensio minuatur vel etiam excludatur. Quae attentionis exclusio *distractio* vocatur, si illa attentio aliquo modo postulatur, e. g. attentio in discipulo, attentio ad personas praetereuntes in platea. Distractio eo facilius in habitum transire potest, quo maior est habitualis attentio in particularia obiecta, ut accidit in hominibus doctis, maxime si quaedam naturalis mentis profunditas accedit.

b) *Quot obiecta* diversa eodem tempore attentio comprehendere possit, non satis constat. Alii putant, in unum tantum attentionem converti posse, quando autem mens compluribus obiectis diversis simul intenta esse videatur, id propterea fieri, quod celerrime ab uno in aliud discurrat. Alii attentionem in duo vel etiam plura diversa concedunt. Certum est, obiecta simul attenta eo pauciora esse, quo magis in se composita, quo minus inter se unita sunt, quo intensior est ad singula attentio, quo minus vegeta, quo magis fatigata est facultas. Ideo, si qui diu ad unum tantum ordinem rerum totam attentionem convertunt, alia magis magisque attentionem eorum fugiunt, ut saepe vix iam capaces sint de aliis rebus prudens iudicium ferre, omnia secundum suas particulares ideas et scientias diiudicantes.

Experimentis mensurarunt, quot obiecta sensu percepta, e. g. quot lineae, simplices figurae, litterae simul attentione apprehendi queant; de aliis enim obiectis ambitus attentionis exacte mensurari nequit. Invenerunt, circiter 5–6 eiusmodi obiecta eodem tempore simul attentione comprehendi posse.

Quod ambitum attentionis attinet, aliquid indoles individuorum facit. Inter alia duo typi distingui possunt: *typus intensivus* eorum, qui attentionem fere tantum in unum, sed cum intensitate et constantia convertere queunt, et *typus extensivus* aliorum, qui multa simul attendere valent, nempe sic, ut celeriter unum post aliud attendant. Typus intensivus magis viris doctis, extensivus vero viris in muneribus practicis constitutis, velut medicis, iuristis, ephe-

meridum scriptoribus, res politicas administrantibus proprius esse solet.

298 4. Attentioni *inconstantia* propria est. Et quidem a) continua *fluctuatio* observatur, tum quod intensitatem attinet, quatenus concentratio in idem obiectum periodice augeri et minui seu obiectum modo menti quasi appropinquare, modo paulum recedere solet, tum quod obiecta attinet, quatenus attentio ab uno in aliud transit. Sed varia est hac in re indoles hominum. In aliis attentio constantior est, ut uni rei diu applicata maneat, in aliis labilior est, ut applicandi imperium saepius repetendum sit. b) Generatim attentio *paulatim minuitur* et desinit, vel propter aliquam defatigationem, vel absque fatigatione ideo, quia, si novitas desinit, vis excitandi cessat. Proinde ad attentionem conservandam vel augendam, ut in studiis et oratione, aliqua mutatio procuranda est. Eo facilius autem attentio elanguet, quo minor est in mente copia idearum et in voluntate vis se continendi, quo maior etiam, ut in pueris, ingenii naturalis inconstantia.

Haec omnia maxime oratoris est diligenter attendere, ut auditorum attentionem efficaciter movere et conservare possit.

299 5. *Momentum et influxus attentionis* magnus est. Attentio efficit, ut cognitiones clariores et distinctiores fiant, ut sic eorum conscientia clarior evadat, ut firmius in memoria haereant, ut denique clarioribus cognitionibus appetitus fortius moveatur. Etiam facit, ut repraesentationes phantasiae vividiores, perceptiones autem, ut dolores, vehementiores evadant; e converso, cum attentio avertitur, dolores vel strepitus minus intense percipiuntur. Quatenus autem attenta consideratio facit, ut apprehensiones aliarum rerum impediantur, saepe hanc utilitatem affert, ut inutiles et nocivae imaginationes animique motus arceantur.

Denique attentio sponte quasdam actiones corporales, ex parte modo pure reflectorio, determinat, quae attentionem comitari solent: attentione causatur oculorum accommodatio et convergentia in obiectum intuendum, musculi frontis

contrahuntur, mora inspirationis minuitur et expirationis mora protahitur, maior copia sanguinis versus cerebrum fluit, et similia.

De apperceptione. Attentioni affinis est apperceptio. Ap- 300
perceptio plerumque (cum Herbart) in eo reponitur, quod obiectum *apprehenditur secundum ideas (et affectus)* percipientis, quae perceptioni seu apprehensioni associantur.[1]) Hac ratione agnoscimus hominem, quem intuemur, intellegimus vocabula loquentis, ex affectu suspicioso actiones alterius malas interpretamur. Puer plantam simpliciter percipit, botanicus vero tamquam sibi notam et ad certam speciem pertinentem appercipit; eandem regionem aliter pictor, aliter geologus, aliter peregrinus, alio modo ille, cuius ista regio est patria, apprehendit; alias videlicet apperceptiones habent.

Apperceptio attentionem auget et propterea rei consideratae memoriam promovet; apprehensiones enim conexae et affectus, qui in apperceptione agunt, inter causas attentionem excitantes praecipuum locum occupant. Praeterea apperceptio novis perceptionibus veteres associans facit, ut cognitiones copulentur, nova et ignota notis illustrentur et clariora reddantur. Denique vehementer iudicia hominum regit; hinc vitiosa illa vel stulta multorum hominum iudicia de rebus religiosis, asceticis, catholicis propter praeiudicia, hinc rara et rarissima inter homines, etiam cultissimos, iudicia perfecte obiectiva a praeiudiciis et affectibus suis penitus libera.

Clarum est, apperceptionem magni momenti esse in *paedagogica*. Monita illa, ut a notis ad ignota, a propinquis ad remota, a facilibus ad difficilia progressus fiat, ut materiae eodem tempore tractatae similes et invicem conexae sint, fere reduci possunt ad unum monitum, ut aptis apperceptionibus provideatur.

---

[1]) Paulo aliter *Kant* et *Wundt* apperceptionem definiunt. Wundt, qui apperceptioni maximas partes tribuit, vestigia Kantii premens apperceptionem illam functionem intellectus vocat, qua obiectum clare apprehendatur; quae igitur ab attentione supra definita parum differt. Sed mirum est, quod eam apperceptionem actum volitivum interpretatur.

*§ 3. De apprehensione, iudicio, discursu

*301 **De apprehensione.** Apprehensio sive idea est actus intellectus aliquid repraesentans sine affirmatione vel negatione. Intellectus multiplicis generis apprehensiones habet. Sub respectu psychologico hae potissimum nominandae sunt, quarum etiam aliis locis mentio fit: a) Apprehensio *perceptiva* (Wahrnehmung) et *abstractiva* (Vorstellung). Apprehensio perceptiva immediate rem exsistentem percipit, cuiusmodi est perceptio actuum psychicorum per conscientiam et visio Dei. Alia abstractiva dicitur; qualis est apprehensio rei possibilis, repraesentatio Dei exsistentis, quam in hac vita habemus, quippe qua Dei exsistentia quidem repraesentatur, sed non percipitur. Si idea perceptiva obiectum suum cum plena claritate visui oculorum simili apprehendit, *intuitiva* vocatur. Omnis igitur apprehensio intuitiva perceptiva est, at non vicissim. Ego quidem proprium vere percipimus, attamen, quod eius essentiam spectat, tam obscure, ut haec perceptio intuitio minime vocari possit. b) Apprehensio *comparativa* et *non-comparativa.* Apprehensio comparativa complura comparat sive eorum relationem, v. g. identitatem vel diversitatem, apprehendit. c) Conceptus *proprius* et *analogus.* Conceptus proprius exhibet rem, ut in se est, analogus autem tantum per respectum ad aliam rem, quae illius perfectionem non adaequat.

*302 **De iudicio.** In iudicio aliud inquisitio psychologica, aliud logica attendit. Inquisitio psychologica spectat ortum et indolem iudicii, logica vero relationes obiecti expressi considerat, e. g. qualis sit subiecti et praedicati identitas, qualis relatio extensionis utriusque.

Si psychologicam inquisitionem instituentes indolem actus consideramus, quem nomine iudicii appellamus et ab apprehensione distinguimus, invenimus, iudicium esse actum intellectus, quo unum de altero affirmamus vel negamus seu quo duas ideas, subiectum et praedicatum, affirmando coniungimus vel negando separamus. Si ulterius investigamus, in quo consistat illa affirmatio vel negatio, eam in hoc sitam esse invenimus, quod decretorio ac definitivo et

quasi iudiciali modo enuntiamus, quod antea apprehendimus, unum alteri convenire vel non convenire. Simili modo Aristoteles naturam iudicii describit: „Propositio est oratio aliquid de alio aliquo vel affirmans vel negans“[1]): pariter s. *Thomas*: iudicium est „operatio intellectus, secundum quam componit et dividit affirmando et negando“[2]). Ante iudicium igitur, id quod thesi sequenti uberius exponemus, intellectus subiectum et praedicatum simpliciter apprehendit, utrumque comparat et (immediate vel mediate) perspicit, praedicatum subiecto convenire vel non convenire; deinde id, quod sic apprehendit, decretorio modo enuntiat eique assensu adhaeret.

In hoc aliqua perfectio sita est, quod cognitiones nostras iudiciis perficere *possumus.* In hoc autem, quod iudiciis *indigemus,* imperfectio continetur. Compositio enim idearum per iudicia propterea necessaria est, quia intellectus prima simplici apprehensione totam obiecti cognoscibilitatem non exhaurit. Deus uno actu comprehendit, quidquid cognoscibile est.

De vitiosis explicationibus iudicii. In hodierna psychologia 303*
de natura psychologica iudicii aliqua sententiarum diversitas invenitur. Praecipuae sententiae a nostra modo allata discrepantes hae sunt:

1. Multi asserunt, iudicium non esse actum intellectus, sed potius *actum voluntatis vel affectus,* quo id, quod antea de subiecto et praedicato apprehensum fuerit, approbemus et agnoscamus vel e contrario reprobemus. Cartesius hanc approbationem existimat actum voluntatis esse seu „modum volendi“[3]), cui opinioni recenti tempore alii consentiunt[4]),

---

[1]) Πρότασις μὲν οὖν ἐστι λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος. An. pr. (24 a 16). — [2]) Ver. q. 14 a. 1. — [3]) „Omnes modi cogitandi, quos in nobis experimur, ad duos generales referri possunt: quorum unus est perceptio sive operatio intellectus, alius vero volitio sive operatio voluntatis. Nam sentire, imaginari et pure intellegere sunt tantum diversi modi percipiendi, ut et cupere, aversari, affirmare, negare, dubitare sunt diversi modi volendi.“ Princ. phil. I 32. Cf. Medit. IV. — [4]) „Assensus est functio partim affectiva, partim volitiva.“ („Das Moment der ‚Zustimmung‘ stellt sich teils als eine gefühlsmäßige, teils als eine willenhafte Funktion dar.“) *Windelband,* Prinzipien d. Logik (1913) 9.

Hume vero praedicationem emotionem sive sentimentum affectivum habet („belief"), cui sententiae ferme W. Hamilton, A. Bain et alii accedunt.[1])

Sed hoc *negandum* est. a) Iure quidem affirmant, iudicium a praecedente apprehensione distinctum esse et confirmare, quod antea apprehensum fuerit. Ex quo tamen non sequitur, iudicium non esse actum intellectus, sed tantum eum esse actum diversum ab apprehensione. Pariter verum est, nos saepe actibus voluntatis vel affectus iudicium imperare et excitare, sed non propterea cum iudicio identici sunt. b) Affirmatio et negatio vera et falsa est, actus volendi autem vel affectus numquam veri et falsi sunt. Voluntate affectuque possum appetere et aversari, ut aliquid accidat, sed hoc nondum idem est ac affirmare et negare id accidere; et voluntate possum velle aliquid affirmare, sed velle affirmare pariter nondum est affirmare. c) Constat, nos serio affirmare non posse, quod cum perfecta evidentia perspicimus falsum esse. Iam vero id possemus, si affirmatio actus voluntatis esset, quia voluntas etiam falsa et impossibilia et mala velle potest, si aliquo modo bona apprehenduntur.

*304 2. Neque naturae iudicii satisfaciunt, qui id solum *„coniunctionem idearum"* („Verknüpfung") appellant. Iudicium specialis coniunctio idearum est, nempe illa adhaesiva et decretoria, quam assensum, affirmationem appellamus.

Magis iudicii naturam vitiant *associationistae,* qui iudicium in sola idearum associatione consistere contendunt (n. 173 178). Manifestum est, si duae ideae associantur, velut luna et planeta, fulmen et tonitrus, nondum asseri lunam esse planetam, neque iam determinatum esse, quale iudicium fiat, utrum ‚fulmen est tonitrus' an ‚fulmen sequitur tonitrum' an ‚fulmen facit tonitrum'.

3. Sunt, qui affirmant, iudicium non ex coniunctione idearum, sed ex resolvenda complexa apprehensione, non

[1]) De singulari sententia *F. Brentano* de „iudicio exsistentiali" cf. Log., De natura iudicii.

ex synthesi, sed ex analysi oriri.[1]) — Saepe quidem, antequam iudicamus, rem concretam sensibus obversantem vel aliquod totum mente conceptum, e. g. ‚regionem lucidam' vel ‚Romam', in notas dissolvimus. Sed iudicium ipsum in eo consistit, quod subiectum et praedicatum, undecumque accepta sunt, sive ex tali analysi sive aliunde, affirmatione coniunguntur.

De discursu. 1. Discursus est operatio mentis, qua unum ex alio infertur sive ex uno vel pluribus iudiciis ad aliud ita proceditur, ut hoc posterius propter illa affirmetur. Differt igitur tale iudicium illatum a iudicio immediato sive non illato, quia dependenter ab alio iudicio affirmatur. Si ex duobus iudiciis tertium infertur, discursus ratiocinium dicitur, si ex uno alterum, illatio immediata vocatur. 305*

In ratiocinio igitur, quod est praecipuus discursus, a) ante conclusionem duo iudicia plerumque tempore, certe causalitate praecedunt. Et eo tempore, quo conclusio affirmatur, simul in intellectu adsunt, quia conclusio ab illis pendet. Attamen ad conclusionem inferendam sufficit, ut quis recordetur, se argumenta certa aliquando perspexisse, etsi non iam distincte prae oculis versantur. b) Ante conclusionem etiam apprehensio consequentiae praecedit, quae perspicit, ex his praemissis hanc veritatem legitime consequi. c) Iudicia praemissa affirmationem consequentis causant, quatenus intellectum illuminando ad conclusionem affirmandam inclinant.

Intellectus autem non semper secundum integrum hunc actuum ordinem, qui expositus est, ratiocinia facit, sed saepissime forma abbreviata seu *discursu virtuali* utitur, qui non ex tribus iudiciis distinctis constat, sed uno actu absolvi potest, quo unum propter aliud affirmamus. Id non raro accidit in materia nota, si ratiocinia formalia iam prius instituta sunt.[2])

[1]) „Propositio est divisio alicuius conceptionis in suas partes." („Das Urteil ist die Gliederung eines Gedankens in seine Bestandteile.") *Wundt,* Grundriß d. Psychologie[12] (1914) 327. — [2]) De eiusmodi informi et vulgari modo ratiocinandi („natural inference") *Card. Newmann* in celebri opere Grammar of assent multa notatu digna profert.

Quod de iudicio dictum est, etiam in ratiocinio locum habet: in eo, quod ratiocinia facere *possumus,* perfectio sita est, sed quod ratiociniis *indigemus,* huius ratio imperfectae ideae et iudicia sunt. „Sic igitur patet, quod ex eodem provenit, quod intellectus noster intellegit discurrendo et componendo et dividendo, ex hoc scilicet, quod non statim in prima apprehensione alicuius primi apprehensi potest inspicere, quidquid in eo virtute continetur; quod contingit ex debilitate luminis intellectualis in nobis."[1])

*306 2. *Intellectus et ratio.* Apud scholasticos usitata est distinctio inter intellectum presse sumptum et rationem. Facultatem intellegendi vocant intellectum, quatenus veritatem immediate, nempe apprehensione vel immediato iudicio, cognoscit, rationem vero, quatenus ratiocinando novas veritates detegit. „Intellectus et ratio", inquit s. Thomas, „differunt quantum ad modum cognoscendi, quia scilicet intellectus cognoscit simplici intuitu, ratio vero discurrendo de uno in aliud"[2]); „ratio importat quendam discursum unius in aliud, intellectus autem importat subitam apprehensionem alicuius rei"[3]). Quia plerasque veritates tantum ratiocinando cognoscimus, facultas nostra intelligendi merito a scholasticis simpliciter ratio et homo animal rationale vocatur.

Saepe autem vel plerumque nomina intellectus et ratio sine discrimine adhibentur.

Similis fere est usus utriusque nominis in philosophia moderna.[4])

Intellectus et ratio stricte accepti *non realiter diversae* facultates sunt, sicut fere Kant putat. Ratio enim simul functiones intellectus exercet, quia in ratiocinando etiam

[1]) 1 q. 58 a. 4. — [2]) 1 q. 59 a. 1 ad 1. — [3]) 2 d. 24 q. 3 a. 3 ad 2, et saepe alibi. Sed multis in locis nomina sine discrimine adhibet. — [4]) Vocabula Verstand, Vernunft (intelligence, entendement, raison) plerumque promiscue usurpantur. Quando discrimen fit, Verstand fere idem significat, quod intellectus, et Vernunft idem, quod ratio. Sed usus constans non est. Nach *Kant* ist der Verstand „das Vermögen, Vorstellungen hervorzubringen", „das Vermögen zu urteilen", „die Vernunft ist das Vermögen zu schließen d. i. mittelbar zu urteilen", „zu dem bedingten Erkenntnisse des Verstandes das Unbedingte zu finden, womit die Einheit desselben vollendet wird". Kritik d. reinen Vernunft, variis in locis.

apprehensiones et iudicia immediata elicit; quare absonum est dicere, eam ab intellectu re differe.

3. Secundum Aristotelem ratio *theoretica* et *practica* distingui solent. Facultas intellectualis vocatur ratio theoretica sive intellectus speculativus, quatenus id, quod cognoscit, non ad opus ordinat, sed in sola consideratione veritatis se continet, ratio practica autem, quatenus id, quod cognoscit, ad opus dirigit. Differunt igitur potissimum ex fine; in una finis est assecutio veritatis, in alia vero opus perficiendum. „Intellectus speculativus est, qui, quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus vero intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus."[1]) 307*

***Th. 10. Ante iudicium praecedit perspicientia nexus inter subiectum et praedicatum. Quare iudicium ab hac perspicientia realiter distinctum est.**

Declar. Ut natura iudicii et alia quaedam, quae cum ea cohaerent, et praesertim ut psychologia fidei divinae melius perspiciantur, iuvat ad aliquam rem genesim iudicii spectantem reverti. Fuerunt, qui asserebant, velut Reid cum schola scotica et Jacobi, intellectum in iudicando non semper niti in perspicientia nexus inter subiectum et praedicatum, sed caeco quodam impetu sive instinctu ad aliqua iudicia impelli. Simile fere Kant de iudiciis suis syntheticis a priori asserere debet, quippe quae neque ex notionum analysi neque ex experientia hauriri dicuntur. Exstat praeterea sententia a nonnullis scholasticis, ut Suarez[2]), Schiffini, Lahousse, Mendive, Boedder, Mercier, defensa, intellectum in iudicando quidem in perspicientia nexus inniti, attamen hanc perspicientiam esse ipsum iudicium; qui praeter alia in explicando actu fidei difficultatem incurrunt. De antiquis autem testatur Ripalda: „Non solum extrema [subiectum et praedicatum], sed etiam unio ipsorum extremorum ante iudicium apprehenditur, ut fere omnibus commune est."[3]) 308*

[1]) 1 q. 79 a. 11. — [2]) De an. III 6 n. 4; Metaph. VIII 4 5. — [3]) De ente supernaturali I l. 3. disp. 62 s. 1 n. 9.

Itaque affirmamus, ante iudicium non solum apprehendenda esse obiectum et praedicatum, quid sint, sed etiam nexum eorum, nempe praedicatum subiecto convenire vel non convenire. Non tamen asserimus, hanc perspicientiam nexus semper et necessario esse actum realiter diversum ab apprehensione subiecti et praedicati. Fortasse fieri potest, si de rebus immediate et valde evidentibus agitur, e. g. de supremis principiis, ut intellectus apprehendendo subiectum et praedicatum simul eorum identitatem perspiciat; sic ipsa apprehensio subiecti et praedicati simul aequivalenter perspicientia erit. Sed in longe plerisque iudiciis perspicientia ut actus novus accedit.

*309 **Demonst.** 1. Ut intellectus iudicium proferre possit, opus est, ut *rationem* videat, cur iudicium proferri queat, seu ut percipiat praedicatum subiecto convenire; intellectus enim caece, nisi percipiat rem ita se habere, iudicare nequit. Et quidem opus est, ut *ante* iudicium id percipiat, quia haec perceptio ratio est, qua ad iudicandum movetur. Atqui in eo, quod intellectus praedicatum subiecto convenire percipit, consistit perspicientia nexus inter subiectum et praedicatum. Ergo ante iudicium haec perspicientia praecedit, quare iudicium actus ab ea realiter distinctus est.

Idem confirmatur *diversis nominibus,* quibus duos actus significamus. Unus enim vocatur assensus, compositio, affirmatio, adhaesio, iudicium, alter vero apprehensio, perceptio, perspicientia.

*310 2. Pleraque *iudicia libera* seu a voluntate directe imperata sunt, scilicet ita imperata, ut voluntas non solum intellectum ad considerandum obiectum moveat, sed supposita iam consideratione ad ipsum assensum immediate determinet. Nam experientia docet, nos (omissis iudiciis opinativis) imprimis in credendis veritatibus revelatis, etsi credibilitatem perspectam habeamus, tamen in ipso assensu praestando liberos manere; praeterea multas alias veritates esse, quae ita se nobis manifestent, ut contrarium quidem exclusum esse videamus, tamen ut ad assensum non cum necessitate trahamur, quia non perfecta evidentia et claritate, sed v. g.

tantum longa demonstratione se manifestant.[1]) *Atqui* in his certe ante iudicium praecedit perspicientia nexus a iudicio realiter distincta. Ergo.

Demonst. min. a) In his iudiciis adest perspicientia, rem veram esse. Nisi enim intellectus id saltem aliquo modo perspicit, neque voluntate ad assensum permoveri potest. Nihilominus iudicium potest non sequi. (Cui concordat doctrina catholica de fide: si assensus denegatur, peccatum committitur, quia, quamquam certa credibilitas cognoscitur, tamen assensus denegatur. Si enim haec credibilitatis perspicientia deesset, neque negando assensu peccatum committeretur. Ergo perspicientia sine assensu esse potest.) — b) Praeterea si perspicientia idem ac iudicium esset, ipsa perspicientia a voluntate imperaretur. Iam vero voluntas intellectui imperare nequit, ut percipiat, notiones potius identicas quam diversas esse. Sed intellectus, quod percipit, necessario percipit. „Respectu obiecti duo actus rationis attenduntur; primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat, et hoc non est in potestate nostra . . Et ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra nec imperari potest. Alius autem actus rationis est, dum his, quae apprehendit, assentit.“[2])

Vel *aliter:* Si perspicientia idem esset ac iudicium, omnia iudicia necessaria essent; actus enim perspicientiae non est in potestate voluntatis.

Thesi admissa intellegitur, cur iudicia nostra possint esse 311*
prudentia vel temeraria, prudentia, si firmitas assensus non est maior, quam perspicientia meretur, temeraria, si maior est; pariter cur possit esse obligatio ad iudicia ferenda vel vitanda, quae imponi non posset, nisi antea veritas perspiceretur; denique cur iudicia falsa esse possint. Quae in opposita sententia vix explicari possunt, quia perspicientia ipsa temeraria et falsa esse nequit, quoniam non plus perspicit, quam apprehendit.

Nota. De discrimine iudicii a perspicientia. Si quaeritur, 312*
quomodo igitur perspicientia et iudicium differant, huius

[1]) Cf. Criticam, De certitudine libera. — [2]) 1, 2 q. 17 a. 6

discriminis assertores respondent, hos actus non tam obiecto differre, quippe quod in utroque identitas vel diversitas duarum notionum sit, quam potius *modo*, quo obiectum exprimitur. Iudicium identitatem vel diversitatem exprimit absolute et maiore cum activitate, quasi ultimo decernendo et definiendo, perspicientia vero tantum percipiendo et quasi audiendo nexum his rationibus fulciri. „Nec differunt", inquit Lugo, „prima et secunda operatio ex parte obiecti, sed solum penes diversum modum tendendi, quatenus per apprehensiones quasi audimus obiecta, per iudicium vero sententiam proferimus, subscribimus vel dissentimus obiecto per apprehensionem proposito."[1])

„Si igitur quaeritur", inquit recte Palmieri, „an actus iudicii nostri sit cognitio, respondendum est, quod, si nomine cognitionis intellegatur actus proprius facultatis cognoscitivae, dicendus est actus iste cognitio, quia, ut probavimus, est actus proprius intellectus. Si vero cognitio dicitur apprehensio seu perceptio, actus iudicii non est formaliter cognitio, sed est essentialiter simul cum ea, ita ut, si complete spectetur operatio iudicantis, ea sit cognitio cum affirmatione aut negatione."[2])

§ 4. De conscientia

313 **Notio conscientiae.** 1. *Conscientia* actum vel facultatem significare potest. Ut facultas spectata est intellectus, quatenus actus seu affectiones proprii subiecti immediate cognoscit.

Conscientia igitur, quam hoc loco consideramus, non est conscientia moralis, sed psychologica. Per eam actus proprios percipimus et quidem immediate; distinctior cognitio naturae actuum, quam ratiocinatione comparamus, non iam conscientiae, sed rationi attribuitur. Actus autem per conscientiam concrete percipimus, i. e. actus cum subiecto sive nos ipsos actibus affectos, attamen ita, ut etiam subiectum ab actibus clare distinguere possimus, distincte cognoscentes: ego cogito, ego volo.

Porro conscientia tantummodo *actus psychicos percipit*. Alias res psychicas praeter actus eorumque subiectum, veluti species memoriales vel habitus, non immediate percipimus. Neque functionum vegetativarum conscientiam

[1]) De fide, disp. 11 s. 3 n. 39. — [2]) Anthropologia, Th. 36, p. 553.

habemus; quod sapienter a natura institutum est, ne anima nimiis perceptionibus impleatur. Tantum eatenus se manifestant, quatenus conveniens eorum decursus tenues perceptiones gratas, inconveniens autem sive turbatus ingratas excitat; quae igitur non ipsae vegetativae operationes, sed potius earum effectus sunt. Videtur autem haec vitae vegetativae insensibilitas eo potissimum effici, quod systema sympathicum operationes illas praecipue administrans cum cerebro tantum laxe colligatur.

Praeter conscientiam intellectualem sive stricte dictam in nobis et animalibus etiam aliqua *sensitiva conscientia* adest, sensus communis. Cui tamen non distincta proprii ego perceptio convenit.[1])

In psychologia moderna termini conscientiam significantes (Bewußtsein, conscience, consciousness) non semper eadem significatione adhibentur. Plerumque designant internam perceptionem propriorum actuum psychicorum vel ipsum complexum actuum, qui ita percipi possunt, interdum etiam ipsam capacitatem ad actus psychicos habendos.

Duplex in nobis conscientia distinguenda esse videtur, 314
reflexa et directa.

Conscientia reflexa adest, si intellectus in actus proprii subiecti novo actu distincto, qui reflexio nominatur[2]), revertitur eorum exsistentiam percipiens, proprietates eorum considerans, eos comparans et inter se distinguens. Non est dubium, quin tali conscientia plurimos actus sive sponte sive ex intentione cognoscamus. Neque difficultas obstat, ut anima ad actus sic percipiendos determinetur; nam quatenus actus in anima fiunt, eo ipso ei coniuncti sunt eamque ad sui cognitionem determinant.

Conscientia directa quaedam imperfecta experientia vocatur, qua omnis actus psychicus se ipsum imperfecto modo experiri dicitur. Quae tamen non ab omnibus admittitur.

[1]) Aliqui neoscholastici, ut Tongiorgi, Palmieri, van der Aa et alii, nomen *„sensus intimi"* a veteribus non adhibitum induxerunt, quo designant facultatem animae ad actus proprios et se ipsam percipiendos, plerumque sic, ut ei conscientia omnium actuum (et quidem saepe conscientia directa) tribuatur. „Inter facultates animae proprias", ita a Palmieri describitur, „prima occurrit sensus intimus, quo suas operationes sensitivas et intellectuales seque ipsam operantem sentit." Anthropologia 451. — [2]) *Reflexio* generatim est reditus in actus proprios; dicitur psychologica vel ontologica, prout cognitio in actus redit, quatenus subiecti affectiones sunt, vel tantum in eorum obiecta.

Aristoteles[1]) et Thomas[2]) ad conscientiam simpliciter actum distinctum postulant; conscientiam directam si non negant, saltem nondum attendunt. Inter primos Suarez eam commemorat.[3]) Ex neoscholasticis aliqui eam recusant, alii, velut Balmes, Schiffini, Kleutgen, eam admittunt. Psychologi moderni multi eam omnibus actibus psychicis tribuunt, aliis contradicentibus.

315 2. *Conscientia directa admittenda* esse videtur. a) Hac ratione explicatur, cur nos tam continuam omnium actuum psychicorum conscientiam saltem obscuram habeamus, ut nullus actus penitus inconscius cum certitudine probari possit. Quod infra amplius exponetur. b) Actus psychici sui conscientiam in se includere videntur, ut esse et cogitari non possint inconscii; quod pariter infra ostendetur. c) Videmur ad arbitrium per conscientiam reflexam actus internos considerare posse; sed non possemus in actus reflexionem dirigere, nisi eos iam experiremur. d) Etiam experientia proprii ego melius explicatur. Etenim si anima obiectum externum apprehendit, postea in hunc actum directum novo actu reflectente redire eumque distincte ut actum proprium percipere potest, distinguendo actum et proprium ego tamquam subiectum. Sed non videtur anima in actu reflectente actum directum ut „proprium" i. e. ad *se* pertinentem apprehendere posse, nisi in actu reflectente simul se percipiat, nisi igitur huic conscientia directa insit. Itaque in omni actu per conscientiam directam proprium ego percipere videmur, sed modo imperfecto, ego ab actu non distinguendo; per conscientiam autem reflexam ego distincte percipimus, subiectum ab actu distinguendo.

Neve dicatur, actum non posse simul esse sui conscium, quia sic unus actus duo obiecta haberet, e. g. actus audiendi sonum et se ipsum, immo idem actus esset velle et simul

[1]) De an. III 2 (425 b). — [2]) Cf. 1 q. 87 a 3 ad 2; 1 d. 17 q. 1 a. 5 ad 4. — [3]) „Notandum est, quod actus cognoscendi dupliciter potest cognosci, uno modo proprie tamquam obiectum alterius actus, cognoscendo videlicet ipsam cognitionem. Alio modo minus proprie dici potest cognosci actus quasi in actu exercito, non per alium actmu, sed per ipsummet." De an. III 11 n. 1.

cognitio (sui). Respondetur enim: haec forte difficilia videri possent, si conscientia directa cognitio proprie dicta esset, quae obiectum a se diversum distincte repraesentaret; sed repugnantia ostendi non potest, si tantum est imperfecta experientia sui omni actui psychico ad modum proprietatis insita.

De cognitione animae. 1. Per conscientiam actus concrete, 316
nempe subiectum actibus affectum percipimus et quidem ita, ut (in conscientia reflexa) distincte proprium ego ab actibus discernere possimus. Ego praeter corpus etiam animam complectitur. Conscientia igitur etiam animam immediate percipit, attamen non formaliter spectatam seu ut talem, a corpore diversam, sed solum materialiter sumptam, i. e. realitatem illam in ego inclusam, quae anima est. Sive aliter: immediate exsistentiam, non autem essentiam eius percipimus. Essentiam ratiocinatione invenimus, quatenus qualitatem actuum investigamus et concludimus, tales actus praeter corpus etiam aliam substantiam, corpori unitam, sublimiorem, spiritualem postulare. Quae cognitio animae semper aliquatenus obscura manet. „Scientia de anima", inquit s. Thomas, „est certissima secundum hoc, quod unusquisque in se experitur, se animam habere et actus animae sibi inesse. Sed cognoscere, quid sit anima, difficillimum est."[1]) Haec cognitio animae ex actibus tantum *analoga* est. Nam actus quidem sensitivos imperfectiores, quid sit v. g. dolor vel sensus saturitatis, satis clare percipimus. Actus autem perfectiores, quid sit e. g. cognitio, libertas, imperium voluntatis, generatim tam obscura et superficiali apprehensione attingimus, ut propria vocari nequeat, spiritualitatem autem, ut in se est, minime attingimus.

Itaque anima in hac vita tantum *per actus* cognoscitur; exsistentiam eius non percipimus, nisi quando sentit, cogitat, agit, neque essentiam aliter quam ex actibus cognoscimus. Hac ratione merito affirmatur, nos animam in hac vita „non cognoscere per essentiam", sed per actus tantum.

[1]) De ver. q. 10 a. 8 ad 8. Cf. 1 q. 87 a. 1.

317 2. *De ego duplicato.* Inter defectus, quos conscientia pati potest[1]), sub respectu psychologico praesertim apparentia duplicis ego commemoranda est.

Contingit interdum, non tantum in somniantibus, hypnoticis, sed etiam in hystericis vel aliis aegrotis, ut duplicem personam in se apprehendere videantur et prae se ferant. Putant et dicunt, praeter se aliam in ipsis personam vivere, se alios factos esse, pristinam personam non iam vivere; nonnumquam tota personae indoles ac conscientia in aliam conversa esse videtur; media spiritistica se gerunt, acsi aliae personae reincarnatae facta essent. *(Ego duplicatum simultaneum.)* — Manifestum est, in his hominibus ipsum ego substantiale non exstinctum vel in duo diversa ego substantialia dilapsum esse. Mutata tantum est conscientia proprii ego: quia status accidentalis proprii ego notabiliter mutatus est simulque conscientia debilitata et deliberatio impedita est, imaginantur propriam personam aliam factam esse. E. g. evenit, ut in aegrotis multum perceptiones organicae et in motibus eliciendis perceptiones kinaestheticae remittantur et ipsi propterea insufficientem corporis conscientiam habeant membraque mere passive moveri videantur itaque imaginentur, propriam loquelam aliosque motus non a se, sed ab alio proficisci, membra non iam sua esse, se mortuos esse (hic status speciatim „depersonalisatio" vocatur). Alii patiuntur insolitas imaginationes et impulsus coactivos propriae rationi ac voluntati contrarios eosque saepe continuos, qui eis ab alia persona profecti apparent; qui nonnumquam ita quasi in systema coeunt, ut praeter se aliam personam in ipsis esse et cogitare, velle, agere arbitrentur. Etiam fieri potest, ut quis hallucinando se ipsum aliter, ac vere est, vel se duplicem videat. Sed in his casibus plerumque vetus conscientia sui non penitus perit. Manifestant enim conscientiam, se minime esse mortuos vel duplicatos, sed tantum non sufficienter realitatem propriae personae sentire, idque exaggeratis formis loquendi exprimunt.

[1]) Cf. Criticam, De conscientia.

Interdum in somnambulis, hypnoticis et psychice aegrotis accidit, 318
ut in iis per subitaneam mutationem duae periodi per vices inter se sequantur, per unum tempus una normalis, per aliud alia anormalis, et in una appareant fortasse laeti, in altera tristes vel aliter mutati nec habeant in una reminiscentiam eorum, quae in altera fecerunt et perceperunt (amnesia periodica), et id quidem aliquando, attamen non semper, etiam ita, ut duas periodos duabus personis distinctis attribuant. (*Ego duplicatum successivum* sive „alternatio personae".) — De hoc casu animadvertendum est: a) Memoria alterius periodi plerumque non penitus perit. b) Quia tamen condicio psychica duplicis status magnopere diversa est, efficitur, ut eventus psychici eiusdem status facile quidem inter se, difficile vero cum factis alterius status in memoria associationem ineant itaque ab iis quasi seiuncta maneant, ut sic paulatim apparens duplicitas personae oriatur, maxime si hysterica autosuggestio accedit. Etiam in somniis accidit, ut, quae somniati sumus, in aliis somniis iterum iterumque somniemur, vix autem in vigilia recordemur. Generatim actus psychici, quos aliquo tempore habuimus, eo difficilius reproducuntur, quo dissimilior est status psychicus illius temporis statui praesenti.

Quod conscientiam attinet, nunc praecipue disputari solet, num in homine facta psychica admittenda sint, quorum nullam habeamus conscientiam.

Th. 11. Actus psychici inconscii non videntur admittendi esse.

Declar. 1. Nunc multi psychologi actus inconscios admit- 319
tunt, praesertim psychiatri; qui tamen interdum, inaccurate loquentes, actus tantum obscure conscios asserere intendunt. Frequens est defensio actuum inconsciorum in psychologia religionis, quae variis dicendi formulis in homine inconsciam divini et aeterni indigentiam sensumque religiosum statuere solet, qui modo irrationali et inconscio varias ideas, opiniones, fictiones religiosas efformet. Etiam mediis spiritisticis interdum actus psychici, ut arcanorum cognitiones, quarum conscientiam non habeant, tribuuntur. Peculiari modo doctrina psychoanalytica a S. Freud inventa tales actus defendit eorumque admissionem non parum propagavit. Secundum hanc doctrinam maxima pars vitae psychicae penitus inconscia est. Hominem, dicit, continuo multas ideas et affectus, praesertim sexuales, utpote qui communiter prohibiti censeantur, supprimere; qui tamen non exstinguantur, sed in parte animae inconscia perdurent atque continuam et vehementem vim exerceant in

vitam consciam, eam regant, somnia, cogitationes, emotiones, volitiones, praesertim vero turbationes et aegrotationes psychicas producant, ad quarum sanationem proinde necessarium sit analytica inquisitione illos affectus suppressos detegere et innocuos reddere.[1])

320 2. In hac disputatione distinguendum est inter *psychica potentialia* et *actus* psychicos. Quaestio praesens tantum ad actus refertur. Psychica potentialia, qualia sunt potentiae, species, habitus acquisiti, sine dubio inconscia sunt. Itaque, quod interdum dicitur, ideas post discessum in statum inconscium delabi, hac ratione verum est, quod ideae, quando decedunt, loco sui species relinquunt.

Etiam certum est, saepe actus *semiconscios* in nobis esse, quorum tantum conscientiam obscuram habemus. Multa distracti videmus, digitis ludimus parum attendentes; inter negotia forte animi aegritudo nos comitatur, cuius causam nescimus, attente autem reflectentes detegimus, obscuram eventus ingrati memoriam eam causare.

Hinc elucet, qua ratione *„subconscientia"* (Unterbewußtsein, la subconscience) admittenda sit. Si, ut solet, nomine subconscientiae quaedam animae pars designatur, in qua actus psychici vere realiter adsint, attamen omnino inconscii, qui tamen in vitam consciam vim exerceant, talis subconscientia admitti nequit. Quodsi vero tantum conscientia obscura vel status inconscius dispositionum memorialium significatur, ex quo actus promanent, tali subconscientiae nihil obstat, nisi forte defectus claritatis.

321 3. *Inconscium magnam vim in vitam consciam exercere* passim dicitur et quidem cum veritate, si recte intellegitur.

Semiconscium certe vehementem talem vim habet. Motiva, quibus homines ad agendum impelluntur, saepissime ex affectibus semiconsciis suppeditantur: unus laudabilia de se narrat et aliorum defectus refert „tantum ex amore veritatis", ut dicit, attentius autem conscientiam recognoscens detegit motiva invidiae et ostentationis; alius ex iustitia delictum se punire praetendit, tamen latente ulciscendi cupidine ducitur. Magna animi puritas, ex diuturno sui examine et mortificatione acquisita, requiritur, ut quis huius „inconscii" dominatum in se perspiciat et eliminet. Saepe etiam in fundo animi ingratae apprehensiones et affectus, angores, sollicitae curae, conscientia culpae, alii „complexus" sedent hominemque vexant idque frequenter ita, ut paulatim valetudine fracta morbos corporales et psychicos inducant.

[1]) Cf. infra, De doctrina psychoanalytica.

Etiam *psychicum potentiale,* penitus inconscium, suo modo universam vitam hominis graviter movet. Omnia enim, quae a prima pueritia in educatione, in scholis, in commercio humano, in proprio vitae regimine expertus est, didicit, acquisivit, per modum habituum et associationum in anima inconscia latent et ex iis opiniones, motiva agendi, emotiones, impulsus proveniunt. Illa quoque, quae homo a natura accepit, ordinatio intellectus ad verum et voluntatis ad felicitatem, ordinatio ad legem moralem cognoscendam et observandam, inclinationes in malum, absque conscientia in eo insunt; ex his deinde amor veri et odium falsi, sitis felicitatis, rerum caducarum fastidium, desideria religiosa, indelebilis sensus culpae atque etiam delicta exoriuntur. Attamen haec omnia ita, ut actualis vita psychica semper in luce conscientiae peragatur et libertati subsit, homo igitur non indignae servituti potestatum inconsciarum subiectus sit, sed dominus vitae suae maneat ideoque etiam obligatione rationis reddendae teneatur.

Demonst. 1. *Ex natura actus psychici.* Experiri videmur, 322
actus psychicos in se includere conscientiam (directam), ut adesse nequeant, quin quidquam de iis sciamus. Quod in multis actibus cum peculiari claritate apparet. Veluti in plerisque perceptionibus sensitivis: dolori, frigori corporis, tactui, odori, sensui saturitatis essentiale est, ut percipiatur; dolor vel frigus manuum, quod non sentitur, non adest. Similiter sentimenta vel sensus tristitiae, laetitiae, anxietatis („Gefühle") non adsunt, si non sentiuntur. Item tendere, libere velle („se resolvere") concipi vix possunt ita adesse, ut volens nesciat se velle.

323 2. *Nulla facta* afferri possunt, quae actus inconscios demonstrent; omnia sine iis declarari possunt. Praecipua breviter consideremus.

A) *Facta normalia.* (1) In platea hominem notum, quem obiter videmus, non agnoscimus, demum, postquam praeteriit, eius agnitio mentem subit. — In hoc eventu perceptio personae conscia est, sed associatio idearum ad agnitionem requisita non statim praesto est.

(2) Alius in aliqua domorum serie, quam saepe praeteriit, demum post longum tempus aliquam inscriptionem animadvertit, quam certe antea saepe vidit, at sine conscientia. — Vidit eam interdum, sed modo semiconscio, ut species memoriales ad memoriam faciendam requisitae non relinquerentur.

(3) Accidit, ut quis domo egrediens epistulam secum ferat volens eam in receptaculum epistulare inicere, si quod inveniat. Paulatim vero aliis cogitationibus absorptus de hac re nihil iam cogitat. At subito receptaculum videt; statim epistula in mentem venit eamque inicit. Ergo inter deambulandum cogitatio de epistula inconscia permansit. — Non necessarium est hoc fingere. Vel dicendum est, cogitationem illam semiconsciam mansisse vel res simplicius ita declaranda est: propositum epistulam iniciendi speciem memorialem reliquit, quae nunc viso receptaculo excitatur et propositum in memoriam revocat.

(4) Indormiens sibi proponit, mane non hora sexta, ut solet, sed hora tertia surgere, et revera hac hora expergiscitur. Mansit igitur per noctem propositum inconscium. — Haec declaratio iam propterea fallitur, quia propositum perdurans dormienti etiam dicere deberet, nunc adesse horam tertiam; quod ex se nescit. Sed explicatio haec est: propositum per noctem semiconscium perdurat sive crebro in mentem redit, inquietam quandam exspectationem producit, etiam somnia inspirat et dormientem identidem expergisci facit, felici casu etiam hora proposita. Ceterum experimenta docent, talia proposita valde raro accurate impleri, nisi forte peculiaris exercitatio praecesserit.

(5) Interdum, qui diu frustra de problemate solvendo cogitavit, subito mane, postquam surrexit, solutionem invenit. Quod ostendit, mentem in somno inconsciam inquisitionem instituisse. — Eventus aliter explicandus est. Inquisitione antecedente solutio aliquatenus praeparata est, sed decursus cogitationum haesit, etiam solutiones falsae se intruserunt itaque felix cogitatio solutionem continens detenta est. Post quietem vero somni haesitatio ablata est, cogitationum fluxus liber et expeditus redditur et nunc optata solutio venit. Etiam alias frequenter experimur, si mentalis alicuius rei tractatio haeret, postea, si interim res dimittitur et alio tempore mente liberiore resumitur, saepe brevi optatum successum obtineri.

B) *Ex vita anormali.* (1) *Phaenomena posthypnotica.* Hypno- 324
tisati saepe post hypnosim mandata in hypnosi accepta opere exsequuntur, sed mandati accepti non recordantur; interrogati enim, cur hoc faciant, se nescire respondent vel alia motiva proferunt. Ergo manet recordatio inconscia. — Impulsus coactivus in hypnosi acceptus „hoc faciendum est" vel perdurat vel, quando hora operis exsequendi percipitur, per associationem renovatur et urget; hoc solo impulsu exsecutio operis sufficienter explicatur, ut expressa memoria mandati non requiratur. Ceterum nonnumquam clara memoria adest; interrogati enim respondent, se hoc imperium accepisse. Si prudentibus medicis credere licet, etiam semper aliqua reminiscentia adest, etsi hypnotisati contrarium affirmant.

(2) *Amnesia hysterica.* Personae hystericae interdum morbidos incursus patiuntur, in quibus tumultuantur, insaniunt, tetanos et hallucinationes patiuntur et mentem obnubilatam (Dämmerungszustand) manifestant. Postea ad se reversi eorum, quae gesserunt, se immemores esse manifestant. Ergo illi actus psychici inconscii fuerunt. — Ex hac amnesia, si vere adest, non sequitur, in illo statu conscientiam actuum defuisse; sed, quia condicio psychica duplicis status, illius extraordinarii et praesentis ordinarii, admodum diversa est, facta psychica illius cum factis huius associa-

tionem memorialem difficillime vel omnino non ineunt, sed disiuncta manent (abgespalten) ideoque in novo statu reproduci nequeunt. Ceterum valde dubium est, num hystericis amnesiam affirmantibus credendum sit. Saepe postea modo agendi manifestant, se gestorum illorum notitiam habere.[1])

325 (3) *Personae alternatio.* Interdum in eodem homine duae periodi per vices alternantur, in una forte laetus, in altera tristis apparet, nec in una eorum reminiscitur, quae in altera fecit sive percepit. Quae igitur sine conscientia accidisse videntur. — Haec periodica amnesia, quae ceteroquin non plena est, propterea contingit, quia duplex status psychicus valde diversus est, ut facta unius factis alterius difficile associentur.

(4) *Morbida phaenomena psychogena* (i. e. ex causa psychica oriunda), velut tremor, aphonia, palpitatio cordis ex terrore contracti, saepe diu perdurant vel iterantur, postquam primus eventus morbum causans dudum praeteriit. Videtur igitur affectus terroris inconscius perseverare et illos effectus producere. — Hoc minime necessarium est. Sed quoties attentio in illum terrorem redit, terror renovatur, qui iterum alia phaenomena producit, quia ex primo infortunio nexus psychophysiologicus inter terrorem et illa phaenomena factus est. Quae conexio etiam manere potest, si forte memoria infortunii omnino exstincta est.

326 (5) *Automatismus psychicus.* Iam vulgaris experientia ostendit, nos posse cum perfecta attentione et conscientia unum principale et simul cum dimidiata attentione et quasi automatice aliam rem disparatam tractare, ad quam solum interdum attentio deflectit: in re meditanda occupamur et

[1]) „Eines zeigen diese Versuche sehr deutlich: daß nämlich das sogenannte Unterbewußtsein auch bei Hysterischen doch nicht ganz unbewußt ist . . Das wird man auch bei der Beurteilung posthypnotischer Suggestionen beachten müssen: die Medien behaupten wohl, daß sie von dem ihnen erteilten Auftrag zwischen Hypnose und Ausführung nichts gewußt hätten; aber man muß die Psyche hysterischer oder durch fortgesetzte hypnotische Übungen hysterisch gemachter Patienten schon sehr wenig kennen, oder man muß recht voreingenommen sein, um das wörtlich zu nehmen." *O. Bumke,* Das Unterbewußtsein (1926) 32.

tamen simul recte viam prosequimur, interdum multas lineas libri alia plane cogitantes vere perlegimus, sed ita ut vix sciamus, quae legamus. Haec proprietas animae interdum automatismus psychicus appellatur.

Automatismus etiam extraordinarium vel pathologicum gradum assequi potest. Accidit, ut persona hysterica attente in aliqua re tractanda occupetur, simul autem scribens ad quaestiones propositas „scriptione automatica" ita respondeat, ut postea interrogata nihil de hac quaestione se scire vel scivisse fateatur. Praesertim in mediis spiritisticis haec facultas automatice scribendi tum propter exercitationem tum propter somnum hypnoticum in maiore gradu adesse solet; per hanc mediorum scriptionem spiritus responsa dare asseruntur. — Hoc phaenomenon non ostendit, simul duas series actuum discurrere nulla mutua conscientia invicem coniunctas („duplex ego", Janet). Sed scriptio cum dimidiata conscientia peragitur. Propterea fieri solet, ut, quae scribuntur, levia et inania sint et scriptio desinat, si persona intensiore labore mentali occupetur. Ceterum si forte scriptio non a medio ipso, sed a potestate daemonica dirigatur, nihil obstat, quominus etiam cum plena conscientia medii (quasi hypnotica) fieri dicatur.

*Art. 6. De lingua humana

Homo non solum potentia intelligendi instructus est, sed etiam, utpote ad vitam socialem ordinatus, facultatem et nisum naturalem habet, ut, quae intellectu cogitat, cum aliis communicet. Medium huius expressionis lingua seu locutio oralis est, in qua eximia proprietate omnes fere spirituales et corporales naturae humanae dotes concurrunt.

*§ 1. De locutione in genere

Lingua praecipuum quidem, attamen non unicum expressionis medium est. Sicut enim per linguam sensa interna vocabulis prolatis cum aliis communicamus, ita etiam litteris scriptis vel gestibus cogitationes communicare possumus. Sic factum est, ut etiam istae vel similes expres- 327*

siones cogitationum propter analogiam „linguae“ seu, ut discrimen vocabulis quoque exprimatur, locutiones dicantur. Proinde locutio in genere vel lingua late sumpta et lingua stricte accepta distingui possunt.

Itaque locutio generatim est externa *communicatio cogitationum* seu manifestatio earum hac intentione facta, ut alii eas intellegant. Si enim haec intentio abest, ut accidit in leone, qui rugitu dolorem prodit, aliqua quidem manifestatio, sed minime locutio adest. Locutio inter homines signis sensibilibus fit. Pro varietate signorum triplex potissimum distingui potest locutio.

*328 **Locutio gesticularis** (Gebärdensprache, langage d'action) fit per vultus et motus membrorum, praesertim brachiorum et digitorum. Aliqua naturalis gestuum locutio in omnibus hominibus observatur, velut cum capite annuunt, manu abnuunt. In artificiali locutione, qua surdi mutique vel monachi perpetuo silentio addicti utuntur, completa et systematica signorum collectio habetur. In tali locutione inveniuntur gestus demonstrativi, velut cum color ruber digito labiis admoto designatur, gestus imitatorii, si domus, fumus, ambulatio digito in aere delineantur, gestus symbolici, velut cum ad mendacium significandum linea obliqua ad laevam ducitur.

*329 **Locutio scriptoria** (Schriftsprache, langage écrit), quae per signa scripta fit, facilitate quidem et perfectione multum orali locutione superatur et vita illa caret, qua verba ore prolata inspirata sunt. Attamen hac dote eminet, ut expressionem idearum perpetuam reddat et ad plurimos pervenire possit; ideo generi humano ad suas experientias scientias, progressus conservandos et propagandos necessaria est. Locutio scriptoria per aetates diversas habuit formas, quarum praecipuae sunt:

1. *Scriptio idiographica* (Bilderschrift) res sive ideas per imagines et symbola exprimit, v. g. actionem videndi per oculum depictum. Scriptio idiographica antiquissima est. Peculiari modo gentibus antiquis Americae, ut Mexicanis

propria fuit et adhuc apud Indianos invenitur. Etiam scriptio hieroglyphica aegyptia et cuneoformis babylonica (Keilschrift) ex scriptione idiographica ortae sunt, pariter scriptio sinensis hodierna. Scriptio sinensis nunc non iam idiographica, sed neque etiam phonographica est, quia signis scriptis directe conceptus significat; propterea signa numero plurima sunt, circiter 50.000.

2. *Scriptio phonographica* (Lautschrift) non ad res, sed 330*
ad rerum vocabula significanda inventa est. Videtur ex idiographica orta esse, quatenus forte paulatim diversae res eodem vocabulo significatae una etiam imagine repraesentabantur, quo fiebat, ut imago iam vocabuli signum evaderet. E. g. in scriptione hieroglyphica, ex qua nostra hodierna orta esse videtur, rectangulum significavit tabulam lusoriam, actionem ludendi et eius vocabulum orale simulque generatim complexum consonantium *mn* in aliis quoque vocabulis occurrentem. Sic communicatio scriptoria aliqua ratione iam facilitatem et claritatem signorum oralium participat.

Scriptio nostra hodierna est *alphabetica,* vocum elementa per singula signa exprimens. Spectata facilitate et accuratione perfectissima locutio scriptoria est; paucis enim signis omnia vocabula exprimit. Attamen numquam satis omnes modificationes subtiles elementorum vocis adaequare potest. Si comparamus sanguis-sonus, nulla in littera *n* scripta, magna autem in eadem ore prolata diversitas apparet. Scriptio alphabetica ulteriorem abbreviationem in scriptione stenographica accipit, quae non iam singula vocum elementa singulis litteris, sed e. g. vocales sola positione vel intensitate signorum consonantium exprimit.

Scriptio nostra alphabetica ex scriptione semitica (phoenicia) et ultimo ex hieroglyphica orta esse videtur. Scriptio hieroglyphica initio idiographica fuit et deinde in phonographicam abiit, sed ita, ut diu signa adhibita integra vocabula vel syllabas significarent, postea autem vocabula et syllabae in sua elementa, vocales et consonantes, dissolverentur, quae iam singulis litteris exprimebantur.

*331 *Scriptio* non est functio psychica simplex, sed admodum composita. Etenim primum cum ideis obiectorum, quae exprimere volumus, associantur reproductae apprehensiones auditivae vocabulorum, quia, quod scribimus, teste experientia antea intus audimus. Deinde perceptiones kinaestheticae formandis his vocabulis correspondentes seu „imagines motoriae" orales reproducuntur, quia vocabulum, antequam scribimus, mente in sua elementa dissolvimus et ir repraesentatione pronuntiare solemus. Denique imagines motoriae scriptoriae singularum litterarum excitantur, secundum quas motus manus scribentis determinantur. Itaque ideae obiectorum imagines motorias manus tantum indirecte excitant, per apprehensiones ex lingua orali sumptas, quia prius oraliter loqui didicimus ideoque firmiores e promptiores effectae sunt associationes idearum cum apprehensionibus oralibus quam cum scriptoriis.

Ordinarie singulis minutis circ. 20 verba scribendo for mare possumus, circ. 500–800 autem tacite legi possunt

*332 *Lectio.* Locutio scriptoria lectione intellegitur. Quand legendo oculos per lineam movemus, continua vicissitudin motus oculorum et stationes, ubi oculi sistunt, inter se suc cedunt. Cum oculus movetur, non legit, sed solum quand sistit. Porro experimentis compertum est, nos intra 0·1 sec tantum 6–7 litteras apprehendere. Attamen quando voca bula nota sunt, non opus est, ut omnes litterae percipian tur, nimis enim diuturna esset lectio; sed aliquibus percep tis imaginatio totum vocabulum sistit. Hoc modo etiam fi ut facile menda in typis nos fugiant vel ut pro veris fals vocabula legamus.

Quae legimus, plerumque simul interna lingua orali pro nuntiamus. Aliter lecta multo difficilius intelleguntur, quia ut diximus, ideae obiectorum firmius, quam cum scripti signis, cum apprehensionibus linguae oralis associatae sun ut per eas promptius et certius excitentur.

*333 Cum igitur lectio et scriptio functiones compositae sint, simul compluribus partibus cerebri pendent, quibus simplices functiones com ponentes alligatae sunt. Quare non est opinandum, in cerebro occip tali, ubi centrum visuale est, etiam „centrum lectorium" esse, quonia

videndo legamus; videre enim litteras nondum idem est ac legere. Neque simpliciter pars centri motorii „centrum scriptorium" habendum est; nam pariter litteras formare nondum idem est ac scribere. Sed lectio et scriptio maxime per associationes supra expositas efficiuntur. Hae associationes a certis quibusdam[1] partibus cerebralibus pendere videntur, et quidem associationes lectoriae a sinistro gyro angulari (sub cerebro parietali inter lobum temporalem, parietalem et occipitalem sito), scriptoriae autem a parte alia minus nota.

Locutio oralis seu lingua (Lautsprache, langage orale), 334*
modo imperfecto iam in vocibus inarticulatis locum habet, si affectus internos gemitu, clamore, interiectionibus communicamus. Perfecta autem locutio oralis est communicatio cogitationum per voces articulatas seu vocabula; quae iam diligentius exponenda est.

Commemoranda praeterea est *locutio telephonica* et *radiophonica,* quae tamen apte ad oralem revocari possunt, quia vocabula a loquente prolata coram audiente iterum reproducunt, et locutio *telegraphica,* quae signa coram legente producit et sub hoc respectu locutioni scriptoriae adnumerari potest.

*§ 2. De lingua in se spectata

Cum lingua expressio idearum sit per voces organo corporali productas, sub respectu psychologico et physiologico considerari potest.

Psychologia linguae. 1. Verum quidem est, homines adul- 335*
tos multa vel pleraque, quae cogitant, simul locutione mentali exprimere vel comitari propter firmas associationes, quae inter ideas et vocabula effectae sunt. Nihilominus

a) Evidens est, cogitare non idem esse ac loqui, sed cogitationem sive *rationem locutioni antecedere.* Falsa igitur eorum opinio est, qui linguam ita ortam esse dicunt, ut rationi simultanea fuerit et adhuc sit, immo ut rationem praecesserit et genuerit. Vocabula sunt signa et quidem conventionalia idearum, supponunt igitur ideas, quas significant.

b) Saepe etiam *cogitationes sine locutione* interna adsunt. Id saepe accidit, si de figuris, de rebus geometricis vel technicis cogitamus. Neque raro evenit, ut res concipiamus, quibus exprimendis apta vocabula inquirimus, sed invenire non possumus. Constat praeterea, surdis mutisque, etsi loqui non possunt, atque ipsis infantibus, antequam loqui

didicerunt, ideas non deesse. Etiam qui propter laesionem cerebri vocabula recordari nequeunt, nihilominus ideas rerum habent et signis externis manifestant.

2. Licet igitur ad aliqua cogitandi initia usus linguae necessarius non sit; tamen homo ad *convenientem mentis explicationem* pervenire nequit, nisi lingua, aliorum imprimis, adiuvetur. Etenim nisi mentis attentio aliorum instructione vel saltem excitatione regitur, nisi aliorum experientia et cultura intellectualis communicatur, difficillimum est, ut mens, qualis nunc est, ex se sola notiones universales recte formare, distinguere, coniungere vel disiungere, idearum confusiones corrigere, debitam experientiam comparare, res communes vitae et veritates altiores rite intellegere valeat. Quod ex se clarum est. Praeterea surdis comprobatur, qui, nisi peculiari arte instruuntur, facultates mentales satis explicare non possunt (etsi ab aliis locutione gesticulari iuventur). Idem denique in pueris illis cernitur, qui prima aetate in solitudinem aberrarunt ibique adoleverunt; qui vix ad aliquam intellegentiam humanam pervenerunt.

*336 3. In loquendo *complures actus* psychici concurrunt. U arbor vocabulo δένδρον exprimatur, requiritur, ut adsi idea obiecti exprimendi et associetur duplex apprehensi reproducta seu „imago" vocabuli, tum auditiva vocabul auditi tum motoria vocabuli pronuntiandi. Harum apprehensionum recta associatio exercitio acquirenda est. Puer initio voces inarticulatas proferre gaudent, in quibus prae valent a, w, p, m; postea imitandi studio excitati etian vocabula proferunt, quae cum certis obiectis ab aliis coniung animadvertunt, deinde inter apprehensiones indicatas firm efficitur associatio. In adultis loquendi et scribendi peritis a enumeratas apprehensiones saepe etiam repraesentatio vo cabuli scripti et motus muscularis scriptionis adiungunt

*337 **Physiologia linguae.** Organum praecipuum linguae est *laryn* (Kehlkopf). Larynx est pars suprema tracheae (Luftröhre trachée-artère), in anteriore parte colli sita et composita e

compluribus cartilaginibus (Knorpel, fig. 11), quae musculis versus invicem moveri possunt. In canali laryngis duae elasticae membranae seu chordae vocales sunt (Stimmbänder, fig. 25) ex lateribus in medium prominentes et ita




Fig. 25. Larynx
I Sectio longitudinalis — II Larynx desuper inspecta — 2 chordae vocales — 3 orificium — 1 „chordae vocales falsae"

super tracheam expansae, ut in medio rimam relinquant, „orificium vocale" (Stimmritze, glotte), per quod aer inspiratus et respiratus transmittitur. Hoc orificium ordinarie satis amplum est. Quando loquimur, membranae inter se proprius accedunt et orificium angustum faciunt, ut in aere transmisso et in membranis vibrationes rhythmicae efficiantur, quibus sonus producitur. Soni varii oriuntur, prout membranae varie instar chordarum intenduntur. Larynx enim comparari potest cum fistula ita instructa, ut non sicut aliae fistulae unum tantum sonum, sed multos edere queat, quatenus cartilaginibus movendis in varias fistulas converti potest.

Praeter laryngem et praeter tracheam, bronchos, pulmones, pectus, quae etiam, dum larynx sonos edit, simul vibrant itaque sonos augent, ad voces producendas os et nares concurrunt. His elementa oralia, nempe vocales et consonantes, articulata efficiuntur. *Vocales,* quae veri soni sunt, in larynge producuntur, sed per os varie formatum suas specificas differentias sortiuntur. *Consonantes,* quae potius strepitus quam soni sunt, potissimum in ore et naribus producuntur; pro loco et modo productionis distinguuntur consonantes gutturales k, g, j, linguales t, d, s, n, l, z, labiales p, b, w, m, tremula r etc.

Intensitas soni ab amplitudine vibrationum, proinde a vi pendet, qua aer per laryngem expellitur. *Altitudo* numero vibrationum proportionalis est; sonus igitur eo altior

est, quo breviores sunt chordae vocales et quo magis intenduntur. Idcirco pueri et feminae, qui minorem laryngem et breviores membranas habent, altiores sonos edere possunt quam viri. Cum corpus crescit, chordae longiores fiunt et vox profundior evadit.

*338 Musculi, quibus organa vocis moventur, *nervis* excitantur. Ex subtilibus perceptionibus kinaestheticis in loquendo discimus, quaenam musculorum intensio singulis vocibus diversaeque sonorum altitudini et intensitati respondeat. Ut igitur subtiles isti motus musculares recte determinentur et producantur, opus est, ut cum ideis rerum, quas exprimere intendimus, prompte associentur reproductae illae perceptiones kinaestheticae singulis motibus correspondentes seu „imagines motoriae". Si haec associatio aliqua laesione nervea tollitur, *aphasia motoria* (Wortstummheit), oritur. Aphasia motoria, quae varios gradus admittit, in eo consistit, quod vocabula formari nequeunt, non quidem propter defectum organorum motoriorum, sed quia imagines motoriae vocabulorum non associantur: homo scit, quid dicere velit, sed nescit, quomodo organis vocalibus utatur. Aphasia motoria distinguenda est a loquendi incapacitate proveniente ex defectu organorum motoriorum (musculorum vel centrorum nerveorum); ex tali defectu oriuntur haesitatio linguae, balbutiendi consuetudo aliaeque „dysarthriae" usque ad completam alaliam. Communiter admittitur celebris sententia primum a Broca statuta, aphasiam motoriam potissimum oriri laeso tertio gyro lobi frontalis, qui propterea regio Brocana appellatur. Ex eo fortasse concludi potest, hanc regionem esse „centrum vocale" hoc sensu, quod sit sedes imaginum motoriarum linguae.

*339 Ad linguam auditam intellegendam requiritur, ut cum auditis vocabulis ideae obiectorum associentur (et ut sciatur, eas illis vocabulis significari). Sublata hac associatione *aphasia sensoria* oritur (Worttaubheit) in eo sita, quod quis vocabula audita non iam intellegit. Hic defectus pariter varios gradus admittit. Aphasia sensoria magna ex parte lobo temporali affixa est.

Si quis scriptas litteras vocabulaque videre quidem, non autem intellegere potest itaque legere nequit, quia propter defectum cerebralem cum apprehensis signis scriptis non iam ideae obiectorum associantur, *alexia* oritur (Wortblindheit). Incapacitas autem ad scribendum ex eo emanans, quod associatio deficit inter ideas rerum et imagines motorias scriptorias, *agraphia* appellatur: homo nescit, quomodo ad scribenda vocabula manus movere debeat. Accidere potest, ut quis scribere queat, a se scripta autem legere nequeat, et vicissim ut quis legere possit, attamen scribere nequeat.

Nota. 1. Itaque locutio oralis eiusque intellegentia et pariter scriptio 340*
eiusque lectio functiones compositae sunt, ad quas eaedem *operationes psychicae varie sociatae concurrunt.* Apposita fig. 26 has operationum complexiones ostendit.




Fig. 26[1])

Litterae *C MO A MS* significant quatuor operationes ad illas functiones compositas concurrentes et simul earum centra nervea, in quantum talia centra locum habent; lineae autem mutuas operationum associationes designant. *C* significat conceptus obiectorum, quae loquendo vel scribendo exprimuntur, et simul eorum centrum, in quantum in conceptibus centrum locum habet (n. 204). *MO* significat imagines motorias vocabulorum oralium et centrum eorum, *A* imagines auditivas vocabulorum oralium earumque centrum, *MS* imagines motorias vocabulis scribendis respondentes, secundum quas motus manuum determinantur, et eorum centrum („centrum scriptorium"). *L* denique significat imagines visuales legendarum litterarum et vocabulorum earumque centrum („lectorium").

In loquendo igitur concurrunt *C-A-MO*-os: conceptus excitat imaginem auditivam vocabuli et (per eam) imaginem motoriam oris, secundum quam motus orales determinantur.

In intellegenda lingua concurrunt auris-*A-C*: auditum vocabulum excitat imaginem auditivam et haec conceptum.

In scribendo concurrunt *C-A-MO-MS*-manus: conceptus excitat imaginem auditivam vocabuli, quia, quod scribimus, antea intus audire solemus; deinde excitatur imago motoria oralis, quia vocabula scribenda antea mente in elementa sua resolvimus, quorum plerumque imagines

[1]) Cf. *Fröbes*, Exper. Psychologie II³ (1929) 46.

motoriae reproducuntur; postremo excitantur imagines motoriae scriptoriae singulis litteris respondentes, secundum quas denique manus moventur

In legendo concurrunt oculus-*L-A-C*: signa oculis visa imagines suas visuales excitant, quae imagines auditivas vocabulorum et per eas conceptus adducunt, nam firmior et facilior videtur esse associatio indirecta *L-A-C* quam directa *L-C*

Itaque viae associativae, sicut figura docet, ita discurrunt, ut una laesa esse queat integra manente altera Quare intellectio linguae, scriptio, lectio non semper simul impeditae sunt E g in aphasia motoria facultas scribendi plerumque manet etsi via *C-MO* impedita est, tamen ex *C* etiam alia via ad *MS* ducit Pariter fieri potest, ut quis alta voce legere, non autem sponte loqui possit: *C* non iam excitat *MO*, attamen via *L-MO* integra est

*341 2 *Menda ordinaria* in loquendo, scribendo, legendo[1]) generatim ex his potissimum causis psychicis emanant:

a) Recto vocabulo aliud simile substituitur et quidem plerumque tale, quod frequentius usurpatur, e g loco mulus legitur malus.

b) Aequalia elementa se invicem impediunt, quia eorum distinctio aliquam difficultatem parit Ideo verba aliis similia non raro omittuntur.

c) Ex „perseveratione" elementum praecedens postea denuo se ingerit (Artrillerie) vel subsequens iam antea se intrudit (replublicanus) Etenim ante actionem loquendi vel scribendi iam cum priore etiam sequens pars mente apprehenditur, quae vitiosa perseveratione se ingerit

*§ 3 De origine linguae

*342 **Vera sententia** Non haec nobis quaestio proposita est quomodo singula individua linguam addiscant vel qua ratione diversae linguae nationales per aetates formatae sint sed quomodo *primum* lingua generi humano advenerit seu prima vocabulorum inventio et ad obiecta significanda deputatio facta sit. Plurimorum nunc opinio est, hominem non immediate a Deo creatum esse, sed ex bruto descendisse, proinde aliquando sine ratione et lingua fuisse. Ex quo multi concludunt, linguam non fuisse opus rationis humanae, sed simul cum ratione vel etiam ante rationem ortam esse.

1 Certum est, linguam oriri non potuisse absque ratione Nam voces orales elementa linguae fiunt, quatenus ad res significandas eliguntur; quae signorum deputatio sine ratione fieri non potuit. Etiamsi igitur Deus ipse primi

[1]) Versprechen, Verschreiben, Verlesen

hominibus vocabula immediate indidisset, sine ideis haec vocabula ut signa adhibere non potuissent.

Sed non ita necesse est originem divinam admittere, ut negemus, ipsos *homines potuisse* linguam sibi comparare. Si enim supponimus, id quod ratio necessarium fuisse perspicit et revelatio docet, primos homines a Deo in statu perfecto creatos et specialibus auxiliis dotibusque instructos fuisse, ad dignitatem naturae humanae servandam omnino tenendum esse videtur, rationem humanam, adiutam aliquo auxilio divino, potuisse linguam, imperfectam saltem, sibi comparare. Etenim non apparet, cur id facultatem eius penitus superet. Nam eadem ratio humana perpetuo linguas perficit, nova vocabula et vocabulorum modificationes creat, accurationem significationis auget. Porro narratur (a Steinthal, Gabelentz, Taine), interdum etiam pueros, cum linguas discere coeperint, novis linguis construendis quaedam initia fecisse.

2. Utrum *re vera* parentes generis humani linguam construxerint an vero a creatore eam menti inditam acceperint, sola ratione ostendi non potest, sed praecipue quaestio theologica est, de qua potissimum Liber Genesis consulendus est. Aliqua humana cooperatio in eligendis et formandis vocabulis sane admittenda est (cf. Gen 2, 19), quippe quae tum naturae linguae ex signis arbitrariis compositae tum consuetudini providentiae divinae congruit, quae, ubicumque fieri potest, creatis viribus agendum relinquit, quod agere possunt.

3. Neque in primis vocabulis determinandis ratio divina 343*
sive humana temere egit. Sed absque dubio illam consonantiam attendit, quae saepe inter res et voces inveniri potest. Etenim etiam in locutione gesticulari cernimus illos gestus electos esse et adhuc eligi, qui cum rebus significandis conexionem habent (n. 328). Similis consonantia in vocabulis esse potest et adhuc invenitur. Huc spectant v. g. nomina onomatopoetica sonos naturales imitantia (indogerm. bhrag-frangere-brechen, murmurare, klappern) et consonantia symbolica, veluti reduplicatio itera-

tionem, pluralitatem, intensitatem significans (volvo, quisquis; in lingua sinens, gin - homo, gin gin - unusquisque; ula [Hawaii] - rubrum, ula ula - purpureum). Supponendum est, talem consonantiam, quae nunc iam per aetates fere deleta est, in primis vocabulis eligendis neglectam non esse. Etiam pueri loqui incipientes saepe signa oralia imitatoria adhibere solent.

344 **Falsae sententiae.** Aliis sententiis nunc fere commune est, ut supponant, hominem a bruto oriundum esse ideoque aliquando sine ratione fuisse et demum per linguam ens rationale factum esse. Quae evolutionismi assertio non solum gratis statuitur, sed etiam omnino falsa est. Ortum autem linguae variis modis explicare conantur.

Epicurus, Renan, Guil. v. Humboldt linguam ex quodam mentis *instinctu* natam esse putant; homines loqui, sicut canes latrent, asserit Epicurus. Concedi quidem potest, formationem linguae ex inclinatione naturali prodiisse, quae tamen caecus instinctus non est. Praeterquam quod id gratis asseritur atque rationali hominis naturae contrarium est, si instinctus causa linguae esset, non posset esse tanta linguarum diversitas et mutatio, sed sicut in aliis actionibus instinctivis uniformitas adesset et stabilitas; quae enim ex instinctu fiunt, difficile mutantur.

Alii linguam per quendam *mechanismum psychicum* ex rudibus sonis et clamoribus irrationalibus paulatim ortam esse volunt, et quidem alii ex interiectionibus, imitationibus onomatopoeticis sonorum, alii ex „clamoribus concomitantibus", quos homines primitivi inter laborandum protulerint (doctrina „synergastica", Max. Müller), alii denique ex vocibus, quibus homines primitivi affectus cum necessitate psychica manifestaverint; et quidem Steinthal, Lazarus, Wundt existimant, hoc ita factum esse, ut affectus ipsi mechanico quodam modo in organis vocalibus per motus reflexos voces excitaverint[1]). — Tales sententiae sustineri nequeunt.

[1]) Hos motus reflexos Wundt vocat „Lautgebärde". Wundt inter omnes maximo cum apparatu scientifico evolutionem linguae humanae ex initiis beluinis ostendere conatur in opere Völkerpsychologie I³ (1911) II³ (1912).

Praetermissa enim falsa suppositione, quae hominem e statu irrationali ascendisse tenet, praetermisso pariter isto incredibili mechanismo psychico talis affectuum manifestatio non alia expressio oralis esset, quam quae in brutorum ululatu et cantu invenitur, a quibus bruta numquam ad linguam perveniunt. Praeterea notandum est, radices linguarum antiquissimarum, v. g. sanscriticae, non interiectiones vel sonorum imitationes significare, sed res, actiones, qualitates.

Sententiae allatae ita describuntur. „Plane mihi persuasum est" inquit *Guil. v. Humboldt,* „linguam immediate hominibus inditam esse, nam opus rationis suae cum clara conscientia esse nequit. Comparatio fieri possit cum naturali animalium instinctu et lingua appellari possit intellectualis instinctus rationis."[1]) „Homo", inquit *Renan,* „sicut naturaliter cogitatione, ita naturaliter loquela praeditus est."[2]) *Lazarus* scribit: „Iure merito affirmare licet, .. animam nullam per corpus impressionem accipere, nullum motum efficere, quin simul organismus in sonos prorumpat. Isti soni simul cum sentimentis, perceptionibus etc. prolati, primitivae illae et naturales voces sunt elementa linguae."[3]) *Wundt* ait: „Sententia miraculum [i. e. divinam linguae originem] statuens tantum relinqui potest, si homo non tamquam creatura a reliquo mundo separata concipitur, sed ut ens, quod in eo et cum eo factum est id, quod est. In hac suppositione autem ratio et lingua sicut homo ipse factae sunt per evolutionem, quae numquam sistit et in qua ambae tam arcte coniunctae sunt, ut eas separatas cogitare absonum sit."[4]) *M. Müller* contendit, „linguam et cogitationem, etsi

[1]) „Die Sprache muß meiner vollen Überzeugung nach als unmittelbar in den Menschen gelegt angesehen werden, denn als Werk seines Verstandes in der Klarheit des Bewußtseins ist sie durchaus unerklärbar. Man könnte dabei an den Naturinstinkt der Tiere erinnern und die Sprache einen intellektuellen der Vernunft nennen." Abhandlungen über die Sprachwissenschaft Nr. 13. — [2]) „L'homme est naturellement parlant, comme il est naturellement pensant." De l'origine du langage³ (1858) 91. — [3]) „Man kann demnach mit vollem Recht behaupten, daß die Seele keinen Eindruck durch den Körper empfangen, keine Bewegung durch ihn vollziehen wird, ohne daß der Organismus dabei zugleich in Tönen ausbricht. Und diese unwillkürlich in Begleitung der Gefühle, Anschauungen etc. hervorgebrachten Töne, diese ursprünglichen und rein natürlichen Laute sind eben die Elemente der Sprache." Das Leben d. Seele (1856) II 72ss. — [4]) „Der Standpunkt der Wundertheorie kann nur aufgegeben werden, wenn man den Menschen nicht als ein Geschöpf außerhalb der übrigen Schöpfung betrachtet, sondern als ein Wesen, das in ihr und mit ihr das geworden ist, was es ist. Dann sind aber Vernunft und Sprache, gerade so wie der Mensch selbst, Erzeugnisse einer Entwicklung, in der beide so eng aneinander gebunden sind, daß sie getrennt zu denken .. keinen Sinn haben würde." Völkerpsychologie, Die Sprache II³ (1912) 631.

distingui possint, tamen separari non posse, neminem vere cogitare, qui non loquatur, neminem loqui, qui non cogitet"; „hoc tantum contendo", inquit, „cogitationem exsistere non posse absque signis et signa nostra praecipua esse verba".[1])

*345 **De mutationibus linguae.** Lingua, postquam orta est, non semper eadem permansit, sed mox varias mutationes passa est, et mutatur adhuc lente quidem, sed continuo. Mutatae enim sunt et adhuc mutantur voces (Lautwandel); confer e. g. frater – brother – Bruder. Mutatur vocum significatio (Bedeutungswandel); e. g. ex radice ters (torreo) derivatur testa, quae vox primum significat vas fictile, deinde caput (tête). Factae et mutatae sunt formae grammaticae vocabulorum et propositionum; etiam genera masc., fem., neutr., modi verborum, formae attributi et complementi abverbialis, grammatica subordinatio propositionum paulatim orta esse videntur; suffixa denique et praefixa, quae casus, genera, modos, tempora designant, ex pronominibus, nominibus, verbis aliisque vocabulis appositis effecta sunt etc.[2])

Hac ratione paulatim complures linguae, plus minusve diversae pro diversis psychophysicis populorum proprietatibus, effectae sunt. Historia linguarum tantum usque ad antiquas linguarum stirpes, non vero ad unam communem linguam originalem pertingere valet.

Spectata formatione distingui solent linguae isolatoriae, agglutinatoriae, flexoriae. Linguae *isolatoriae* ex radicibus constant, quae sine flexione vel coniunctione iuxtaponuntur, rerum autem relationes diversa vocabulorum positione vel accentu exprimuntur; e. g. in lingua sinensi gin significat Mensch, kiai totum, inde gin kiai omnes homines. Linguae *agglutinatoriae* adiungunt radicibus, plerumque immutatis, affixa; e. g. áll-hat-ok, ego possum stare (hungar). Linguae *flexoriae*, quales sunt indogermanicae et semiticae, radices mutant, ut conspicitur in frango-fregi, λείπω-λέλοιπα, in declinationibus et coniugationibus. Linguae isolatoriae paulatim in agglutinatorias et agglutinatoriae in flexorias transeunt, flexoriae autem sensim iterum flexionibus abiciendis ad linguas isolatorias accedere solent: eiusmodi initia clare in lingua anglica apparent. Stabilitatem linguarum scriptio et litteratura magnopere iuvant.

---

[1]) „. . that language and thought, though distinguishable, are inseparable, that no one truly thinks who does not speak, and that no one truly speaks who does not think", „All I maintain is, that thought cannot exist without signs, and that our most important signs are words." Science of Thought 63 58. Cf. Giesswein, Die Hauptprobleme d. Sprachwissenschaft (1892) 159. — [2]) Cf. Logicam, De formis grammaticis vocabuli et propositionis.

Caput IV

De appetitu hominis

Art. I. De natura appetitus in genere

Scholastici duplicem atque tantum duplicem, cognoscendi 346
videlicet et appetendi, facultatem psychicam distinguunt. Quae divisio non tantum communi hominum sensui congruit, sed revera omnis actio psychica, ut ex dicendis clarius apparebit, ad alterutrum genus reduci potest (n. 73). Iam ad appetendi potentiam accedentes non separatim de appetitu sensitivo et rationali tractabimus, sed, postquam de sensu et intellectu agentes sufficienter discrimen vitae sensitivae et intellectualis explicavimus, magis coniunctim de utroque appetitu tractare possumus.

1. Omnia ex natura sua ordinata sunt in bonum suum sive in id, quod iis conveniens est, quod eorum perfectionem conservat vel auget. Nam quia res non aliter nisi per perfectionem suam sunt et durant, earum finis proximus, in quem a natura ordinantur, is est, ut hanc suam perfectionem conservent et augeant, ultimus autem finis, ut hac ratione Dei bonitatem participent, ad quam participandam et manifestandam omnis creatura ultimo destinata est. Iam igitur haec inclinatio rebus omnibus a natura indita, qua sine cognitione in finem et perfectionem sibi convenientem ordinatae sunt et tendunt, *appetitus naturalis* vocatur; qui igitur nihil est nisi ipsa rei natura, quatenus suum bonum conaturale exigit. Ita semen evolutionem suam, intellectus cognitionem, oculus lucem, radices arboris aquam appetere dicuntur. Ex quo apparet, hanc ordinationem naturalem tantum sensu improprio et metaphorico „appetitum" dici, quod nempe res sic se habeant, quasi appeterent.

347 Actuatio vitalis et quasi elocutio huius naturalis ordinationis in bonum in viventibus cognitione praeditis est *appetitus vitalis* sive proprie dictus (Begehrungs-, Strebevermögen, appétit). Appetitus vitalis est potentia animae, qua per actus elicitos in bonum cognitione apprehensum inclinatur. Doctrina communis scholasticorum, clarae experientiae innixa, docet, in homine duplicem esse appetitum vitalem, *sensitivum* et *rationalem;* sensitivus sequitur cognitionem sensitivam, rationalis vero intellectualem. „Cuilibet enti", inquit s. Thomas, „competit appetere suam perfectionem et conservationem sui esse, unicuique tamen secundum suum modum: intellectualibus quidem per voluntatem, animalibus per sensibilem appetitum, carentibus vero sensu per appetitum naturalem."[1])

Eleganter idem s. Doctor ostendit, in omnibus cognoscentibus praeter naturalem oportere etiam appetitum vitalem inveniri. „Quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio . . Forma autem in his, quae cognitionem participant, altiori modo invenitur quam in his, quae cognitione carent. In his enim, quae cognitione carent, invenitur tantummodo forma ad unum esse proprium determinans unumquodque, quod etiam naturale uniuscuiusque est. Hanc igitur formam naturalem sequitur naturalis inclinatio, quae appetitus naturalis vocatur. In habentibus autem cognitionem sic determinatur unumquodque ad proprium esse naturale per formam naturalem, quod tamen est receptivum specierum aliarum rerum . . Sic anima hominis fit omnia quodammodo secundum sensum et intellectum . . Sicut igitur formae altiori modo exsistunt in habentibus cognitionem supra modum formarum naturalium, ita oportet, quod in eis sit inclinatio supra modum inclinationis naturalis, quae dicitur appetitus naturalis. Et haec superior inclinatio pertinet ad vim animae appetitivam, per quam animal appetere potest ea, quae apprehendit."[2])

348 2. Hinc discrimen inter *cognitionem* et actum *appetitus* vitalis intellegitur. Cognitio imago est, qua obiectum intentionaliter recipitur et quasi reproducitur, actus vero appetitus inclinatio in obiectum est. „Cognitio", ait Angelicus, „est, secundum quod cognitum est in cognoscente; appetitus autem est, secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam." Ideo „operatio apprehensivae virtutis assimilatur quieti, operatio autem virtutis appetitivae magis assimilatur motui." „Inde est, quod philosophus ponit circulum quendam in actibus animae, secundum scilicet quod res, quae est extra animam, movet intellectum et res intellecta movet appetitum et appetitus tunc ducit ad hoc, quod perveniat ad rem, a qua motus incepit."[1])

[1]) C. gent. I 72. — [2]) 1 q. 80 a. 1.

3. Antiqua controversia fuit, sitne *perfectius cognoscere an appetere* vel sitne intellectus an voluntas potentia hominis perfectior. Thomistae Aristotelem et Thomam sequentes pro intellectu stabant, scotistae vero cum veteri schola augustiniana pro voluntate. Distinguendum videtur. 349

a) *Voluntas perfectior* est intellectu, α) quatenus voluntatis est prosequi et obtinere perfectionem finemque, ad quem homo a natura ordinatus est. A consecutione autem finis pendet perfectio tum omnis naturae tum etiam hominis, quia ens, quod finem consequitur, tale est, quale esse debet, i. e. perfectum. Proinde etiam hominis potissima et simpliciter dicta perfectio, moralis nempe, ab actibus voluntatis pendet. — β) Propterea etiam voluntatis est reliquas potentias et ipsum intellectum ad agendum applicare vitamque regere. Ideo, qui plus pollent voluntate, etsi intellectu minus valent, in rebus quoque humanis potiores partes obtinere solent. — γ) Denique voluntas libera est.

Vitiosus igitur est ille *intellectualismus* immoderatus multarum nationum, praesertim Europae, qui fere tantum vires intellectus excolit et in mentis cultura totam culturam humanam sitam esse existimat voluntatis cultura nimis neglecta.

b) *Intellectus perfectior* est voluntate, α) quatenus cognitio, utpote intentionalis obiecti reproductio, actio subtilior est quam motus prosecutionis in obiectum. — β) Voluntas ab intellectu pendet, non solum quia actus voluntatis cognitionem supponit, sed etiam quia intellectus radix voluntatis eiusque libertatis est.

Itaque una ex parte actus intellectus subtilior est actu voluntatis. Sed altera ex parte homo per voluntatem, qua

[1]) 1 q 16 a. 1; q. 81 a. 1; De ver. q. 1 a. 2.

in obiectum inclinatur et obiectum quasi amplectitur suumque facit, magis quam per intellectum bonitatem et praestantiam, attamen etiam vilitatem et inordinationem obiecti participat. Hac ratione praeclare Thomas dicit: „Quando res, in qua est bonum, est nobilior ipsa anima, in qua est ratio intellecta, per comparationem ad talem rem voluntas est altior intellectu. Quando vero res, in qua est bonum, est infra animam, tunc etiam in comparatione ad talem rem intellectus est altior voluntate. Unde melior est amor Dei quam cognitio; e contrario autem melior est cognitio rerum corporalium quam amor.“[1])

Ut natura appetitus melius elucidetur, imprimis exponendum est, quale sit eius obiectum formale. Omnis enim potentia obiecto formali specificatur.

Th. 12. **Obiectum appetitus est bonum apprehensum.**

350 **Declar.** Bonum, quod obiectum appetitus esse dicitur, idem est ac *conveniens*.[2]) Diverso autem modo aliquid conveniens esse potest. Omne ens imprimis sibi ipsi conveniens est, quatenus se constituit. Deinde cum altero convenientiam habet et quidem vel per se ipsum, quatenus propter similitudinem, amicitiam aliamve coniunctionem quasi unum cum illo est, ut amicus cum amico, sive quatenus ut perfectio alteri inhaeret, ut sanitas, vel alteri per aliud conveniens est, scilicet per utilitatem seu delectationem, quam confert, ut medicina per sanitatem. Bonum *apprehensum* dicitur obiectum appetitus, quia sufficit, ut aliquid tamquam bonum apprehendatur, licet fortasse in se bonum non sit.

Itaque asseritur, bonum conveniens esse obiectum formale et rationem moventem cuiuslibet actus appetitus, ut nullus sit actus, qui non tendat in bonum seu cuius motivum non sit bonum.

351 **Demonst.** 1. *Experientia* docet, semper rationem moventem appetitus esse bonitatem seu rei convenientiam nobiscum. Nam appetitu aliquid aut prosequimur amando, desiderando, sperando et similibus actibus aut aversamur odiendo, fugiendo, timendo et actibus similibus. Iam vero

[1]) 1 q. 82 a. 3. — [2]) Cf. Ontologiam, De bonitate.

a) Actus *prosecutionis* semper in bonum sive conveniens appetenti feruntur. Nam aut alium amamus aut nos ipsos. Si nos, certe nos propterea amamus, quia sumus nosmetipsi seu nobis maxime convenientes. Si alium amamus, experientia teste eum propterea complacentia vel amore prosequimur, quia nobis cognatus, amicus aliisve modis coniunctus est sive propter suam praestantiam, benignitatem, affabilitatem tamquam unus nobiscum et quasi alter ego itaque pariter ut conveniens apprehenditur, vel saltem quia actum appetendi ipsum aliqua ratione nobis convenientem, e. g. decentem et generosum, apprehendimus. Conscii nobis sumus, nos non posse quidquam amore amplecti, quod vel ut malum vel omni ex parte alienum nobis seu indifferens nullaque ratione conveniens apparet. Ideo quando nos aliosve ad rem appetendam movere volumus, in hoc incumbimus, ut rei bonitatem sive convenientiam ostendamus.

b) Actus *aversionis* directe quidem in malum feruntur, quod nempe aversantur. Sed malum aversantur propter bonum oppositum, in quod igitur indirecte feruntur. Nam malum aversantur, quia malum i. e. privatio boni est, ideo propter bonum, quod indirecte prosequuntur, e. g. morbum propter valetudinem, qua morbus privat, contumeliam propter honorem, quo spoliat.

2. *A priori.* a) *Appetitus naturalis* certe non tendit nisi 352
in rem propriae naturae convenientem; provenit enim ex ordinatione rei ad perfectionem et bonum suum. Iam vero appetitus vitalis entibus cognoscentibus ad perfectius appetendum datus est, ut scilicet hanc naturalem ordinationem in propriam perfectionem et bonum vitaliter, actibus elicitis, exercere possint; est quasi vitalis expressio appetitus naturalis. Sicut flos appetitu naturali ad lucem se convertit, qua indiget, ita homo appetitum vitalem accepit, ut, quae vitae suae necessaria et convenientia sunt, percipiat,

appetat, quaerat. Ergo eius obiectum est etiam bonum conveniens apprehensum.

Aliter: Appetitus vitalis est facultas substantiae, ideo ipsi eiusque ordinationi in propriam perfectionem et bonum inservit.

b) Idem ostendit *natura actus prosecutionis.* Prosecutio est tendentia appetentis ad coniunctionem obiecti amati secum tamquam rei ad se pertinentis. Simplex consideratio actus id ostendit; idem manifestant nomina „prosecutio, appetitus, tendentia" et actiones amplectendi, attrahendi, accedendi, quibus actus amoris extrinsecus se prodit. Iam vero ratio movens talis actus non potest alia esse nisi rei convenientia cum appetente. Idem enim est: ‚actus prosecutionis tendit in obiectum tamquam ad appetentem pertinens' et ‚ratio eius movens est convenientia cum appetente seu bonitas'.

353 3. Eadem est constans *scholasticorum* cum *Aristotele* doctrina. Celebre est illud Aristotelis: „bonum est, quod omnia appetunt"[1]. *S. Thomas* autem perpetuo sic disserit: „Omnis appetitus non est nisi boni. Cuius ratio est, quia appetitus nihil aliud est quam quaedam inclinatio appetentis in aliquid. Nihil autem inclinatur nisi in aliquid simile et conveniens." 1, 2 q. 8 a. 1. „Amoris proprium obiectum est bonum. Unicuique autem est bonum id, quod est sibi conaturale et proportionatum." Ib. q. 27 a. 1. „Id, ad quod agens tendit, oportet esse conveniens ei; non enim tenderet in ipsum nisi propter aliquam convenientiam ad ipsum. Quod autem conveniens est alicui, est illi bonum." C. gent. III 3. „Unumquodque amamus, in quantum est bonum nostrum." In Dionys. De div. nomin. c. 4 l. 9. „Obiectum movens voluntatem est bonum conveniens apprehensum; unde si aliquod bonum proponatur, quod apprehendatur in ratione boni [i. e. perfecti], non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem." De malo q. 6 a. 1.

354 **Ad obiectiones,** quae fieri possunt, haec nota. Ex dictis colligitur, appetitum posse quidem abstinere ab actuali prosecutione boni, sed non posse id aversari. Neque malum ut malum amplecti potest. Accidit quidem, ut homines aliis mala et sibi ipsi mortem exoptent et inferant, immo potest homo peccare velle ex amore peccati; sed haec omnia tantum sub ratione alicuius boni, quod illis malis afferri apprehendit. Neque voluntas, ut libertatem ostendat, malum ut malum prosequi potest; propter libertatem suam potest quidem velle, quod pla-

[1] Διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τ' ἀγαθόν, οὗ πάντ' ἐφίεται. Eth. Nic. I 1 (1094 a 2).

cet, sed tantum intra fines obiecti sui formalis, non extra eos, i. e. tantum bonum.

De *causalitate finali,* quam bonum in actum appetitus exercet, confer Ontologiam, De causa finali.

Iam paucis discrimen duplicis appetitus exponendum est, ut deinde iterum ad communem utriusque considerationem revertamur.

Art. 2. De duplici hominis appetitu

§ 1. De appetitu sensitivo

Recentes psychologi, sicut generatim discrimen vitae sensitivae et rationalis parum attendunt, ita nullam distinctionem, entitativam saltem, duplicis appetitus in homine agnoscunt, quae tamen sedulo attendenda est.

Th. 13. **Est in homine appetitus sensitivus eiusdem naturae organicae ac sensus (1. p.), cuius obiectum est bonum sensibile (2. p.).**

Demonst. 1. p. Appetitus sensitivus intellegitur facultas organica appetendi sequens cognitionem sensitivam. Atqui talis est in homine. Ergo in homine est appetitus sensitivus eiusdem naturae organicae ac sensus. 355

Demonst. min. a) *Animalia* talem appetitum sensitivum habent. Sicut enim cognitionem manifestant, ita etiam appetitum; appetitu aquila cadavera, vulpes gallinas prosequitur. Sed alium appetitum habere non possunt nisi organicum sensitivum. Atqui si animalia appetitum sensitivum organicum habent, neque homo eo caret. Non enim supponendum est, eum vitam sensitivam multo imperfectiorem habere; aliae potentiae sensitivae, quibus animalia instructa sunt, etiam in homine inveniuntur et quidem gradu perfectiore, pariter eadem organa nervea. Ergo in homine est appetitus sensitivus eiusdem naturae organicae sicut sensus.

Sed in homine appetitus sensitivus perfectior est, quia ex nobiliore anima emanat et voluntatis consortio gaudet.

b) Nos ipsi in nobis saepe appetitiones vehementiores experimur, quae directe *affectiones corporales,* velut motus cordis et irritationes nervorum, commotionem pectoris, excitant; quae affectiones certe proxime ex appetitu organico, non vero spirituali oriuntur. Praeterea causae physio-

logicae directe actus appetitus determinare et mutare, e. g. melancholiam et maniam augere vel e contrario apathiam producere possunt; quae causae pariter solum in appetitu organico locum habent.

c) Homo habet *cognitionem sensitivam*, qua bona sensibilia percipit. Iam vero sicut omnis cognitio, ita etiam sensitiva appetitum eiusdem ordinis postulat. Nam cognitio ad fines vitae, proinde cognitio sensitiva ad fines vitae sensitivae obtinendos et promovendos ordinatur, nempe ut eius bona convenientia percipiat. Propterea autem appetitum exigit, qui cognitionem sensitivam sequens haec bona appetat et conquirat; alioquin cognitio naturali suo complemento careret vitaque sensitiva essentialiter incompleta esset.

Appetitus sensitivus etiam *sensualitas* vocatur. Attamen hic terminus plerumque strictiore sensu adhibetur ad significandos illos motus appetitus sensitivi, qui rectae rationi adversantur. Vocatur etiam *concupiscentia*; quae vox pariter plerumque ad motum significandum usurpatur, qui in obiectum inhonestum fertur.

356 **Demonst. 2. p.** Obiectum appetitus sensitivi illud bonum est, quod ei *sensibus* proponitur: sequitur enim cognitionem sensus. Atqui sensus tantum bonum sensibile et materiale proponere potest. Ergo obiectum appetitus sensitivi est bonum sensibile.

Porro sensus tantum bona particularia, non vero bonum in communi proponere potest. Ideo appetitus sensitivus etiam facile satiari potest, quando pauca illa bona habet, quae sensui offeruntur.

Bonum sensibile potissimum illud est, quod *delectationem* sensibilem praebet, iucundi odores, sapores, gratus calor, res molles et similia. Bonum honestum, ut pulchritudo, amicitia, virtus sensu percipi nequit. Bona utilia autem, velut aedificatio nidi, a brutis quidem appetuntur, attamen non tamquam utilia cum utilitatis vel finis cognitione; sed per instinctum, impulsu affectivo ad utilia propelluntur.

Aliud discrimen principale inter appetitum sensitivum et voluntatem *libertas* est, qua appetitus sensitivus caret quamque solum eatenus participiat, quatenus voluntate

libera determinatur. Cum autem nemo appetitui sensitivo libertatem tribuat, non est, cur data opera eum libertate carere demonstremus.

In appetitu sensitivo interdum actus excitantur, qui obiecto sive motivo sufficienti carere videntur, e. g. affectus hilares in mania, angores, si forte respiratio vel sanguinis circulatio impeditur. Quod ita fieri videtur, ut primum causae physiologicae perceptiones organicas anxias, gratas aliasve producant, quae deinde per quandam redundantiam appetitum in similes actus trahunt (vel ita, ut perceptio organica imaginationem admodum confusam obiecti anxii vel laeti excitet, quae ipsa deinde appetitum determinat, ita tamen, ut haec appetitio vehementer ultra suum motivum augeatur).

Actus voluntatis, qui in obiecta supersensibilia feruntur, etiam in appetitu sensibili actus congruentes excitant. Experimur enim tristitiam de infamia, dolorem de peccato, amorem Dei appetitum quoque sensitivum et quidem vehementer afficere vel inflammare posse. Hoc non propterea accidit, quia appetitui sensitivo bonum proportionatum sensibile obversatur eoque bono appetitus tam vehementer trahitur, sed potissimum quia actus voluntatis in eum redundat. Haec igitur appetitio supersensibilium in appetitu sensitivo per accidens fit, ex redundantia voluntatis, non per se, quasi appetitus sensitivus ex se in illa obiecta feratur, quae sensu proponi nequeunt.

De organo appetitus sensitivi. Dubium non est, quin actus 357
appetitus sensitivi organa interna et quidem maxime cor afficiant; itaque cor praecipuum *organum manifestativum* eius dicendum sit. Quaeritur autem, quale sit organum *elicitivum*, in quo eius actus eliciantur. Quia facultas organica est, actus in aliquo organo eliciuntur et insunt.

Longe plerique antiquorum censuerunt, cor tale organum esse.[1]) Recentes psychologi plerumque existimant, solum cerebrum, sicut perceptionum, ita etiam appetitionum sensitivarum organum elicitivum et sedem esse. Atque certum est, cerebrum ad emotiones sensitivas praecipuo modo concurrere, utpote principale organum centrale vitae sensitivae. Quae operatio cerebri vehementer qualitate sanguinis ex corpore affluentis afficitur et mutatur, atque haec iterum operationibus vegetativis determinatur. Qua in re peculiare momentum sibi vindicant „glandulae endocrineae“ (sive sanguineae, „Drüsen mit innerer Sekretion,“ Blut-

1) Haec res aliquatenus cultum Ss. Cordis attingit. Cf. infra, De corde.

drüsen), quales sunt thyreoidea (Schilddrüse), glandulae generativae (Keimdrüsen), epiphysis (Zirbeldrüse), hypophysis (Hirnanhang). Hae glandulae substantias „hormoneas" (Hormone) ex se secernunt et in sanguinem mittunt, quae vehementer qualitatem emotionalem determinant. Huius operationis vegetativae praecipuum centrum cerebrum medium est.

Si ulterius inquiritur, sitne, sicut perceptionum sensitivarum, ita etiam emotionum sedes in aliquo organo extra cerebrum asserenda, tantum cor in quaestionem venire potest sive potius regio cordi propinqua in pectore et quidem non musculus carneus, qui sanguinem in corpus diffundit, sed nervi plexusque nervei in pectore siti et etiam cor circumplectentes et penetrantes; qui nervi potissimum ad sympathicum pertinent. Pro hoc organo conscientia et sensus communis loqui videntur.

358 *Conscientia* indicare videtur, actus appetitus non solum cor afficere, sed etiam circa cor et in pectore esse, non vero in cerebro. Non enim in cerebro nos irasci, tristari, gaudere experimur. Ergo aut supponendum est, nos sedem appetitionum non sentire, aut huic conscientiae standum esse videtur. Praeterea in omnium *gentium* linguis principium et sedes appetitus assignantur organa intra vel infra pectus (ἔγκατα, φρένες, viscera, praecordia, Busen), maxime cor; neque lingua invenitur, quae cerebrum sedem amoris et irae designet.

Pro sede appetitionum sensitivarum in cerebro praeter generalem opinionem recentem, quae cerebrum sedem totius vitae sensitivae habet, etiam haec ratio afferi possit: „Nulla pars ad id [ut sit organum] aptior est quam illa, in qua cognitio est, qua obiectum percipitur ut conveniens vel disconveniens. Verum haec in cerebro est."[1]) Praeterea „a cerebro regitur motus membrorum spontaneus"; sed hic per appetitum sensitivum determinatur. — *Resp.* potest: Cognitio in actum appetitus non physice influit; ideo non apparet, cur localis propinquitas necessaria sit et non sufficiat unitas animae. Porro actus quidem phantasiae in cerebro sunt, non vero perceptiones sensitivae. Quod autem motus attinet, sufficere videtur unitas animae, in qua omnes potentiae insunt, ut appetitus per cerebrum motus excitet, sicut eadem unitas animae sufficit, ut a cerebro motus in pede distante determinetur.

---

[1]) *Pesch*, Instit. psychol. II 341 s.

§ 2. De voluntate.

Th. 14. **Est praeterea in homine voluntas eiusdem naturae spiritualis ac intellectus (1. p.), cuius obiectum est omne bonum (2. p.).**

Demonst. 1. p. Appetitum rationalem vel voluntatem intellegimus altiorem vim prosequendi, quae, sicut appetitus sensitivus cognitionem sensitivam sequitur et cum ea eiusdem naturae organicae est, ita ipsa cognitionem intellectualem sequitur et eiusdem naturae spiritualis est. Atqui talis appetitus in homine exsistit. Ergo est in homine voluntas eiusdem naturae spiritualis ac intellectus. 359

Demonst. min. a) Est in nobis appetitus, quo non solum bona, prout sensu apprehenduntur, i. e. particularia et materialia, prosequimur, sed etiam bonum in communi et *bona immaterialia*; immo possumus haec praeferre bonis sensibilibus, etiam maxime delectabilibus, praeferre veritatem et virtutem voluptatibus et honoribus, gaudia caeli divitiis vitaeque ipsi. Atqui appetitus immaterialium non potest esse nisi spiritualis. Nam appetitus non spiritualis nequit esse proprium spiritualia prosequi tamquam sua bona sibi convenientia et ad se pertinentia, cum revera ei minime consanguinea, sed alieni ordinis sint; multo minus bona materialia sui ordinis spernere potest, ut aliena prosequatur. Ergo est in homine appetitus spiritualis.

b) Voluntas *libera* est, id quod infra expresse demonstrabitur: non determinatur extrinsecus ad unum, sed ipsa se determinat, potest resistere omnibus bonis finitis, quae eam movent, potest ex multis bonis illud reicere, quod magis allicit, et sequi motionem minus trahentis, et quovis momento a prosecutione boni cessare potest. Atqui facultas libera non est organica sive materialis. Quidquid enim materiale est, legi inertiae ac *necessitatis* subest: agit et in tantum agit, quando et in quantum extrinsecus determinatur et impellitur; currus non movetur nisi impulsus tantumque movetur, quantum impellitur, sensus sentit, sicut determinatur, appetitus sensitivus trahitur delectatione. Ergo

voluntas non est potentia organica, sed spiritualis sicut intellectus.[1])

c) *Intellectus spiritualis* postulat facultatem appetendi eiusdem ordinis spiritualis. Nam natura vitaque spiritualis essentialiter incompleta et imperfectior esset quam sensitiva, si tantum bona sua cognoscere, non autem appetitu bona cognita prosequi et acquirere posset.

360 **Demonst. 2. p.** Voluntas omne bonum appetere potest. Intellectus enim, quem voluntas sequitur, tum bonum in communi tum omnia bona singularia sive materialia sive spiritualia appetenda proponere potest. Ergo obiectum voluntatis est omne bonum.

Idcirco sicut intellectus ita etiam voluntas capacitatem quandam *infinitam* habet, quae nullo bono finito penitus satiari potest.

Res sunt bonae vel per se (sanitas) vel ratione alterius (medicina). Bona per se appetuntur ut fines, propter se. Bona vero ratione alterius etiam vere appetuntur, sed propter fines, ad quos ordinantur; ideo non ipsa movent voluntatem. *Motivum* voluntatis illud tantum est, quod rationem finis habet. „Id, quod est propter se bonum et volitum, est finis: unde voluntas proprie est ipsius finis. Ea vero, quae sunt ad finem, non sunt bona et volita propter se ipsa, sed ex ordine ad finem; unde voluntas in ea non fertur, nisi quatenus fertur in finem; unde hoc ipsum, quod in eis vult, est finis."[2])

361 *Ad actum voluntatis praerequiritur cognitio*, qua rem appetenti convenientem esse cognoscitur. Sed haec cognitio non debet esse formale iudicium. Sufficit apprehensio, quae virtualiter iudicium est, praesertim in actibus indeliberatis vel si iam prius iudicium adfuit. Sed admittendum non est, quod multi thomistae opinantur, ante omnem actum voluntatis vel saltem ante mediorum electionem requiri praevium *iudicium practicum* efficax „hoc nunc faciendum est", quo iudicio voluntas ineluctabiliter ad illud idem eligendum determinetur. Tale iudicium libertatem tolleret. Post electionem a voluntate factam utique ratio decretum voluntatis cognoscit et per iudicium promulgat: „hoc nunc faciendum est"; attamen hoc iudicium electionem sequitur."[3]) „Post

[1]) Argumenta sub a) et b) valde similia sunt argumentis 2. et 1., quibus spiritualitas intellectus demonstratur (n. 185 ss.). — [2]) 1, 2 q. 8 a. 2. — [3]) Cf. *Suarez*, Disp. met. d. 19 s. 6.

determinationem consilii, quae est iudicium rationis, voluntas eligit; et post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est, quod eligitur."[1])

Series actuum in volendo. In voluntate varii actus esse possunt, inefficaces, qui sentimenta sive emotiones vocantur, et efficaces, qui, si liberi sunt, volitiones appellantur. Tales volitiones plerumque fines per media assequi intendunt. Si voluntas hac ratione in finem obtinendum tendit, haec ordinata series actuum oritur, quam aliquatenus iam Aristoteles indicat (Eth. Nicom III 3—5) et post eum Thomas et scholastici proponunt atque distinctis nominibus appellant. Primo (in ordine intentionis) voluntas finem simplici amore amplectitur („*simplex voluntas*"). Secundo intendit ad finem pervenire per media („*intentio finis*"). Tertio loco sequitur rationis *consultatio* et inquisitio mediorum, e quibus voluntas *electionem* facit. Postremo (in ordine exsecutionis) consequitur „*usus*" mediorum per voluntatem, quae necessarias operationes determinat. Ultimo loco „*fruitio*" vel gaudium in fine obtento sequitur. Cf. 1, 2 q. 11—16.

Haec tamen systematica series actuum in usu reali varie abbreviatur vel modificatur.

De actibus imperatis. Voluntas non solum actus proprios producere, sed etiam actus aliarum potentiarum, e. g. motus membrorum, determinare potest, qui propterea voluntati ascribuntur. Ideo distinguuntur actus voluntatis *eliciti* et *imperati*. Actus eliciti ab ipsa voluntate ponuntur. Actus autem imperati sunt actus per imperium voluntatis determinati, etsi ab aliis potentiis producti, e. g. motus membrorum. 362

Ratio, cur reliquae potentiae imperio voluntatis subdantur, in eo sita est, quod voluntatis est finem hominis intendere et efficaciter prosequi, ad quem omnes potentiae ordinantur. Voluntatem revera motione sua alios actus determinare, conscientia manifestat, e. g. si brachia in laborando, os in loquendo movemus. Quomodo autem hoc imperium alias potentias ad agendum moveat, obscurum est. Tantum dici potest, voluntatem non ipsas actiones aliarum potentiarum efficere, cum alios actus praeter suos non producat, sed eas influxu activo determinare. Quatenus enim cum potentia determinanda in eadem anima stat, efficitur, ut, quando illam actionem vult, propter 363

[1]) 1, 2 q. 17 a. 3 ad 1.

conexionem mutuam potentiarum in una anima alia potentia determinetur.[1])

Hoc voluntatis imperium vel efficax est, si ei resisti nequit, vel non efficax, si resisti potest.[2]) Quod igitur imperium voluntatis in alias facultates attinet, haec dicenda sunt.

364 1. Quod *intellectum* attinet: a) Voluntas *attentionem* in rem propositam applicare, augere, continuare potest. — b) *Apprehensiones* directe imperare et advocare nequit, quia ante imperium rei imperandae notitia seu apprehensio iam supponitur: sed indirecte eas advocare vel depellere potest dirigendo associationes idearum, velut imperando occupationem, impediendo distractiones, advocando vel depellendo perceptiones sensuum, quibus ideae associantur. Attamen ingrata experientia constat, hoc voluntatis dominium in attentionem et apprehensiones limitatum esse et saepe perceptiones, imaginationes, fluxum associationum ideas secum trahere frustra renitente voluntate. — c) *Iudicia* voluntas indirecte determinare potest imperando obiecti considerationem, ex qua iudicium oritur. Sed directe vel immediate illa tantum iudicia imperare potest, in quibus non adest perfecta evidentia, quippe quae intellectum cum necessitate ad iudicium rapit.

2. *Sensus externos* voluntas regit convertendo eos ad obiecta; facta hac conversione non iam a voluntate pendet, quid percipiant.

Phantasiam voluntas similiter sicut apprehensiones moderari potest, avertendo eam ab his et convertendo ad alia. Sed etiam hoc dominium valde limitatum est propter influxum variarum causarum, maxime propter cursum associationum, qui voluntati non directe subest.

---

[1]) *Hume* scepticus ex eo, quod nesciamus, qua ratione voluntas nervos et musculos determinet, immerito concludit, a voluntate nullam vim activam exerceri. Permulta alia in vita psychica vere adesse et fieri evidenter percipimus, quorum distinctum modum, quo fiant, non percipimus. — [2]) Veteres scholastici, nomina ab Aristotele adhibita retinentes, saepe minus apte imperium efficax „despoticum", inefficax „politicum" appellant.

3. *Appetitum sensitivum* voluntas regit vel per redundantiam propriorum actuum in eum, velut quando amor ergo matrem etiam appetitum sensitivum afficit, vel moderando cognitionem sensitivam, a qua appetitus pendet, vel corporis dispositiones sive affectiones moderando, quae in appetitum sensitivum influunt, e g potum et cibum temperando, denique supprimendo externa affectuum signa, quo fit, ut etiam ipsi affectus debilitentur 365

4 *Vitam vegetativam* voluntas multis modis indirecte moderatur disponens dormiendi et comedendi rationem, occupationem, curam valetudinis

5 *Motus* quod attinet, spontanei quidem, qui ex imperio appetitus producuntur, ut ambulare et loqui, a voluntate imperari possunt et quidem efficaciter: motus reflexi, ut contractio oris ex gustu acido, aliquatenus cohiberi possunt; motus autem automatici, velut motus stomachi et cordis, voluntatis imperio non subsunt

6. Denique etiam unus actus *voluntatis* per alium imperari potest et quidem efficaciter, e. g. actus ignoscendi, amandi Tales actus igitur simul eliciti et imperati sunt. Ergo actus imperati plerumque quidem actus aliarum potentiarum sunt, sed non omnino semper 366

Saepe accidit, ut quis actus molestos, repraesentationes, emotiones tentantes vel vexantes ex se eliminare velit Expositio allata ostendit, talem eliminationem („Verdrängung", refoulement) numquam directo imperio efficaci, sed tantum ita fieri posse, ut attentio studiose ad alia convertatur, quo actus molesti, attamen haud cum infallibili successu, excluduntur.

Nota. Communiter quidem dici solet voluntas imperare. Sed etiam *ratio imperare* dici potest, qui modus loquendi s Thomae familiaris est; non quasi ratio formaliter imperet seu moveat, sed quod voluntatem in movendo regit „Imperare est actus rationis praesupposito tamen actu voluntatis.. Imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum intimando vel denuntiando, sic autem ordinare per modum cuiusdam intimationis est rationis . Primum movens in viribus animae ad exercitium actus est voluntas, ut supra dictum est Cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis 367

sequitur, quod hoc ipsum, quod ratio movet imperando, sit ex virtute voluntatis."[1])

Art. 3. De diversis actibus appetitus

368 Appetitus est potentia inclinandi in bonum. Ad appetitum igitur pertinet, quidquid inclinatio est. Inclinationes autem diversae indolis esse possunt. Quae diversa inclinationum genera recte perspicere et distinguere ad vitam psychicam noscendam et in nobis aliisque moderandam non parvi momenti est.

Primum appetitiones *habituales* et *actuales* discernere oportet. Appetitiones actuales sunt actus sive appetitiones in actu secundo, habituales vero sunt appetitiones potentiales sive dispositivae, ex quibus actus procedunt. *Ad appetitiones habituales potissimum spectant:*

369 1. *Inclinationes naturales* appetitus [Triebe[2]), Neigungen, tendances, inclinations]. Quae sunt inclinationes potentiales in bona, quas appetitus ex natura sua habet.[3]) Sicut enim quaevis potentia naturaliter in obiecta sua ordinata est, etiam appetitus, spiritualis et sensitivus, naturali inclinatione in obiecta sua appetenda instructus est. Quae inclinatio, quia multa obiectorum genera sunt, multiplex est. Hac ratione distingui solent inclinationes *personales* („egoisticae") in bonum propriae personae, in conservationem, defensionem, honorem, libertatem, activitatem psychicam et externam, et inclinationes *altruisticae* (sociales) in alios, in benevolentiam, amicitiam, in consortium et commercium humanum, in familiam, nationem, patriam, praeterea inclinationes *ideales*, velut inclinationes *intellectuales* in veritatem, *morales*, *religiosae*.

Inclinationibus altruisticis speciatim *inclinatio ad imitandum* et *sympathia* adnumerantur. Inclinatio ad alios imitandos, quae eo maior est, quo maior est propria suggestibilitas, gignit conformitatem socialem in modo se gerendi, vestiendi (Mode), opinandi; huc etiam magna illa vis spectat, quae exemplo inest. Sympathia sensu lato est inclinatio, qua quis sponte in alterum instar proprii ego fertur, sensu strictiore autem (συν-πάθος) in eo consistit, quod de aliorum gaudio et dolore gaudemus et dolemus sive etiam quod alterius affectus immediate in nos per modum contagionis redundat; quod pariter eo magis accidit, quo quis impressionabilior et suggestibilior est.

Quia bona omnia, in quae inclinationes personales et altruisticae feruntur, vera bona sunt, omne autem bonum ad naturale obiectum appetitus pertinet, inclinationes utriusque generis primitivae et originales sunt. Recusanda igitur est eorum sententia (Hartley, James et St. Mill, Spencer, Darwin), qui inclinationes altruisticas ex egoisticis derivari existimant, quatenus homo propterea alterius bonum appetat vel appetere per decursum evolutionis didicerit, quod hoc sibi ipsi utile expertus sit.

2. *Passiones* (Leidenschaften, passions) sunt habituales inclinationes immoderata vehementia praeditae, quae igitur modo inordinato reliquam vitam psychicam sibi subiciunt. Passiones plerumque ex actibus saepe repetitis sive ex consuetudine contrahuntur, sed etiam innatae esse possunt, velut temperamentum admodum irascibile, inclinatio alcoholica aliaeve hereditate acquisitae. Nec solum in appetitu sensitivo, sed etiam in spirituali esse possunt, ut superbia, avaritia, passio dominandi.[1]) 370

3. *Habitus appetitivi* sunt stabiles dispositiones in potentia appetitiva ex actibus repetitis ortae, quae ei peculiarem habilitatem, facilitatem, propensionem ad certos actus eli-

[1]) 1, 2 q. 17 a. 1. — [2]) Glückseligkeitstrieb, Selbsterhaltungs-, Tätigkeits-, Wissens-, Freiheitstrieb, soziale Triebe (Geselligkeits-, Freundschaftstrieb) etc. Non raro nomen Trieb strictius ad inclinationem inferiorem sive sensitivam designandam accipitur. — [3]) Interdum „instinctus" vocantur, videlicet sensu lato. Non sunt instinctus stricte dicti sive impulsus sensitivi innati in utilia sine cognitione finis. Attamen eatenus iis similes sunt, quatenus etiam inclinationes innatae sunt.

[1]) Veteres scholastici voce latina *passionis* significare solent motum appetitus paulo vehementiorem, praesertim talem, quem commotio corporalis comitatur, nempe sensitivum; itaque fere id significant, quod nunc affectum dicimus, qui semper appetitum sensitivum includit. „Passio proprie invenitur, ubi est transmutatio corporalis.. Unde patet, quod ratio passionis magis proprie invenitur in actu appetitus sensitivi quam intellectivi." 1, 2 q. 22 a. 3. Nunc autem vulgaris usus loquendi habet, ut passiones habituales inclinationes vehementes vocentur.

ciendos tribuunt, velut acquisitae propensiones benignitatis, patientiae, temperantiae vel intemperantiae, animus durus vel mollis, virtutes et vitia; etiam passiones acquisitae huc spectant.[1])

Diligentius iam inclinationes actuales earumque divisiones exponendae sunt. Apud scholasticos antiquos usitata est divisio in actus concupiscibiles et irascibiles. Quae divisio omnino approbanda est, attamen non sufficit et complenda est. Hodierna psychologia hac de re studiosas inquisitiones instituit, quae multa praeclara praebent, sed interdum claritate et rectitudine carent.

§ 1. Divisio in sentimenta et tendentias

Th. 15. **Actus appetitus praeprimis spectata efficacia in sentimenta (emotiones) et tendentias dividendi sunt.**

371 **Demonst.** Cum actus appetitus id praeprimis spectent, ut *bona homini convenientia assequantur,* primum et praecipuum eorum discrimen, secundum quod divisio eorum facienda est, efficaciam attinet sive nisum et virtutem, qua bona assequenda appetunt. Atqui spectata hac efficacia in sentimenta (emotiones) et tendentias dividendi sunt. Ergo. — Etenim:

1. *Sentimentum* est inclinatio inefficax in bonum.[2]) Itaque verus quidem motus erga obiectum, sed eatenus inactivus est, quatenus non ad obiectum obtinendum sive avertendum adnititur. Tales sunt simplex amor, aversio, tristitia et actus similes. Hoc est sentimentum *generice* sumptum.

Saepissime vero *sentimentum sensu specifico* sumitur et affectui opponitur. Sentimentum ita acceptum (Gefühl, sentiment, feeling) est inclinatio inefficax *lenis* in bonum, quod insuper obscura plerumque cognitione apprehenditur. Talis est affectio pietatis erga parentes, gratitudinis, complacentiae de re pulchra, pudoris.

Affectus (Gemütsbewegung, émotion) est motus *vehemens* in bonum cum concitatione corporali, e. g. vehemens afflictio de morte propinqui, ira excandescens, amor inflammatus Dei. Ad affectum etiam requiri solet, ut feratur in bonum supersensibile; nemo enim desiderium cibi affectum dixerit. Itaque affectus simul actum voluntatis et actum appetitus sensitivi comprehendit: actum voluntatis, quia in bonum supersensibile fertur, actum autem appetitus sensitivi, quia cum affectione corporali coniunctus est.

2. *Tendentia* (Streben, appétition, [tendance]) est motus 372
efficax in obtinendum bonum seu inclinatio eatenus speciali modo activa, ut non solum affectio erga bonum sit, sed etiam in acquirendum bonum vel avertendum malum adnitatur. Efficacia autem seu vis et firmitas tendendi varios gradus habere potest. Excellentissima tendentia *volitio* est seu velle stricte dictum, i. e. actus deliberatus voluntatis assecutionem boni vel remotionem mali efficaciter decernens.

Varia est igitur horum quatuor actuum, sentimenti, affectus, simplicis tendentiae et volitionis efficacitas et perfectio In eo, qui exhortationem audit impellentem ad malam consuetudinem frangendam, primum excitari potest sentimentum displicentiae, quod tamen a proposito vitandi peccati longe abest; ex sentimento vehemens affectus oriri potest usque ad lacrimas, qui tamen nondum propterea propositum est. Si voluntas tendere incipit, iam aliquam efficaciam exercet, quae in resolutum propositum convertitur, quando deliberatum volendi actum ponit. Conscientia testari videtur, ante tendentiam semper praecedere sentimentum, quo appetens erga bonum afficitur et ex quo tendentia sive volitio procedit, attamen non sic, ut haec cum necessitate procedat vel ut maior vis volitionis sem-

[1]) Tantum habitus naturales, non supernaturales spectamus. De habitibus infra uberius agetur. — [2]) Usui classico ad rem propositam designandam magis congrueret vocabulum „sensus"; quod tamen in philosophia scholastica iam aliam significationem stabilem habet. Ideo ad ambiguitatem arcendam verbum sentimentum praeferimus. Sentimentum, quod hoc loco consideramus, videlicet appetitivum, latine etiam emotio vocari solet. Sed praeter sentimenta appetitiva etiam alii actus sunt, scilicet perceptiones gratae et ingratae (n 132), quae nomine cum appetitionibus inefficacibus communi appellantur tamen emotiones dici nequeunt Cf. infra n. 381.

per maiorem intensitatem sentimenti postulet; vis volendi enim maxime a libertate pendet.

Idem fere, quod tendentia, latinum vocabulum *appetitio* dicit, si stricte accipitur. Late sumptum enim generaliter quamlibet inclinationem in bonum significat.

Ipsa facultas inclinandi in bonum *appetitus* vel *voluntas* appellatur, non quasi omnes actus eius appetitiones et volitiones stricte dictae sint, sed nomina potentiae ab actibus perfectioribus sumpta sunt.

373 3. *Volitio* igitur sive velle est tendentia absolute efficax, rem decernens. Sed ipsa quoque diversos gradus habere potest, quatenus maiore minoreve vi obiectum vult; quod immerito interdum in dubium vocatur.[1] Attamen haec varia volendi vis non est intellegenda intensitas, sed efficacia. Intensitas sive calor, vigor, vehementia in volendo non videtur, quando adest, ipsi volitioni interna esse, sed ex sentimentis comitantibus provenire. Diversa intensitas proprietas sentimentorum et affectuum est, volitionis autem proprietas efficacia, firmitas, fortitudo est. Quae magna esse potest sine magna intensitate; potest quis intensius parentibus et simul efficacius Deo adhaerere. Diversi gradus efficaciae in volendo tum ex motivo tum ex ipsa voluntatis libertate oriri possunt. Motivum sive bonum est causa finalis volitionis; quo igitur maius est et quo clarius percipitur, eo maiorem in voluntate vim adhaesivam sive efficaciam causat. Ideo observamus, homines, si motiva clarius perspexerunt, efficacius ad virtutem sectandam se resolvere. Sed maior efficacia etiam ex libera voluntatis contentione venire potest. Talis maior contentio et efficacia requiritur, si graviores difficultates superandae, si magis ardua prae facilioribus aggredienda sunt. Certe non eadem voluntatis vis postulatur ad potum et ad ieiunium volendum, ad balneum et ad martyrium subeundum. Praeterea ex omnium sententia alii maiore vi volendi pollent, quibus nihil difficile est, alii minore, qui facile difficultatibus succumbunt, quidam etiam ex morbida abulia laborant. Nec

1) Cf. *Lindworsky*, Der Wille[3] (1923) 110; Willensschule[3] (1927).

elucet, cur, si omnis volitio aliquo certo efficaciae gradu praedita est, quae ex voluntatis determinatione venit, cur voluntas non etiam ad maiorem gradum se determinare queat.

Discrimen inter sentimentum (affectum) et tendentiam (volitionem) 374
negari nequit. Veteres scholastici de eo parum tractarunt. Inter neoscholasticos vix est, qui de hac re serio dubitet.[1] Ex modernis autem psychologis multi hoc discrimen negant affirmantes, *tendentiam sive volitionem non esse actum elementarem* proprium, sed reduci ad sentimentum cum rei repraesentatione (Wundt, Ebbinghaus, Rignano, Ziehen) vel ad desiderium (Condillac), vel volitionem nihil esse nisi vim ideis inhaerentem (Spinoza).

Manifestum autem est discrimen volitionis et tendentiae a sentimentis (et repraesentationibus). Conscientia clare ostendit, sentimentis illam activitatem efficacem deesse, quae in tendentia et volitione observatur. Et sentimentum (pariter repraesentatio rei faciendae) adesse potest absque volitione: potest quis tristari de sua calamitate, de sua mala consuetudine usque ad lacrimas, nihilominus longe abesse potest ab efficaci emendationis volitione sive ob debilitatem voluntatis, quae interdum in extraordinariam abuliam abire potest, sive quia rem desperatam arbitratur. Ideo explicationes, quibus adversarii volitionem ex sentimentis et repraesentationibus construere conantur, nullo modo satisfaciunt; plerumque volitionem aliis nominibus iterum furtim inducunt. Denique Ach et Michotte etiam experimentis confirmarunt, praeter sentimenta, repraesentationes, perceptiones musculares et motus proprium actum volendi admittendum esse.

Divisio sentimentorum (affectuum). Plurimae nunc divisio- 375
nes sentimentorum sive affectuum appetitus statuuntur. Sed nulla invenitur consensio. Omnibus divisionibus hodiernis melior adhuc est antiqua divisio scholastica, quam primo loco uberius exponemus.

1. *Sentimenta (affectus) concupiscibilia et irascibilia.* Quae divisio, etsi omnibus numeris absoluta dici nequit, tamen in philosophia scholastica usu recepta et bene fundata est. Obiectum enim appetitus est bonum et (consequenter) malum; in bonum feruntur actus prosecutionis, in malum actus aversionis. Iam vero tum bonum tum malum dupliciter cognitione proponi potest: vel *absolute* et simpliciter

1) Omittimus autem quaestionem, utrum hoc discrimen semper stricte essentiale sit necne, seu an fortasse saltem inter aliqua sentimenta continuus transitus usque ad completam tendentiam inveniri possit, e. g. hic: complacentia-amor-desiderium-spes-tendentia.

vel ut *saeptum difficultatibus*, quae consecutionem boni vel remotionem mali arduam faciunt. Propterea actus, qui circa bonum et malum absolute spectata versantur, diversi sunt ab illis, qui bonum et malum tamquam ardua respiciunt: priores concupiscibiles, posteriores vero irascibiles vocantur. Nomina desumpta sunt ab actu maxime manifesto utriusque generis, concupiscentia[1]) et ira. „Patet ex hoc, quod irascibilis [inclinatio] est quasi propugnatrix et defensatrix concupiscibilis, dum insurgit contra ea, quae impediunt convenientia, quae concupiscibilis appetit, et ingerunt nociva, quae concupiscibilis refugit.“[2]) Appetitui concupiscibili igitur quaedam passivitas et receptivitas, irascibili vero activitas inest[3]), sed non ita, ut iam illam activitatem efficaciae, quae tendentiae propria est, includat. Ceterum aliqui actus irascibiles, praesertim audacia, iam propinquius ad tendentiam accedunt.

Itaque sex sunt actus concupiscibiles. Nam appetitui bonum et malum absolute consideratum aut simpliciter ut tale proponitur aut ut absens sive imminens aut ut praesens. Inclinatio in bonum simpliciter apprehensum est *amor*, inclinatio in bonum absens est *desiderium*, quies in bono praesente sive possesso *delectatio* vel gaudium dicitur. Similiter aversio a malo simpliciter apprehenso *odium* (aversio) vocatur, recessus a malo imminente *fuga*, actus circa malum praesens *tristitia* vel dolor est.

Quinque sunt actus irascibiles. Bonum vel malum arduum aut ita proponitur, ut difficultates superabiles, aut ita, ut insuperabiles censeantur. Si difficultates assecutioni boni obstantes superabiles reputantur, oritur *spes*, si insuperabiles, *desperatio*. Si difficultates, quae remotioni mali

---

[1]) Vox *concupiscentia* diverso modo sumitur. a) Latissime significat idem, quod cupere, desiderare. Cf. e. g. 1 q. 60 a. 3; q. 82 a. 5 ad 1; 1, 2 q. 71 a. 6 obi. 2. Ad hanc significationem spectat „appetitus concupiscibilis“, de quo nunc loquimur b) Strictius designat appetitum sensitivum. Cf. 1, 2 q. 30 a. 1; 1 q. 82 a. 5 ad 1. c) Strictissime accepta significat appetitum inhonesti. — [2]) 1 q. 81 a. 2. — [3]) Secundum hunc duplicem appetitum etiam vox „Herz haben“ (avoir du coeur) duplicem significationem accipere potest; vel enim amare vel audere significat.

imminentis obstant, superabiles apparent, oritur *audacia*, si e contrario insuperabiles, *timor*. Quando malum arduum iam adest, aut appetitus irascibilis cessat et tristitia habetur, aut per iram contra causam mali ad eam comprimendam insurgit.

Nota. Actus undecim enumerati inveniri possunt *tum in voluntate* 376
tum in appetitu sensitivo, imperfecte saltem; quidam, velut spes, perfecte solum in voluntate sunt, quia cognitionem intellectualem supponere videntur

Etiam diversas *variationes* induere possunt spectata intensitate vel materia, ad quam referuntur; sic variis nominibus appellantur Amor, si non completus, sed tantum quasi initialis est, complacentia vocatur. Idem sub certo respectu etiam dilectio et caritas appellatur „Addit dilectio“, inquit s Thomas, „supra amorem electionem praecedentem, ut ipsum nomen sonat, unde dilectio est in voluntate tantum et in sola rationali natura . . Caritas addit supra amorem perfectionem quandam amoris, inquantum id, quod amatur, magni pretii aestimatur, ut ipsum nomen designat.“[1]) Odium, quod supra simpliciter amori opponitur, late sumitur et idem est, quod aversio, quae secundum varios gradus sive obiecta detestatio, abominatio, odium inimicitiae esse potest. Odium stricte dictum est, odium inimicitiae et tantum ad entia rationalia refertur. Desiderium vocari solet concupiscentia, si sensuale, et maxime si insuper inordinatum est Delectatio gaudium dicitur, si spiritualis et paulo intensior est Tristitia maeror nominatur, si est diuturna, invidia, si est dolor de bono alterius, quod pro malo proprio reputatur, denique misericordia, si est dolor de malo alterius cum affectu opitulandi Paenitentia est dolor de actionibus, quas nobis imputamus Vehemens ira furor, rabies audit

Varii actus etiam *mixtionem* inire possunt: ita ex amore et timore coniunctis reverentia oritur.

Sunt tamen alii actus, v g. oboedientia, aestimatio, quae difficile ad illos undecim actus adaequate reduci possunt. Divisio enim supra allata non absolute adaequata haberi debet Neque asserimus, actus enumeratos ita simplices esse, ut non fortasse aliqui aliquam compositionem contineant.

Divisio allata primam originem a *Platone* petit. Eum sequens *Aristoteles* duplicem partem appetitus sensitivi distinguit, potentiam concupiscendi (ἐπιθυμία) et potentiam irascendi (θυμός). Eandem divisionem *Thomas* recepit, qui eam imprimis appetitui sensitivo tribuit, sed etiam voluntati concedit[2]): „Amor, concupiscentia et huiusmodi dupliciter accipiuntur. Quandoque quidem, secundum quod sunt quaedam passiones cum quadam scilicet concitatione animi provenientes, et sic communiter accipiuntur, et hoc modo sunt solum in appetitu sensitivo. Alio modo significant simplicem affectum absque passione vel animi concitatione; et sic sunt actus voluntatis.“

---

[1]) 1, 2 q. 26 a. 3. — [2]) 1 q. 81 a. 2; q. 82 a. 5 ad 1.

Denique notandum est, si hac ratione „appetitus concupiscibilis“ et „irascibilis“ distinguuntur, non statim concludendum esse, eos realiter distinctos esse; sed sufficit distinctio rationis, praesertim quatenus de appetitu rationali agitur.

377 *Amor* inter omnes actus enumeratos praecipuus est, quia est *radix* omnium aliorum actuum. „Omnis inclinatio voluntatis et etiam appetitus sensibilis ex amore originem habet. Ex hoc enim, quod aliquid amamus, desideramus illud, si absit, gaudemus autem, si adest, et tristamur, cum ab eo impedimur, et odimus, quae nos ab amato impediunt, et irascimur contra ea.“[1])

Attentione digna est distinctio duplicis amoris, *amoris puri et amoris concupiscentiae.* Amor generatim est inclinatio appetentis in bonum seu in rem ut sibi convenientem et aliquo modo ad se pertinentem. Talis convenientia autem diversa esse potest, quae proinde etiam amorem diversum facit. Sic distingui solent amor purus, qui, si in entia rationalia fertur, etiam amor amicitiae vel benevolentiae dicitur, et amor concupiscentiae. Amor purus adest, si alius propter se amatur tamquam alter ego, ut amor sistat in amato eique bonum appetat tamquam fini cui; sic amicus amicum amat. Amor concupiscentiae adest, si quid non propter se amatur, ut amor in eo sistat, sed ita, ut referatur ad ipsum amantem tamquam finem cui ut aliquid pertinens ad bene esse amantis; ita bibulus vinum amat. Ex quo apparet, tantum amorem purum esse verum amorem alterius.[2])

Sub alio respectu hae sentimentorum (affectuum) divisiones fieri possunt:

378 2. Spectata entitate *sentimenta (affectus) sensitiva, spiritualia et sentimenta cordis* sive affectus distingui possunt. Sentimenta spiritualia sunt actus voluntatis. Sensitiva sentimenta sunt actus appetitus sensitivi (vel perceptiones sensibiles gratae et ingratae, quae etiam saepe ‚sentimenta‘ appellantur; cf. n. 383). Affectiones cordis denique sunt

[1]) C. gent. IV c. 19. — [2]) Cf. etiam de amore, eius natura, obiecto et speciebus Ontologiam, De bonitate.

motus utriusque appetitus in obiecta supersensibilia; sic dicimur corde diligere amicos, dolere de miseria pauperum.

Divisioni in sentimenta sensitiva et spiritualia (et sentimenta cordis) valde similis est divisio in hodierna psychologia usitata in *inferiora* et *superiora.* Sentimenta inferiora vocantur sensibilia perceptionibus sensitivis excitata, superiora autem circiter illa appellari solent, quorum obiectum et ratio solo intellectu apprehenditur.

3. Spectatis obiectis tot sentimenta sive affectus distingui possunt, quot obiecta, circa quae versantur. Sic distinguuntur sentimenta *personalia,* hominis circa se ipsum, ut amoris sui, superbiae, pudoris, sentimenta *altruistica,* ut misericordia, sentimenta *activitatis* (Tätigkeitsgefühle), ut sensus roboris, facilitatis, contentionis, successus, otii, sentimenta *logica,* quae assecutionem veritatis comitantur, *socialia,* velut patriotismi, *religiosa, moralia, aesthetica* (cf. n. 369).

4. Spectato modo, quo *corpus afficiunt,* sentimenta vel affectus dicuntur *asthenici* (σθένος, vis), si depressionem et languorem producunt, ut pavor et maeror, *sthenici,* si excitationem et vigorem efficiunt, ut ira, gaudium.

De momento sentimentorum. Sentimenta multiplicem et 379
magnam vim in vitam humanam exercent.

1. Magnum influxum *in corpus* habent, non solum sensitiva sentimenta, sed etiam spiritualia, nempe per sensitiva. Afficiunt cor, organa respiratoria, musculos vasomotorios, chemicos cellarum processus.

2. In *vitam psychicam* vim exercent. Laetitia imaginandi et cogitandi fluxum promovet, tristitia retardat. Sentimenta attentionem et deliberationem regere et iudicium in suas partes trahere conantur idque eo magis, quo vehementiora sunt, ut ad sinceram veritatis cognitionem imprimis puritas cordis necessaria sit. Porro quatenus actus liberos voluntatis praecurrunt eosque in suas partes inclinant, una ex parte voluntatem iuvant eiusque vim confortant, tum in bonum tum in malum, altera ex parte in resistendo diffi-

cultates facere et vim voluntatis debilitare possunt. Amor decentiae ab inhonestis retrahit, animus delicatus omne arduum horret. Laetitia labores faciles reddit et onera levat, tristitia vim agendi attenuat. Sentimenta religiosa ad religionem colendam et conservandam iuvant. Saepe etiam sentimenta perceptionibus et repraesentationibus quasi colorem suum aspergunt iis se associando et cum iis confluendo: campana sonum tristem edere videtur, si funeris causa, festivum, si festivitatis gratia sonat.

380 3. Ideo in recte aestimandis sentimentis a duplici errore extremo cavendum est.

Unus est *apathia stoica*. Multi stoicorum ex hoc vero facto, quod affectus (πάϑη) voluntati renitentes mali sunt, concluserunt, omnia sentimenta et affectus malos esse, proinde sapientem debere ab iis abstinere et in plena apathia manere. Similem doctrinam Kant profert.

At vero *impossibile* est et naturae hominis repugnat, ut ab omnibus sentimentis abstineat. Appetitus enim ex sua natura ad hoc ordinatus est, ut, cum bona vel mala proponuntur, motus prosecutionis et aversionis habeat. Et *imprudens* haec apathia est. Sentimenta quidem deliberationi praecurrentia difficultates facessere possunt; sed ex eo sequitur quidem, sentimenta in potestatem redigenda, non vero ea inutilia vel mala esse.

Attamen sentimentis, utpote quae fortitudine ad difficultates vincendas carent, plerumque in cognitione obscura fundantur, mutabilia sunt, vitae gubernatio tribuenda non est; sed clara principia et firma voluntas vitam regere debent. Nostra aetate frequentior est *nimia aestimatio* sentimentorum et neglectio voluntatis ac rationis. Homines saepe contenti sunt affectu erga verum, bonum, pulchrum, sed firmiter velle nolunt. Quod religionem attinet, fovent obscura, mutabilia, infirma sentimenta admirationis erga omnipotentiam et sapientiam numinis, sed superflua aestimant et abhorrent fidem definitarum veritatum, oboedientiam erga Deum, orationem, sacramenta. In educatione saepe potius sentimenta excoluntur quam firma voluntas.

Hinc defectus constantiae virilis et recte cogitandi impotentia. Idem ostendit frequens doctrina philosophica de *valore* i. e. bono. Valor (Wert, valeur, value) in genere et valores speciales, logicus, ethicus, aestheticus, religiosus describuntur saepe per merum respectum ad sentimenta tamquam res, quae in subiecto percipiente sentimenta sive sensus complacentiae, approbationis sive reprobationis excitent, itaque realitate obiectiva privantur et subiectivis sentimentis subiciuntur.[1])

*§ 2. De multiplici sentimenti significatione

De sentimentis nunc multum in psychologia, aesthetica, ethica, paedagogica agitur. Et merito quidem. Sentimenta enim in homine frequentissima sunt et permultum in vita psychica valent. Sed alia ex parte hodiernae doctrinae de sentimentis parum clarae et consonantes esse solent. Imprimis notandum est, tum in scientia tum in usu vulgari voci sentimenti non eandem constanter significationem substitui, non sine magno claritatis et veritatis detrimento. Quod expresse ostendendum est, simulque aliae de sentimentis quaestiones, quae restant, tractandae sunt. 381*

*Th. 16. **Vox ambigua sentimentum sive „sensus" (Gefühl, sentiment, feeling) plerumque quidem, quae est primaria significatio, actum appetitus designat (1. p.). Attamen saepe etiam perceptionem sensitivam (2. p.), non raro etiam obscuram cognitionem intellectualem significat (3. p.).**

Demonst. 1. p. Sentimenta plerumque et primario illae lenes inclinationes inefficaces appetitus vocantur, quae cum necessitate in nobis oriuntur, ut primum obiecta convenientia vel inconvenientia percipimus; quas supra ab actibus tendendi et volendi distinximus. Talia sunt sentimenta amoris erga amicos, gratitudinis erga benefactores, tristitiae de offensione, pudoris de ignominia, „sentimenta religiosa" devotionis, reverentiae, „sentimenta moralia" displicentiae mali vel complacentiae boni, „sentimenta logica" delectationis de veritate inventa vel doloris de dubio. Huc pertinet etiam 382*

[1]) Cf. Ontol., De bonitate; Ethicam I, De intuitionismo morali.

delectatio de dulci sapore cibi, sentimentum excitatum, quod color ruber, tranquillum, quod caeruleus producit, hilaritas, quam colores lucidi et soni alti, animi severitas et gravitas, quam colores obscuri sonique profundi excitant. Hi omnes enim sunt actus appetitus, vel sensitivi vel spiritualis vel plerumque utriusque (cordis). Ergo vox sentimentum plerumque et primario actum appetitus designat.

*383 **Demonst. 2. p.** Loquimur saepe de sentimentis sive „sensibus" (sensations) defatigationis, doloris corporalis, saturitatis, famis, de „sensu" iucundo, quem temperatus calor, potio frigida, vegeta sanguinis circulatio, de ingrato, quem nimia lux, vehemens dissonantia excitant. Atqui hae affectiones sunt perceptiones sensitivae sensus organici, kinaesthetici aliorumque. Ergo vox sentimentum sive „sensus" saepe perceptionem sensitivam designat.

His „sentimentis" commune esse solet, ut grata vel ingrata sint. Eorum *causa physiologica* est conveniens vel inconveniens subiecti dispositio, nempe vel bene vel parum accomodata excitatio vel functio organi, valetudo bona vel mala.[1]) Eorum *finis* autem est, ut haec varia dispositio manifestetur atque ad mala vitanda et curam adhibendam incitet. Sed haec providentia naturae tantum casus ordinarios et fines proximos respicere solet; fames initio quidem cruciat, diu autem continuata tolerabilior fit, potio frigida in aestu interno iucunda est, nihilominus nociva esse potest.

Quatenus haec sentimenta grata vel ingrata sunt, aliquam similitudinem cum delectatione et tristitia (dolore) appetitus habent. Attamen *non sunt actus appetitus,* sed sensuum perceptivorum. Actus enim appetitus cognitionem sequuntur; dolor vero corporalis ex vulneratione ortus non sequitur antecedentem perceptionem, sed ipse est primus actus psychicus, qui ante se nihil habet nisi materialem laesionem, quae causa physiologica doloris est.

*384 Non videtur admittendum esse, quod saepe hodierni psychologi has perceptiones sentimentis adnumerantes dicunt, in iis latere duplicem actum, e. g. in dolore unum, quo percipiamus punctionem externam, alterum, qui ingrata affectio sit; actum priorem esse perceptionem, alterum sentimentum. Hoc videtur simplici experientiae contrarium esse. Perceptio doloris ita aliquid unum esse experimur, ut nulla appareat compositio ex duobus actibus. In dolore nihil percipitur nisi ingrata affectio, quae simul perceptio est (nam dolor, qui non est perceptio, non est), ut igitur perceptio et ingrata affectio realiter unum idemque sint; si ex perceptione doloris ingrata affectio extrahitur, tota perceptio doloris destruitur. Quando accidit, e. g. facta iniectione medicamenti sopientis, ut iidem nervi seu fibrillae, quae ordinarie perceptionibus doloris inserviunt, perceptionem sine dolore habeant, iam omnino alia perceptio a doloris perceptione diversa habetur, nempe simplex tactus, etsi forte idem sit nervus. Non enim in hac quaestione interrogandum est, qualis sit nervus producens, sed qualem perceptionem conscientia referat.

[1]) Secundum *A. Lehmann* causa physiologica generatim ea est, quod energia, quae in processibus psychophysicis consumitur, processu nutritivo compensatur vel non compensatur, secundum alios alia.

Proprietates utriusque generis sentimentorum, quae imprimis quidem sentimentis appetitivis, sed maxima ex parte etiam perceptionibus gratis et ingratis conveniunt, hae sunt: 385*

1. Sentimentis certa *intensitas* propria est. Quae a variis condicionibus pendet. Pendet a) a dispositione individuali. Alia est sensibilitas sani, alia aegroti, alia hominis delicati, alia durati, alia vegeti, alia fatigati; maior est in infante quam in adulto, maior in femina quam in viro; maxima vero est in hominibus ex nervis infirmis laborantibus. — b) Per consuetudinem, repetitionem, longiorem durationem intensitas minuitur. Ideo prima cerasa optima sunt, ideo etiam homines novas et in dies maiores delectationes venari solent. — c) Attentio augere, defectus vero attentionis minuere solet intensitatem et sensibilitatem. — d) Intensitas sentimenti etiam crescit, si sentimentum contrarium (in eodem genere) praecessit. Post longum morbum crescit gaudium sanitatis, subitaneus transitus ab uno sentimento ad contrarium in musica audienda intensitatem posterioris auget.

Quando complura sentimenta grata eiusdem generis invicem sequuntur, integra summa delectationis maxima evadit, si post minores delectationes maiores sequuntur, e. g. si in itinere regiones pulchriores post minus pulchras invisuntur.

2. Omnis perfecta et *conveniens operatio delectationem* 386* causare solet. „Ubicumque invenitur in aliquo cognoscente

operatio perfecta, ibi etiam invenitur operatio delectabilis . . Delectatio ergo est operationis perfectio.“ Ideo nova iucunde attrahunt, quia convenienti attentioni materiam offerunt; „nova magis delectant . ., quia a principio mens inclinatur studiose circa huiusmodi propter desiderium et admirationem et ita intense i. e. vehementer circa huiusmodi operatur. Ex hoc sequitur delectatio vehemens . . Postea autem, quando consueti sunt videre, non fit talis operatio . .; sed neglegenter operantur; et ideo etiam delectatio minus sentitur.“[1])

3. Sentimenta eodem tempore exsistentia *confluere* solent in generalem quandam unitatem vel mixtionem eoque magis, quo similiora et quo minus determinata et clara sunt. In festivo prandio ciborum delicatio, ornatus florum, concentus musicus, festivae vestes accumbentium ad unam hilaritatem producendam cooperantur. Psychologi disputant, num etiam sentimenta opposita, praesertim delectatio et dolor, hac ratione confluant. Multi negant asserentes, delectationem et dolorem tantum eatenus simul esse posse, ut alternatim modo unum modo alterum ex oppositis obiectis attendamus; alii autem et fortasse verius affirmant.

Perceptiones sensitivae gratae et ingratae, quarum plurimae plerumque simul in corpore sunt, in quandam generalem perceptionem totius dispositionis corporalis confluunt, cui nomen „sensus generalis“ (Gemeingefühl), qui magnopere habitualem indolem appetitus totamque vitam psychicam afficit. Inde illa hilaritas, morositas, excitatio, quae ex aetate, sanitate, morbo, nervorum infirmitate oriuntur.

Lenis illa, attamen diutius permanens affectio sentimentalis, qualis post aliquem affectum remanere solet et praesertim ex summatione simultaneorum sentimentorum resultat, vocari solet „Stimmung“ (disposition de l'âme, mood).

*387 4. Sentimenta, imprimis appetitiva, magnam *vim in reliquam vitam,* in psychicam et corporalem, exercere, iam supra indicavimus. Quod speciatim corpus attinet, in delectatione et gaudio pulsatio cordis arteriarumque fortior efficitur ideo-

[1]) *S. Thomas,* In X Ethic. l. 6.

que maior sanguinis copia in partes periphericas et cerebrum mittitur, respiratio autem celerior minusque profunda evadit; in dolore et tristitia e contrario generatim pulsationes breviores minusque fortes sunt, respiratio autem profundior est. In sentimentis concitatis pulsatio fortior et brevior, respiratio autem celerior et profundior est. Pariter musculi vasomotorii, qui venas arteriasque constringunt vel dilatant sentimentis afficiuntur; timor vasa constringendo pallorem, pudor dilatando ruborem producit, subitaneus terror vasa fortius contrahit atque etiam vasis cerebri claudendis mortem subitaneam adducere potest.




Fig. 27 (Sec. Wundt)

Fig. 27 ostendit mutatam cordis et arteriarum pulsationem. In *A* sentimentum concitationis psychicae (†) breviores et fortiores pulsus producit. In *B* sentimentum sollicitae exspectationis (†) pulsationes protractas et dilatatas efficit. In *C* delectatio gustus dulcis (†) pulsationes fortiores ac lentiores facit. In *D* ingratus gustus amarus (†) pulsationem debilitatam et acceleratam producit.




Fig. 28

Fig. 28 ostendit influxum simultaneum levis sentimenti ingrati in cor et respirationem. Linea superior exhibet mutationem respirationis certo apparatu (pneumographo) graphice descriptam: statim post sentimentum *a* quatuor respirationes mutantur, deinde iterum ordinarii sequuntur. Linea inferior ostendit, qua ratione mutata cordis pulsatione copia sanguinis per arterias brachii propulsata (Volumpuls) per brevissimum tempus minuatur; quae diminutio plethysmographo mensuratur.

Sentimenta etiam ad motus corporales inclinant; quibus se manifestant. Inter eos eminent motus vultus sive *mimici* et motus brachiorum sive *pantomimici.*

Demonst. 3. p. A duplici sentimento exposito, appetitivo 388*
et perceptivo, sedulo distinguendus est alius actus, qui quidem etiam interdum sentimentum sive sensus appellatur, attamen ab illis magno discrimine disiungitur, cuius discriminis neglectio perniciosam confusionem generare solet.

Non raro homines „sentire“ dicuntur Dei omnipotentiam in stellis, „sentire“ repugnantiam peremptionis animae, futurae retributionis necessitatem, internae legis moralis sanctitatem inviolabilem, dicuntur „sentire“ hoc et illud verum ac tenendum esse, praesertim in rebus supersensibilibus religiosis, moralibus, aestheticis, dicitur „sensus moralis“ indecentiam, „sensus aestheticus“ pulchritudinem apprehendere. Atqui, quod sic nomine sentimenti seu sensus designatur, est vera cognitio intellectualis, sed obscura absque distincta perceptione rationum, qualem cognitionem homines, praesertim scientia non exculti, de veritatibus supersensibilibus habere solent. In his exemplis non agitur de bono appetendo vel delectatione percipienda, sed de veritate apprehendenda; veritatis autem apprehensio ad cognitionem intellectualem spectat. His cognitionibus quidem plerumque sentimenta appetitiva adiunguntur, ut displicentia mali, complacentia pulchri, admiratio omnipotentiae; attamen praecipue obscura cognitio intellectualis latet, illa videlicet directa vel naturalis cognitio et certitudo, in qua mens quidem veritatem perspicit, attamen sine distincta conscientia rationum cognitioni scientificae propria. Haec naturalis cognitio vel „sensus“ tuto homines ducit in percipiendis veritatibus altioribus vitae humanae atque tutius saepe quam inquisitio scientifica, quae facile aberrare potest.[1]) Ergo vox sentimentum sive „sensus“ non raro obscuram cognitionem intellectualem significat.

*389 *Nota.* *Graves errores* inde oriuntur, quod haec obscura, sed vera cognitio perperam cum meris affectionibus appetitivis confunditur.

Veritas *religionis* naturalis et fidei christianae a plurimis non alia nisi hac cognitione obscura sive „sensu“ percipitur. Ambiguitas autem vocabuli „sensus, sentimenti“ deinde ad perversam seducit opinionem, religionem non in cognitione rationis niti, sed in solo affectu, qui non veram persuasionem intellectualem demonstrabilem gignat, sed tantum „fidem“ quandam sentimentalem.

Quod *ethicam* attinet, iam Shaftesbury († 1713) et F. Hutcheson († 1747) asserunt, in nobis esse sensum internum a ratione distinctum (moral sense), qui naturaliter alias actiones approbet, alias reprobet. Recentes autem iudicium de bono et malo sic a nobis fieri saepe affirmant, ut bonum dicamus, quod „sensum“ sive affectionem complacentiae, approbationis, delectationis, malum autem, quod displicentiae, reprobationis sensum excitet. Hac ratione bonum morale indole obiectiva absolutaque privari et subiectivum ac variabile reddi manifestum est.

Simili ratione Reid, Rousseau, Jakobi, alii generatim non rationis perspicientiam, sed quendam instinctum, sensum, animi affectionem ultimum *motivum certitudinis,* maxime in rebus altioribus, esse contendunt.

In simili errore versatur opinio, quae iudicia de pulchritudine rerum non ad intellectum, sed ad solum *„sensum“ aestheticum* spectare censet; unde nascitur contemptus regularum et inquisitionis philosophicae in rebus aestheticis et nimia libertas.

Isti errores omnes praecipue in hoc fundantur, quod diversa „sensus“ significatio ignoratur.[1])

---

[1]) Cf. Criticam, De certitudine naturali.

Vitiosae doctrinae de sentimentis. In hodierna psychologia diligentissimae inquisitiones de sentimentis instituuntur, quae a veteribus parum tractatae sunt. Sed etiam gravia vitia doctrinae committuntur. Aliqua iam indicata sunt. Restat, ut speciatim hae doctrinae commemorentur: 390*

1. Opinio frequens *sentimentum tertium genus supremum psychicum,* cognitioni et appetitioni coordinatum (Gefühl; sensibilité, affectivité; feeling) constituit. Quam divisionem, Rousseau affectuum cultore praeeunte, primi Tetens et Kant statuerunt. Philosophia vero scholastica cum sensu communi hominum semper duplex tantum supremum genus agnovit, cognitiones et appetitiones (n. 73). Et merito.

a) Quae in thesi exposita sunt, ostendunt, omnes actus, quae sentimenta sive sensus appellantur, vel appetitiones esse vel perceptiones, quae cognitionibus subsumuntur, vel obscuras cognitiones intellectuales, ut nullus locus sit tertio generi.

Sentimenta quidem appetitiva a tendentiis et volitionibus differunt, attamen non ita sicut uterque actus a cognitione, sed in hac communi essentia conveniunt, quod inclinationes in bonum, ergo appetitiones sunt. Sane displicentia, amor, gratitudo, quies delectationis sunt inclinationes in obiecta bona vel aversiones a contrariis malis; iam vero „appetitus nihil aliud est quam inclinatio appetentis in aliquid“[2]). Itaque una facultas appetendi duplex genus

---

[1]) Etiam *tactus* vocabulo ambiguo „Gefühl“ (feeling) designatur; et hinc videtur petita esse huius vocis translatio ad obscuram cognitionem intellectus significandam, quippe quae quoddam tangere est. — [2]) 1, 2 q. 8 a. 1.

actuum habet, unum imperfectius sentimentorum et affectuum, alterum perfectius tendentiarum. Actus tendendi videtur perfectionem sentimenti includere, quatenus, qui appetit et vult, etiam amat vel desiderat, sicut ferme etiam in iudicio apprehensio includitur. Ergo distinctio quidem rationis fieri potest: idem appetitus est facultas affectiva, quatenus sentimenta et affectus, potentia autem appetendi (strictiore sensu), quatenus actus tendendi elicit. At vero non adest duplex facultas essentialiter diversa.

b) Divisio ista tripartita, sentimentum appetitivum a volitione separans simulque a perceptione sensitiva vix discernens, vitam internam falsificare et malignis consecutionibus ansam dare potest. Et facile promovet nimiam illam sentimentorum aestimationem et a ratione voluntateque separationem, quam in rebus ad religionem, vitam moralem, educationem spectantibus non raro observamus.

c) Indicata divisio tripertita plerumque definitioni sentimentorum minus rectae, sed in hodierna psychologia frequenti innititur, sentimentum esse affectionem pure subiectivam et reactionem subiecti mere passivam nihilque nisi modum continere, quo subiectum aliqua re afficiatur. Propterea sentimentum a cognitione et appetitione eo discrimine fundamentali differre dicitur, quod cognitio et appetitio in obiectum referantur, sentimentum autem aliquid pure subiectivum sit. Haec descriptio quidem de sentimentis perceptivis eatenus vera est, quatenus haec non in obiectum a se distinctum sive externum, sed in obiectum immanens, nempe in se ipsa percipienda feruntur. Non autem vera est de sentimentis appetitivis, quae primario sentimenta (emotiones) vocantur; complacentia, amor, aversio, desiderium, timor sine dubio in obiectum a se distinctum, etsi saepe confuse apprehensum, feruntur.

*391 2. Multi *omnia sentimenta ad delectationem et dolorem reducenda* esse opinantur. Laudabili studio ducti, ut complexas functiones ad paucas simplices reducant, duo tantum sentimenta elementaria admittunt, delectationem et dolorem (Lust-Unlust, plaisir-douleur, pleasure-pain); omnia alia putant esse compositiones ex his sentimentis et ex repraesentationibus seu organicis perceptionibus iis adiunctis.[1]

[1] Plerique eorum insuper affirmant, omnes delectationes (sive dolores) esse eiusdem speciei, unde sequeretur, non esse essentiale discrimen inter sensibilem delectationem de cibo et complacentiam de pulchritudine imaginis vel gaudium de inventa veritate. Quae opinio admitti nequit, quia essentiale discrimen inter inferiora sentimenta et superiora spiritualia negat et conscientiae sanisque principiis philosophicis repugnat.

Haec sententia videtur primum a sentimentis perceptivis sumpta esse, qualia sunt grata affectio saturitatis vel dolor sensibilis. De his quidem sententia eatenus vera est, quatenus utique in gratas et ingratas dividi possunt. Sed ad sentimenta appetitiva applicari minime potest. Intelligi nequit, quomodo omnia ad delectationem et dolorem reduci queant. Amor vel odium non sunt delectatio, sed immo cum tristitia esse possunt, neque timor vel desperatio idem sunt ac dolor; neque omnia compositiones sunt, ut adversarii opinantur, sed amor et desiderium aeque et forte magis simplices ac elementares sunt quam delectatio et dolor. — Ideo iam numerus eorum crescit, qui ampliorem divisionem praeferunt.

3. Non pauci *sentimenta spiritualia negant,* etiam senti- 392*
menta sublimiora, velut religiosa, moralia, aesthetica, ex pure sensitivis constare opinantes. Sed certum est, nos emotiones habere, velut gratitudinis, amoris Dei, paenitentiae de peccatis, quae directe in obiecta supersensibilia feruntur ideoque ex cognitione intellectuali oriuntur; sentimenta autem sensitiva non sequuntur ex cognitione intellectuali. Praeterea in anima quoque separata sentimenta gaudii, tristitiae et alia insunt, quae tantum spiritualia esse possunt. Denique nulla ratio apparet, cur appetitiones inefficaces lenes non etiam in facultate spirituali esse queant.

4. Sunt, qui affirmant, omnia *sentimenta esse perceptiones sensibiles* 393*
gratas vel ingratas. Cuius opinionis duplex forma invenitur:

a) *Sententia physiologica* primum a C. Lange statuta, deinde a Ribot[1]), W. James[2]), Münsterberg aliisque recepta asserit, sentimenta esse perceptiones organicas gratas ingratasque, quae ex processibus physiologicis vitae corporalis, ex vasomotoriis, visceralibus, nutriti-

[1] „La thèse, que j'ai appelée physiologique (Bain, Spencer, Maudsley, James, Lange etc.) rattache tous les états affectifs à des conditions biologiques et les considère comme l'expression directe et immédiate de la vie végétative. C'est celle qui a été adoptée sans restriction aucune, dans ce travail." La psychologie des sentiments I[8] (1911) Préf. IX. — [2]) „My theory is that the bodily changes follow directly the perception of the exciting fact, and that our feeling of the same changes as they occur is the emotion . . We feel sorry because we cry, angry because we strike, afraid because we tremble, and not that we cry, strike or tremble because we are sorry, angry or fearful, as the case may be." Psychology ch. 24.

vis, muscularibus, respiratoriis, scilicet potissimum ex illis ipsis sequantur, qui communi opinione potius effectus corporales sentimentorum, quam eorum causae existimantur, ut igitur secundum hanc doctrinam, ut James fortiter loquitur, „propterea tristemur, quod fleamus", non e converso.

Haec sententia, quae ceteroquin iam fere communiter reicitur, verum dicit asserens vel supponens, sentimentis, praesertim vehementioribus, adiunctas esse affectiones corporales, quae perceptiones gratas vel ingratas secum ferunt. Sed errat nulla sentimenta appetitiva admittens omniaque, sensitiva et spiritualia, pro puris perceptionibus physiologice causatis habens, acsi amor amici, odium sceleris, dolor de infamia, gaudium de honore nihil sint nisi reactiones perceptivae processibus physiologicis productae.

b) Alii, ut James Mill, Bain, Ziehen dicunt, sentimentum solum esse *proprietatem perceptionis sensitivae:* omnem perceptionem praeter qualitatem et intensitatem tertiam habere proprietatem, tonalitatem (Gefühlston, tonalité); hanc esse ipsum sentimentum. — Perceptiones quidem gratae et ingratae, praesertim organicae, hanc tonalitatem habent et ideo „sentimenta" vocantur. Sentimenta autem appetitiva sensitiva vel immo spiritualia minime proprietates perceptionum sensitivarum sunt.

Art. 4. De actibus utriusque appetitus coniuncti

Licet magnum discrimen inter voluntatem et appetitum sensitivum intercedat, tamen, sicut intellectus et sensus, utpote similes facultates eiusdem animae, ita uterque etiam appetitus naturali quadam necessitate coniunctim agere solent, ut vix sit actus in uno, quocum non simul actus similis in appetitu altero, saltem tenuis, concurrat. Hoc agendi consortium paulo uberius explicandum est.

§ 1. De mutuo influxu utriusque appetitus

Th 17. **Tum appetitus sensitivus in voluntatem (A) tum voluntas in illum (B) influxum exercent, quo duo appetitus inter se ad similes actus pertrahere solent.**

394 **Demonst. A.** *Appetitus sensitivus in voluntatem* duplici modo influere solet, directe et indirecte.

a) *Directe* influit, quatenus eius actus in voluntatem redundant similia in ea sentimenta et affectus provocantes idque propter radicationem utriusque facultatis in eadem anima. Quia igitur appetitus sensitivus multum a dispositione corporis pendet, a valetudine, sexu, aetate, etiam voluntas ab illis continuum influxum patitur.

b) *Indirecte* influit, quatenus phantasiam regit, quae intellectum et per intellectum voluntatem secum trahit. Ita amor, odium, ira appetitus sensitivi, maxime si intensi sunt, phantasiam suis obiectis considerandis applicant, ad ea exaggeranda impellunt, a contrariis attendendis retrahunt, itaque fit, ut etiam intellectus a re omni ex parte consideranda abstrahatur et deliberatio impediatur idque saepe usque ad obcaecationem.

B. *Voluntas in appetitum sensitivum* pariter influxum exercet directum et indirectum, qui tamen uterque limitatus neque satis efficax est. 395

a) *Directum* influxum exercet per redundantiam proprii actus in appetitum sensitivum, i. e. actus voluntatis sola sua praesentia in eadem anima immediate excitat similem actum in alio appetitu. Hac ratione voluntas motus contrarios in appetitu sensitivo minuere vel paulatim in oppositos convertere potest.

b) *Indirecte* influit potissimum phantasiam regendo, quae appetitui sensitivo obiecta proponit. Potest enim attentionem imperando, moderando occupationem et perceptiones sensibiles phantasiam a considerando uno avertere et ad aliud applicare, potest eius activitatem augere et minuere. Sic aversio sensibilis cessare potest, si sensus ab ingratis in alio homine considerandis avocatur atque ad contemplandas meliores eius qualitates applicatur. Interdum voluntas etiam debiliores affectus minuere atque supprimere potest, si effectus corporales, quos affectus producere conantur, cohibet vel supprimit.

Appetitus sensitivus igitur etiam in *supersensibilia* moveri potest, velut amore in Deum, dolore in peccata commissa, et quidem saepe cum magna vehementia. Id non propterea fit, quod appetitui sensitivo grande bonum sensibile imaginatione proponitur, in quod feratur; immo obiectum sensibile plerumque admodum tenue obversatur. Sed eo efficitur, quod actus voluntatis, cui intellectus obiectum supersensibile proponit, in alium appetitum redundat (cf. n. 356.)

639 **Nota.** *Ergo appetitus sensitivus grave momentum* habet respectu voluntatis.

1. Saepe quidem voluntatem *impedit,* quando ipse in obiecta sensibilia fertur et in voluntate motus necessarios excitat, quibus voluntas resistere tenetur.

Nihilominus etiam voluntatem *multum iuvat.* Si enim motus sensitivi prompte cooperantur, voluntas in difficultatibus fortis efficitur, cum maiore certitudine et intensitate sensus, intellectum, facultates motrices applicat, etiam facile, ubi opus est, tenerum affectum ostendere potest. Sin autem appetitus sensitivus deficit vel contrarius est, voluntas infirma fit facileque succumbit.

2. Natura igitur humana secum fert, ut non voluntas sola, sed potius uterque appetitus harmonice coniunctus conaturale *principium appetens humanum sit.* Reapse vix est actus voluntatis quantumvis remissus, quem non aliquo modo appetitus sensitivus comitetur. Sed voluntas appetitus superior est; ab eius libertate moralitas derivatur et voluntatis etiam est appetitum sensitivum regere.

*§ 2. De corde

*397 In operatione appetitiva hominis specialem locum cor sibi vindicat. Universali enim consuetudine cor principium et sedes vitae appetitivae sive amoris habetur, atque interdum magis de corde quam de appetitu sermo fit. Explicandum igitur suscipimus, quid in tali loquendi more nomine cordis significetur. Quae res speciale momentum propter cultum SS. Cordis Jesu habet, qui ex longo tempore in Ecclesia laetissimos fructus fert. Obiectum enim huius cultus cor divini Salvatoris est; quaestio autem, quid igitur nomine cordis Salvatoris intellegendum sit, potissimum psychologica est, quid nempe generatim nomen cordis significet.

*Th. 18. **Vox „cor" significatione arctiore cor corporeum, significatione vero amplificata subiectum operationis appetitivae sive amoris designat.**

*398 **Demonst.** Duplex igitur obiectum voce cordis significari asserimus[1]):

[1]) Cf. *Th. Lempl,* Das Herz Jesu. Herausg. v. H. Noldin (1909). Qui liber praeter aliqua minus probanda praeclara ad hanc rem declarandam affert.

1um *obiectum cor corporeum* est, musculus ille carneus nervis multipliciter circumdatus ac penetratus, qui intra pectus motu automatico palpitat et centrum circulationis sanguinis est. Id prima et propriissima significatione vocis cordis denotari superfluum est multis exponere.

2um *obiectum integrum subiectum operationis appetitivae* 399*
sive amoris est.

Nomine *activitatis appetitivae* comprehendimus a) primo loco actus utriusque appetitus coniuncti, tum sentimenta et affectus tum actus liberos, itaque actus commiserationis, pietatis, tristitiae, timoris, maxime actus amoris, b) deinde illas quoque cognitiones intellectus, quae actibus appetitivis inspirantur, quales sunt recordatio beneficiorum, memoria amicorum, non autem studia theoretica. *Subiectum* igitur sive principium et sedes activitatis appetitivae comprehendit omnia, quae ad hanc eliciendam directe concurrunt. Manifestum autem est, ad ista non tantum cor corporeum, sed praeterea alia pertinere, quae infra exponentur, proinde hanc posteriorem significationem esse priore ampliorem.

Iam igitur etiam hanc amplificatam cordis significationem esse frequentissimam, *demonstrat* usus loquendi tum profanus vitae communis tum sacer, quem divinae litterae et consuetudo ecclesiastica observant. Etenim a) dicitur cor gaudere, laetari, exsultare; sermo fit de tribulationibus, desideriis, petitionibus cordis, de corde mundo, contrito, humiliato, impaenitente; monemur, ut Deum diligamus ex toto corde, ut recti et iusti, mites et humiles simus corde; Cor Iesu dicitur bonitate et amore plenum, saturatum opprobriis. — b) Etiam cogitationes illae, quae cum vita appetitiva cohaerent, cordi tribuuntur, maxime in modo loquendi orientalium, quem etiam s. Scriptura adhibet; dicuntur enim homines errare corde, mala cogitare in cordibus, in corde suo haec vel illa dicere.

Accuratius inquirentes, *quid subiectum et principium activitatis appetitivae includat,* facile invenimus, ad id pertinere a) imprimis animam cum duplici potentia appetitiva et cum

intellectu, in quantum appetitu inspiratur, b) cor corporeum, quod ad affectus concurrit tamquam praecipua sedes corporalium affectionum. Affectiones autem corporales inseparabilis proprietas et quasi pars omnium affectuum sunt. Ideo affectus in corde quasi in subiecto residere nobis videntur. c) Cor divinum Salvatoris etiam divinam naturam ac personam Verbi includit, quippe quae maxime est principium activitatis (divino-humanae) internae Christi Dei-Hominis.[1]) Itaque significatio posterior ad priorem se habet sicut eius ampliatio, quia praeter cor corporale etiam alia comprehendit. Cor secundum priorem significationem acceptum brevi nomine corporale, alterum psychicum appellemus.

*400 **Corollaria.** 1. Itaque cor psychicum Salvatoris realiter spectatum maiorem partem substantiae hominis complectitur, attamen non ut personam, quippe quae ultimum subiectum est, de quo omnia, quae hominis sunt, praedicantur, sed ut *a persona habitam:* est principium appetitivum personae. Similiter fere ad personam se habet sicut anima, quae substantia quidem, attamen simul aliquid personae est, nempe principium, quo persona vivere concipitur. Tamen etiam cor directe *alloqui* licet, sicut fere animam Christi alloquimur, etsi non persona, sed aliquid personae est.

2. Quia cor psychicum sedes vitae appetitivae intellegitur, actiones illae, quae ad activitatem appetitivam internam non pertinent, vel omnino non vel minus convenienter *de corde praedicari* possunt. Itaque minime dicere licet, Cor Iesu locutum esse, ascendisse in caelum, ambulasse per castella Galilaeae.

*401 3. Colligitur, significationem hanc, qua cor principium activitatis appetitivae intellegitur, *non penitus diversam* esse ab alia, qua solum cor corporeum designatur; sed illam priorem esse huius extensionem quandam atque obiectum huius ut partem in obiecto illius includi. Proinde in usu

[1]) Quod confirmat usus Ecclesiae; nam homines, familiae et totum genus humanum divino Cordi consecrantur, quod proinde etiam divinitatem includere debet.

vocis simpliciter ab una in aliam significationem transire licet, non penitus mutando, sed tantum paulum modificando vocis sensum. Itaque recte in una etiam propositione vel contextu diversa praedicata de eodem corde enuntiantur, ut si dicitur Cor Iesu in sinu matris formatum (cor corporeum) simulque patiens et multae misericordiae (principium activitatis appetitivae), si dicitur lancea perforatum simulque oboediens usque ad mortem. Neque significatio posterior simpliciter *metaphorica* et impropria, sed significationis propriissimae aliqua extensio est; similis fere (sed non aequalis) sicut cum pes ad significandum totum crus, Neo-Eboracum vel Salisburgum a significanda urbe ad regionem appellandam extenditur. Tamen haec altera significatio non omnino propria est, sed aliquid dictionis figuratae et symbolicae ei admixtum est.[1])

4. Quia cor corporeum actibus appetitivis afficitur ita- 402*
que in eo amor manifestatur, ubique gentium *symbolum amoris* habetur; ubique imagine cordis amor repraesentatur et post mortem cordi veneratio tribuitur. Idcirco etiam „Redemptoris nostri praecipua caritatis beneficia sub sacratissimi cordis symbolo recoli coepta sunt".[2]) Cor igitur, quod symbolum amoris habetur, cor corporeum est, quatenus organum manifestativum amoris est, non vero cor psychicum. Hoc posterius non solum symbolum est, amorem menti sistens, quale etiam cor mortuum esse potest, sed vivum subiectum et principium amoris. Cor corporeum est symbolum cordis psychici.

5. Supra diximus, „Cor Jesu" non ut personam Christi, 403*
sed ut aliquid personae concipiendum esse. Tamen notandum est, usum loquendi mutabilem esse eoque significationem vocabulorum determinari, ut illa significatio recta habenda sit, quam universalis loquendi consuetudo vocabulo subicit. Ita etiam fieri potest, ut paulatim nomine

[1]) Conceptui cordis psychici valde affinis est alius, qui vocabulo germanico „Gemüt" subest. Sed hoc intercedit discrimen, quod in posteriore nullus ad cor corporeum respectus continetur. Cf. *J. Jungmann,* Das Gemüt² (1885). — [2]) S. Rituum Cong. 20. Junii 1889.

„*Cordis Jesu*“ *persona Christi cum corde spectata* designetur, ergo illud totum, quod imagines Cordis Jesu exhibere solent. Iam vero hic concipiendi loquendique mos magis magisque in usu vulgari invalescere conspicitur. Quo usu sensim effici potest, ut „Cor Jesu“ significationem personalem accipiat, attamen semper ita, ut persona Christi significetur sub respectu amoris. Simili ratione „Immaculata Conceptio“ initio solum insignem qualitatem B. V. designavit, paulatim vero factum est, ut nunc etiam ipsam personam hac qualitate ornatam significet.

*404 **Principium activitatis appetitivae propterea „cor“ dicitur** seu propterea in usu communi ad significandum hoc principium nomen a corde corporeo, non a capite sumitur, quia operatio appetitiva specialem nexum cum corde corporeo habet. Quae conexio in eo consistit, quod activitas appetitiva in corde corporeo perceptibili modo apparet et quasi residere videtur. Nam potissimum in corde sensibiliter manifestatur; non quidem ita, ut actus voluntatis vel intellectus cor carneum directe afficiant; sed ut actus appetitus sensitivi et per eos etiam actus voluntatis affectiones cordis producant. Hac ratione cor primarium organum manifestativum appetitus est. Sicut cogitationes potissimum in capite sensibiliter manifestantur ideoque caput cogitare dicitur, ita amor in corde corporeo manifestatur ideoque cor amare dicitur.

Revera nullum affectum habemus, qui cor non afficiat: ira excitat eius motum, in gaudio pulsus cordis vegetior, in tristitia languidior fit. Diligentior inquisitio experimentalis etiam docet, vix ullum esse motum appetitus, etsi lenem, qui non aliquo modo motum cordis et venarum inde resultantem modificet (n. 387). Haec cordis sensibilitas ex multiplici nervorum plexu oritur, quo circumdatur et penetratur, et ex plurimis fibrillis nerveis, quibus cum systemate cerebrospinali coniungitur; sic facile excitationes accipere potest. Alii ex his nervis id proprium habent, ut pulsum cordis retardent, alii, ut accelerent; praecipuum influxum et quidem retardantem n. vagus exercet, qui ex cerebro descendit.

Nullum igitur dubium est, quin cor primarium *organum* 405*
manifestativum operationis appetitivae sit. Atque hoc sufficit, ut cor praecipuum symbolum amoris habeatur et ut nomine cordis etiam totum principium activitatis appetitivae designetur, quia videlicet in corde manifestatur. Vulgaris opinio insuper existimare solet, cor organum quoque elicitivum appetitionum esse. Quod certe de appetitione spirituali, quae etiam in „corde“ includitur, dici non potest, quippe quae in nullo organo est. Quid de appetitione sensitiva iudicandum sit, supra (n. 357) exposuimus.

Art. 5. De libertate voluntatis

Unam e gravioribus quaestionibus aggredimur. Libertas voluntatis est nobile decus humanae naturae. Confert 406
enim homini facultatem, ut, aliter ac brutum, dominus sit actionum suarum, ut libere voluntati Dei se subicere, vitam moralem agere, virtutes meritaque sibi comparare possit. Quapropter multum interest, ut libertas voluntatis contra adversarios huius temporis, quorum maxima est multitudo, solide defendatur.

Sed si affirmamus, voluntatem liberam esse, non intendimus asserere, eam solummodo actus liberos, non simul etiam necessarios elicere.

*§ 1. De actibus necessariis voluntatis

*Th. 19. **In voluntate actus necessarii indeliberati sunt (1. p.). Immo videntur omnibus actibus liberis actus necessarii praecurrere (2. p.).**

Declar. Actus sive motus *necessarii* illi actus sunt, quos 407*
voluntas omittere non potest. Necessitas autem, quam asserimus, a *coactione* differt, quae tantum adest, si quid in subiecto contra suam inclinationem fit. Actus igitur voluntatis coactus esset, si per vim externam illatam contra propriam voluntatis inclinationem poneretur. Talis vero actus in voluntate impossibilis est. Membra quidem corporis vi externa contra inclinationem moveri possunt. Omnis autem actus voluntatis ab ipsa voluntate ex eius natu-

rali inclinatione in bonum, proinde non a vi externa contra eius inclinationem procedit.[1])

Sed non repugnat, ut, quando condiciones ad libertatem requisitae non adsunt, voluntas cum necessitate in actus prorumpat. Id accidit in actibus *indeliberatis,* qui a deliberatione rationis non pendent. Ad actum enim liberum seu electionem, quippe quae semper inter plura fit, praerequiritur, ut intellectus voluntati varia obiecta ad eligendum proponat, i. e. aliquam deliberationem faciat. Si igitur voluntas, ut primum intellectus *unam* rationem boni vel mali apprehenderit, statim vi suae naturae in prosecutionem vel aversionem prorumpit, motus necessarius indeliberatus habetur.[2]) Itaque asserimus, eiusmodi motus admittendos esse, non tantum si usus rationis ligatus est, ut in ebriis, amentibus, dormientibus, sed communiter in condicionibus ordinariis.

*408 **Demonst. 1. p.** Saepissime experimur, statim, ut primum aliquod obiectum bonum vel malum intellectu apprehendimus, antequam deliberatio fit, adesse in nobis actum, qui bonum prosequatur seu malum aversetur, saepe etiam duos motus contrarios experimur, si obiectum partim bonum partim malum est vel duo obiecta opposita proponuntur: sentimus in nobis dolorem, si de aerumnis Ecclesiae, displicentiam, si de facinore commisso, gaudium fortasse, si de malo adversarii nuntium audimus; saepe simul inclinationem in bonum prohibitum et complacentiam virtutis contrariae experimur. Hi motus etiam frequenter perdurant, quando iam per actus deliberatos renitimur. *Atqui* hi sunt actus voluntatis, quia in obiecta supersensibilia feruntur, et quidem actus necessarii, quia indeliberati sunt nobisque invitis perdurant. Ergo sunt in voluntate actus necessarii indeliberati.

[1]) „Actus voluntatis nihil est aliud quam inclinatio quaedam procedens ab interiore principio cognoscente, sicut appetitus naturalis est quaedam inclinatio ab interiore principio et sine cognitione; quod autem est coactum vel violentum, est ab exteriore principio. Unde contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus vel violentus.“ 1, 2 q. 6 a. 4. — [2]) Quem moralistae motum primo primum appellant.

Plerique horum actuum motus lenes inefficaces sive *sentimenta* sunt. Sed etiam vehementiores sive *affectus* esse possunt. At volitiones non sunt, quia tantum per actus liberos „velle“ dicimur. Cum actibus necessariis voluntatis fere semper appetitus sensitivus coniungitur.

Demonst. 2. p. 1. Saepissime in diversis adiunctis experi- 409*
mur, oriri in nobis, ut primum bonum vel malum intellectu apprehendimus, ex necessitate naturae motus necessarios. Atqui, quod saepissime in diversis adiunctis experimur ex necessitate naturae oriri, videtur secundum generalem legem naturae fieri. Quod autem secundum generalem legem naturae fit, semper fit. Ergo semper, cum bonum vel malum apprehenditur, id quod ante omnem actum liberum contingit, actus necessarii adesse et actibus liberis praecurrere videntur.

2. Videmur experiri, nobis psychologice *impossibile* esse, ut actu libero in obiectum tendamus, nisi prius obiectum nos per complacentiam alliciat. Atqui haec complacentia (vel displicentia) est motus necessarius voluntatis. Ergo videmur experiri, ante omnem actum liberum postulari et praecurrere actum necessarium.

Itaque ad actum liberum praeter deliberationem etiam semper haec altera condicio praerequiri videtur, ut obiectum motu necessario causando voluntatem quasi ingrediatur, afficiat et inclinet et sic volitionem praeparet, quae huic tractioni consentit vel non consentit. Non tamen propterea haec tractio *motivum* dicenda est; sic perperam recentes psychologi interdum loquuntur. Motivum volendi est bonum, quod cognoscitur, motus necessarius autem non est bonum, quod movet, sed potius motio boni, qua movet.

3. Etiam *ratio theologica* thesim confirmat. Ad omnem actum super- 410*
naturalem liberum, etiam quando homo habitibus supernaturalibus instructus est, gratia actualis illuminationis et *inspirationis* requiritur. Haec inspiratio autem in actu indeliberato consistit, qui, Deo determinante, per voluntatem elicitur et voluntatem ad actum liberum inclinat. „Quis animo amplectitur aliquid“, ait Augustinus, „quod eum non delectat? aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit?“[1])

[1]) Ad Simplicium I 2 n. 21.

§ 2. De exsistentia et ambitu libertatis

411 1. *Libertas latissime* intellecta dicitur quaevis immunitas a vinculo vel impedimento, tali potissimum, quo quis certo modo agendi adstringitur. Pro vario vinculo sive impedimento varia distinguitur libertas: a) Libertas *a vinculo legis,* ab imperio superioris, ab auctoritate. Talis est libertas politica, libertas conscientiae, religionis, preli, scientiae, libertas cogitandi; quae libertates vel legitimae vel illegitimae sunt, prout vincula, quae recusantur, indebita vel debita sunt. — b) Libertas *a coactione* vel vi illata contra propriam inclinationem. Hanc avis habet, cum „libere" in aerem se elevat. — c) Libertas *a necessitate interna,* qua quid, si omnes condiciones ad agendum adsunt, propria natura ad agendum determinatur. Haec est libertas, quam voluntati vindicamus. Itaque si equus esurit et foenum praesto est, necessitate interna ad comedendum determinatur, ut facultas ad oppositum exclusa sit. Hominem autem voluntate libera praeditum, si esuriat et cibus paratus sit, asserimus non determinari natura sua ad hoc unum, ut comedat, sed posse comedere et non comedere, hominem ipsum se determinare.

412 2. *Libertas voluntatis* igitur in eo consistit, quod voluntas, *quando omnia ad agendum requisita adsunt, non est determinata ad unum, sed ipsa se determinare potest* ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum. Vocatur etiam libertas electionis (Wahlfreiheit, libre arbitre), quia est potestas eligendi inter duo, vel libertas *indifferentiae,* quia non adest determinatio ad unum. Itaque libertas indifferentiae non est tantum libertas a coactione, quam etiam animalia habent, sed libertas a necessitate interna; est ea voluntatis potestas, ut, cum unum vel plura obiecta proponuntur, nulla physica necessitate ad unum volendum determinetur, sed ipsa se determinare possit ad volendum, ita scilicet, ut simul possit etiam non velle vel aliud velle.

Sed contra adversariorum insinuationes notandum est, voluntatem non ideo *independentem* esse a motivis et quibusvis aliis condicionibus. Nam ut voluntas actum liberum

ponere possit, necessarium est obiectum cognitum, quod, quando actus ponitur, ut motivum influit, praeterea necessarii sunt motus indeliberati praecurrentes, qui voluntatem alliciant, denique deliberatio requiritur. Atque tam valida possunt esse motiva tamque fortes motus allicientes, ut voluntas vehementer ad unum certum volendum trahatur. Libertas igitur non in eo consistit, quod voluntas nullum eiusmodi influxum patitur, sed in hoc, quod, etiamsi omnia ad agendum necessaria adsunt et quamquam vehementer allicitur, tamen immunis manet a *necessitate* physica et determinatio ad volendum ab ipsa procedit, et quidem ita, ut possit velle et non velle, possit eligere inter duo bona aequalia, possit etiam minus bonum maiori praeferre; etsi imprudens sit ita agere, impossibile voluntati non est.

Haec libertas duplicem quasi partem complectitur: a) liber- 413
tatem *exercitii* seu contradictionis, quae est potestas ad agendum vel non agendum, b) libertatem *specificationis* sive contrarietatis, i. e. potestatem eligendi inter obiecta actusque diversos, qui se invicem excludunt, velut inter malum et bonum, inter diligere et odisse, inter studere et orare. Praecipua est libertas exercitii, quam libertas specificationis supponit et includit; nam si quis inimicum iuvare vel occidere potest, hoc ideo accidit, quia potest iuvare et non iuvare, occidere et non occidere.

Th. 20. **Voluntas in actibus deliberatis libertate indifferentiae praedita est.**

Declar. 1. Asserimus, voluntatem in actibus *deliberatis* 414
libertate praeditam esse, quia actus liber comparationem complurium rationum supponit, quae deliberatio appellatur.[1]) Nam ut voluntas inter duo vel plura eligere possit, opus est, ut intellectus prius complura vel unum sub varia ratione proponat: ut locus sit libertati specificationis, duo diversa proponenda sunt, ut libertas exercitii locum habeat,

[1]) „Considerare, utrum hoc sit agendum aut hoc, quod est deliberare, opus est rationis." *S. Thomas,* 3 De anima l. 16. „Libertas cuiuslibet actus provenit ex variis rationibus, quae sunt in obiecto vel in ipsomet actu, et ex formali vel saltem virtuali collatione earum." *Suarez,* Disp. met. d. 19 s. 8 n. 19.

requiritur, ut obiectum una ex parte bonum, alia ex parte tamquam non necessarium vel ipse actus appetendi tamquam superfluus sive molestus apprehendatur.

Doctrina, quae voluntati libertatem indifferentiae vindicat, *indeterminismus* vocatur. Sed propter falsas adversariorum insinuationes duplex indeterminismus distinguatur: a) Indeterminismus *immoderatus* (absolutus), qui voluntati plenam independentiam a motivis et inclinationibus subiectivis tribuit, ut nullum influxum ab iis patiatur. Talem non defendimus, sed data opera refutabimus; attamen adversarii eum saepe nobis imputant. — b) Indeterminismus *moderatus*, qui tantum defendit, voluntatem, licet per motiva et inclinationes influxum patiatur, iis non cum necessitate determinari, sed determinationem ab ipsa procedere.

415 2. *Historiam quaestionis* quod attinet, sensus quidem naturalis omni aetate sine haesitatione libertatem professus est, non aeque clare et certo tractatio scientifica. Inter Graecos praesertim *Aristoteles*[1]) clare et recte docet, voluntatem libertate indifferentiae praeditam esse, quando deliberatio rationis praecedat. Sed libertatem tantum ad electionem mediorum spectare asserit, videlicet hac ratione, quod finis volendi (remotus) in omnibus beatitudo sit, quam cum innata propensione appetamus et propter quam particularia bona quasi tamquam media ad beatitudinem obtinendam intendamus. *Plato* libertatem, imputabilitatem, meritum et demeritum actionum humanarum firmiter tenet. Attamen expositionem psychologicam de libertate obscuram reddit, quia in anima sua rationali (τὸ λογιστόν), quae rationem et voluntatem comprehendit, non satis utramque facultatem discernit: nimis rationi dominatum in homine attribuit secundum sententiam socraticam docens, si cognitio recta sit, etiam voluntatem rectam esse, ut virtus et scientia virtutis idem fere dicantur. Quae doctrina intellectualistica neoplatonicos (Plotinum) rexit atque etiam scriptores posteriores eatenus affecisse cernitur, quatenus saepe in describenda libertate formulis intellectualisticis utuntur,

[1]) Eth. Nicom. II cc. 1–8.

quasi libertas in ratione sit. Stoici docentes, omnia necessitate naturali et fatalismo regi, libertati, consequenter saltem, locum non relinquunt; voluntatem per indolem suam naturalem determinari asserunt.

Aetate christiana unanimi utique consensu libertas affir- 416
matur. Sed in ea describenda interdum clara distinctio inter praerequisitam deliberationem et ipsam voluntatis determinationem desideratur, quatenus, minime quidem ab Augustino nec a plerisque aliis, sed quandoque ab aliis libertas ita *formulis intellectualibus* describitur, quasi eius sedes in ratione sit. Ita Boethius interdum dicit, libertatem spectare ad rationis deliberationem, non ad voluntatem (videlicet non ad voluntatem stoicam, quae natura necessaria dicitur), et libertatem „iudicium liberum“ definit. Quae libertatis denominatio aevo medio frequenter invenitur, etsi simul expresse libertas voluntati addicitur; nihil enim aliud hoc verbo significare intendunt, quam quod nos dicimus „velle deliberatum“. *S. Thomas* distincte docet, libertatem in voluntate inesse, deliberationem autem necessariam suppositionem esse[1]); subinde etiam formulas intellectuales adhibet, sed interdum vim earum expresse restringens (liberum arbitrium est „quoddam iudicium“, „quasi quaedam scientia“, „acsi diceretur liberum iudicium“). Porro s. Doctor, cum Aristotele asserens libertatem media, non finem respicere, similiter tantum finem ultimum, beatitudinem, prae oculis habet.[2])

Tempore recenti complures sectarum fundatores, Wiclif, 417
Lutherus, Calvinus, Iansenius, libertatem negarunt. Eadem sententia magis magisque philosophiam ingressa est; Hob-

[1]) „Liberum arbitrium est appetitiva potentia.“ 1 q. 83 a. 3. „Electio substantialiter non est actus rationis, sed voluntatis.“ 1, 2 q. 13 a. 1. Similiter 2, 2 q. 24 a. 1 ad 3 De ver. q. 14 a. 6; q. 24 a. 1 et alibi. — [2]) „Appetibile, quod naturaliter appetitur [beatitudo], est aliorum appetibilium principium et fundamentum. In appetibilibus autem finis est fundamentum et principium eorum, quae sunt ad finem, cum, quae sunt ad finem, non appetantur nisi ratione finis. Et ideo, quod voluntas de necessitate vult quasi naturali inclinatione in ipsum determinata, est finis ultimus, ut beatitudo . . ad alia autem non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed propria dispositione absque necessitate.“ De ver. q. 22 a. 5.

bes materialista, Hume scepticus, Spinoza pantheista, Comte positivista, St. Mill, Spencer, Herbart, Wundt eam docent. Recentissimo tempore in philosophia dominatum tenet, paucis aliud sentientibus. Rationes huius erroris vulgati variae exstant. Multi falsam opinionem de libertate habent, quam nempe in absolutam independentiam convertunt ideoque voluntati denegant. Alii capere non possunt, vitam spiritualem non eadem regi necessitate, qua leges naturae. Accedunt doctrinae materialismi et pantheismi, quae solum necessitatem mechanicam vel divino-fatalisticam admittere possunt. Denique commoditas doctrinae allicit, quae imputabilitatem et conscientiae remorsus tollit.

418 3. Doctrina, quae defendit voluntatem semper cum necessitate determinari, *determinismus* vocatur. Duae potissimum eius formae distingui possunt:

a) Determinismus *psychologicus,* qui nunc solita determinismi forma est, statuit, voluntatem cum necessitate determinari per cognita motiva et characterem personalem, qui ipse sit effectus indolis naturalis et vitae anteactae.

b) Determinismus *materialisticus* actus voluntatis pro effectibus seu phaenomenis pure corporeis habet ideoque necessitati physicae subiectos esse concludit. In hunc modum adhuc interdum, attamen raro loquuntur.

c) Determinismus *metaphysicus* omnis paene determinismus hoc sensu vocari potest, quod suppositionibus metaphysicis innititur. Sed peculiari iure illi determinismum metaphysicum defendisse dicendi sunt, qui existimant, voluntatem determinari per Deum, ut Lutherus, Calvinus, Jansenius, vel per necessitatem fati sive universi pantheistici, ut stoici, Wiclif, Spinoza.

419 *Kant* hanc sententiam construit: Distinguendum est inter hominem empiricum, qui experientiae apparet, et hominem secundum id, quod est in se, hominem intellegibilem; prior non est liber, sed omnes actiones per eius characterem causantur, itaque subest legi causalitatis (quam videlicet sic enuntiat: quidquid fit, causa seu ratione praecedente determinatur), homo vero intellegibilis liber est ita, ut huic legi causalitatis non subsit. Porro voluntatem intellegibilem ait esse rationem characteris empirici, quippe quam libere elegerit. Similem doctrinam *Schopenhauer* habet. *Bergson* libertatem idem ponit cum qualibet spontaneitate, immo cum generali causalitate virium naturalium.

420 Recentissimi, determinismo *psychologico* plerumque addicti, ita loqui solent: „Sine determinismo psychologico nulla psychologia, nulla

generatim scientia idealis possibilis est. Non potest [determinismus] relinqui, nisi contra legem naturae offenditur, qua iubemur ubique ad causatum causam quaerere."[1]) „Sententia enuntians, unumquemque desiderandi vel non desiderandi libertatem habere, quae propositio realis in dogmate liberi arbitrii continetur, tum analysi conscientiae tum iis, quae in capitibus praecedentibus contenta sunt, exclusa est."[2]) „Nemo existimat, desideria nostra esse libera"; „copiosa evidentia, quam ex humano modo agendi et ex nostra interpretatione huius modi agendi derivamus, sufficit ad concludendum, actiones, sensationes, motiones, cogitationes non minus rigorosae determinationi causali subiacere quam motus planetarum."[3]) „Semper explicamus actiones voluntarias omnium hominum extra nos secundum principium causalitatis per characterem et circumstantias. Sane, aliter vita socialis impossibilis esset, cum hominis vita in societate cotidie involvat multas praedictiones actionum aliorum, quae in experientia fundatae sunt."[4]) „Psychologia sicut quaevis alia scientia debet esse deterministica."[5]) „Quaestio multum disputata, num ‚libera voluntas' exsistat hoc sensu, quod sine causa electio fieri possit, in scientia naturali non admittitur. Hic libertatis conceptus experientiae contradicit."[6]) Anima concipitur „praedita voluntate libera, i e. neque externis causis neque internis motivis determinata. Hanc proprietatem omittimus, quia omnem psychologiam impossibilem reddit"[7]) „Omnis actio humana est effectus ne-

---

[1]) *Wundt:* „Ohne diesen psychologischen Determinismus ist keine Psychologie und keine Geisteswissenschaft überhaupt möglich. Ihn aufgeben hieße gegen das Vernunftgesetz verstoßen, nach dem wir überall zu dem Bedingten die Bedingung zu suchen haben." Ethik[4] III (1912) 50. — [2]) *H. Spencer:* „That every one is at liberty to desire or not to desire, which is the real proposition involved in the dogma of Free-will, is negatived as much by the analysis of consciousness as by the contents of the preceding chapters." Principles of Psychology § 219. — [3]) *G. H. Lewes:* „No one supposes, that our desires are free" „All the massive evidence to be derived from human conduct, and from our interpretation of such conduct points to the conclusion, that actions, sensations, emotions and thoughts are subject to causal determination no less rigorous than the movements of the planets." The Study of Psychology 109 102. Cf. Maher, Psychology[6] 417. — [4]) *Sidgwick:* „We always explain the voluntary action of all men except ourselves on the principle of causation by character and circumstances. Indeed, otherwise social life would be impossible, for the life of man in society involves daily a mass of minute forecasts of the actions of other men founded on experience." The Methods of Ethics I ch. 5. — [5]) *Höffding,* Psykologi. Ed. germ.[4] 458. — [6]) *E. Bleuler:* „Die viel umstrittene Frage, ob es einen ‚freien Willen' gebe in dem Sinne, daß ohne Ursache die Entscheidung getroffen werden könne, besteht für die Naturwissenschaft nicht. Dieser Begriff der Freiheit widerspricht nicht nur der Erfahrung; er kann nicht einmal theoretisch durchgedacht werden." Naturgeschichte d. Seele (1932) 210. — [7]) *A. Lehmann:* Man denkt sich die Seele „mit einem freien, d. h. von äußeren Ursachen und inneren Motiven nicht determinierten Willen ausgestattet. Von dieser letzteren Bestimmung [der Seele] können wir hier gänzlich absehen, weil sie jede Psychologie unmöglich macht." Grundzüge d. Psychophysiologie (1912) 21.

cessario oriundus ex praesenti natura agentis et externis adiunctis . . Posita igitur eadem ‚natura' iisdemque externis adiunctis nulla alia actio fieri potuisset, quam quae accidit."¹) „Observatio docet, omne delictum duobus condicionum generibus concurrentibus produci, una ex parte proprietate individuali delinquentis, altera ex parte adiunctis externis eum circumdantibus, physicalibus et socialibus et praesertim oeconomicis."²) Libertas dicere vult, „decretum voluntatis per cuncta antecedentia (motiva et characterem) non ad unum determinatum esse . . Libertas ita intellecta psychologice omnino reicienda est, et ex parte ethicae tam parum postulatur, ut e contrario tantum in opposita sententia de moralitate et imputatione morali sermo esse queat."³)

Qui determinismo *materialistico* addicti sunt, fortius necessitatem eamque physiologicam inculcare solent. „Positis excitationibus externis et repraesentationibus memoriae actio certa aeque necessario sequitur, ac lapis a substrato solutus certa via cum certa celeritate cadit."⁴) „Scimus nunc, omnem actum voluntatis aeque organisatione individui volentis determinatum et a circumstantiis externis dependentem esse sicut omnes alias animae actiones."⁵)

421 **Demonst.** *1. Arg. Ex conscientia. In actionibus* voluntatis permultis, si manum, pedem movemus, si stamus, legimus, evidenter experimur nos ita agere, ut possimus etiam non agere et quovis momento ab agendo recedere. Quod peculiari modo manifestum est, si obiectum apprehendimus stipatum multis rationibus ingratis, ut magnam difficultatem in eo efficaciter eligendo sentiamus, et nihilominus obiectum amplectimur. Porro continuo distinguimus actiones liberas ab aliis, quae in nostra potestate non sunt, e. g. a motibus primo primis. Saepe etiam longiorem deliberationem instituimus inter varia motiva vel media et electionem differimus; quod etiam ostendit, motiva nos non necessario ad unum appetendum rapere sicut bruta, quae non deliberant. *Post actiones* autem ex eadem conscientia evidens memoria permanet, nos potuisse etiam aliter agere. Ideo actiones nobis imputamus, bonas laudi nobis tribuimus, quod, cum in nostra potestate fuerit malum facere, bonum fecerimus, malas autem actiones nobis culpae tribuimus et paenitentiam sentimus. Haec conscientia *culpae* et stimuli paenitentiae nullo conatu deleri possunt; sine dubio etiam adversarii a conscientiae remorsu liberi non sunt, quem scelestissimi quoque experiuntur, qui numquam se excusare audent, quod, quae perpetrarunt, cum necessitate fecerint. Iam vero culpa et paenitentia ibi non sunt, ubi aliter agere in potestate non fuit. Haec conscientia concomitans et subsequens aeque clara est ac perceptio, qua nos cogitare, gaudere apprehendimus. — *Atqui* quod evidenti conscientia experimur, verum habendum est. Alioquin si huic evidenti cognitioni fidendum non est vel immo si fallit, in nulla re iam evidentiae nostrae fidendum, proinde generatim menti humanae de veritate cognoscenda desperandum est. — Ergo voluntas in actibus deliberatis libertate indifferentiae praedita est.

Adversarii variis modis vim argumenti infringere conantur. a) Quidam factum conscientiae simpliciter *negare* audent. Sed in cassum. 422
Neque credendum est asseverantibus, se hac conscientia carere. Certe non carent clarissima et spontanea conscientia, quae in omnibus est, quam ipsi theoreticis inventis obfuscant. Et modo agendi eam manifestant, paenitendo, actiones sibi aliisque culpae tribuendo, alios reprehendendo, puniendo. Simili ratione etiam sceptici negant, se ullam habere cognitionem certam, quod tamen non creditur.

b) Si libertas *immediate perciperetur*, non possent tam multi eam negare vel dubitare. — *Resp.* D. si perciperetur perceptione intuitiva i. e. simili claritate praedita, qualis in intuitione visus re-

¹) *E. Adickes:* „Jede menschliche Handlung ist eine notwendige Resultante aus dem augenblicklichen Wesen des Handelnden und aus den äußeren Umständen, in denen er sich befindet . . Bei demselben ‚Wesen' und unter denselben äußeren Umständen hätte also keine andere Handlung geschehen können als die, welche wirklich geschehen ist." Zeitschr. f. Philos. u. phil. K. 116 (1900) 34. — ²) *F. Liszt:* „Die Betrachtung lehrt, daß jedes einzelne Verbrechen durch das Zusammenwirken zweier Gruppen von Bedingungen entsteht, der individuellen Eigenart des Verbrechers einerseits, der diesen umgebenden äußeren, physikalischen und gesellschaftlichen, insbesondere wirtschaftlichen Verhältnisse andrerseits." Strafrecht²⁰ (1914) 75. — ³) *Heymans:* Willensfreiheit „soll besagen, daß die Willensentscheidung durch ihre gesamten Antecedentien (Motive und Charakter) nicht eindeutig bestimmt ist. Die Untersuchung wird zum Ergebnis führen, daß eine Willensfreiheit in diesem Sinne psychologisch unannehmbar und für die Ethik so wenig erfordert ist, daß umgekehrt nur auf dem Boden der entgegengesetzten Auffassung von Sittlichkeit und sittlicher Beurteilung die Rede sein kann." Einführung in d. Ethik² (1922) 83. — ⁴) *Ziehen:* „Mit Naturnotwendigkeit erfolgt bei gegebenen äußeren Reizen und gegebenen Erinnerungsvorstellungen eine bestimmte Handlung ganz ebenso notwendig, wie der von der Unterlage gelöste Stein in einer bestimmten Richtung mit bestimmter Geschwindigkeit fällt. Freiheit des Willens in diesem Sinne existiert für die physiologische Psychologie nicht." Leitfaden d. physiologischen Psychologie¹¹ (1920) 31. — ⁵) *Haeckel:* „Wir wissen jetzt, daß jeder Willensakt ebenso durch die Organisation des wollenden Individuums bestimmt und ebenso von den jeweiligen Bedingungen der Außenwelt abhängig ist wie jede andere Seelentätigkeit." Welträtsel II 7.

peritur, quae nulla ratione obfuscari potest C. aliter N. Non omnis perceptio intuitio est.[1]) (Propter hanc difficultatem nonnulli auctores scholastici dubitant, num certitudo de libertate immediata, an forte solum mediata sit. Libertatem actus sine dubio immediate percipimus. Si eam non immediate perciperemus, non elucet, quomodo mediate de ea constare posset.)

c) Plerique hanc conscientiam pro *illusione* habent, quae ex eo oriatur, quod non clare motiva perspiciamus, quae nos determinaverint, et propterea arbitremur nos aliter agere potuisse. Praeivit Spinoza: „Falluntur homines, quod se liberos esse putant, quae opinio in hoc solo consistit, quod suarum actionum conscii et causarum ignari sunt, a quibus determinantur."[2]) — *Resp.* 1) Clara conscientia testificans a nobis determinationem procedere, nullis cavillationibus obscurari potest. Et stultum est opinari, omnes homines in re maxime obvia tanta illusione invincibili perpetuo teneri. 2) Falsum est, motiva agendi numquam ab agente, v. g. a fure, qui facinus diu praeparavit, clare perspici. 3) Denique si motiva determinantia inconscia sunt, unde adversarii sciunt, iis nos determinari? Et quomodo ex hoc, quod causas et motiva nescimus, tantam persuasionem haurimus, *nos* nosmetipsos determinasse? In motibus primo primis motiva plerumque parum perspicimus, tamen conscientiam libertatis non habemus.

423 d) In volendo immediate experior actum, qui fit, *non modum, quo fit,* videlicet in mea potestate esse eum omittere. — *Resp.* N. Percipio actum ita a me procedere, ut continuo in mea potestate sit ab eo recedere. Sicut non tantum experior meam manum moveri, sed etiam eam a me moveri (etsi nescio, quomodo id fiat), sic simul experior, manum libere ita a me moveri, ut motionem etiam omittere queam.

e) Dicimur conscientiam habere libertatis ante actum, in actu, post actum. Atqui saltem *conscientia ante et post actum* haberi nequit, quia conscientia solum praesentia, non futura nec praeterita percipit. — *Resp.* D. mai. tantum conscientia concomitans conscientia stricte dicta sive percipiens est, conscientia vero antecedens et consequens solum conscientia memorialis est ex pristinis perceptionibus relicta, attamen certa C. aliter N. Ergo conscientia antecedens et consequens in conscientia concomitante fundantur.

f) *Paenitentia* est dolor de actione infelici. Sed actio infelix esse potest, etsi libera non sit. — *Resp.* Paenitentia vera respicit actionem infelicem liberam, non qualemcumque.

g) *Somniantes et hypnotisati* putant, se libere agere, etsi libertatis incapaces sunt. Ergo conscientia libertatis nihil demonstrat. — *Resp.* D. ant. haec opinio, si adest, eadem evidentia praedita est sicut conscientia in statu normali N. aliter Tr. In somno et in hypnosi ordinarius usus rationis deficit. Quando vero hypnotisati

---

[1]) Cf. Log., De generibus idearum; Psychol. n. 289. — [2]) Ethica II prop. 35.

imperia in hypnosi accepta postea, instigati impulsu ex priore suggestione relicto, exsequuntur, vix umquam omnis libertas ablata est.

h) Conscientia testificans, *„me aliter agere posse"*, tantum apparens est et ita oritur: antea in similibus rebus (attamen cum aliis motivis et cum necessitate) aliter egi, quae recordatio falsam opinionem generat, me nunc aliter agere posse. — *Resp.* N. Conscientia praesens percipit, me nunc in his novis condicionibus aliter agere posse, non solum in illis praeteritis aliter egisse.

2. Arg. Ex persuasione generis humani. Apud omnes gentes 424
omnis aetatis viget firma persuasio, homines multas actiones cum libertate ponere. Quae persuasio his manifestatur: a) Ubique quaedam actiones *imputantur* laudi vel culpae, tribuuntur vitio vel virtuti, aestimatur earum meritum et demeritum. Iam vero haec persuasionem libertatis supponunt. Tunc enim „actus imputatur [imputatione morali] agenti, quando est in potestate eius ita, ut habeat dominium sui actus" (Thomas); nemo enim columbae mansuetudinem, asini patientiam virtuti vel merito tribuit neque ea, quae ex inadvertentia vel in somno fiunt, tamquam culpae vituperantur. b) Ubique *poenae* statuuntur ad satisfaciendum pro culpa, pro lege violata. Quae consuetudo pariter libertatis persuasionem manifestat. Poena enim alii non imponitur, si constat, eum sine culpa esse et aliter agere non potuisse, eoque minor imponitur poena, quo minor libertas fuit, e. g. minor pro occisione ex aestu passionis perpetrata quam pro deliberata; brutis tantum „poenae" improprie dictae infliguntur, non pro culpa ad satisfaciendum iustitiae, sed ut timor iniciatur. c) Porro omnes adhibent consilia, *admonitiones, minas, preces* hac intentione, ut alios ad libere agendum moveant; si haec media effectum sortiuntur, laudant, sin minus, exprobant. — *Atqui* persuasio tam universalis et constans, quae insuper vitam humanam ubique regit et commoditati vitae contraria est, error esse nequit, quia non aliunde quam ex natura rationali provenire potest, quae in errorem tendere nequit; sive, aliis verbis, talis persuasio tantum ex veritate certo cognita orta esse potest. Ergo voluntas libertate praedita est.

Contra argumentum haec proferuntur: a) *Imputabilitas* adest, 425
dummodo ipse homo auctor actionum fuerit, etiamsi aliter agere non

potuit. „Proprietas responsabilitatis moralis", inquiunt, „opinione nostra ubique in causalitate indolis individualis sita est."[1]) „Imputatio et responsatio iuridica solum libertatem in sensu psychologico supponunt."[2]) — *Resp.* N. Aliter etiam eadem imputatione morali, sicut homini, ferocia equo, qui equitem laedit, et saevitia leoni imputanda esset. Ad imputabilitatem requiritur, ut homo auctor et dominus actionis fuerit cum libertate se determinans. Ceterum iam ex stoicis, qui omnia naturali necessitate determinari docebant, aliqui (Chrysippus) imputabilitatem eadem ratione salvare conati sunt, quod „causa principalis" omnis actionis propria hominis natura sit et propterea actio homini ascribenda sit.

b) Finis *poenae* non est, ut pro culpa satisfiat, sed tantum ut delinquentes corrigibiles in futurum emendentur sive deterreantur, incorrigibiles autem (incarceratione vel occisione) in perpetuum a societate separentur; ergo poena infligi potest, etsi nulla est libertas. Haec nunc opinio multorum iuris criminalis doctorum est, qui determinismo addicti docent, delicta esse effectus necessarios dispositionis individualis et condicionum socialium, finem poenae autem hunc tantum esse, „ut incorrigibiles innocui efficiantur, corrigibiles vero emendentur" (Fr. Liszt). — *Resp.* N. quae asseruntur. 1) Omnibus persuasum est, etiam delinquentes generatim liberos esse, etsi interdum propter defectus naturae vel pravam educationem vehementiores inclinationes patiantur. 2) Finis et natura poenae depravantur. Talis „poena" non differt a poena brutis et mente captis inflicta. Poena proprie dicta tantum propter culpam infligitur, quae sine libertate non est. 3) Etiam modus poenae infligendae vitiatur. Poenam corrigibilium non iam culpa, sed indoles delinquentis, proinde leges psychologicae et medicinales determinarent, et etiamsi minor esset culpa, tamen maior poena infligenda esset, quando maior apparet corrigendi difficultas; neque elucet, cur semper malum infligendum, non autem cura sanatorii praescribenda sit; incorrigibiles autem, qui post unum delictum incorrigibiles agnoscerentur, statim in perpetuum incarcerandi essent.[3])

426 *3. Arg. metaphysicum.* Intellectus, utpote potentia universalis, voluntati simul *varias obiectorum rationes* proponere potest. Potest a) obiectum una ex parte cognosci bonum et simul alia ex parte non apparere necessarium ad plenam felicitatem hominis; b) potest eadem res apprehendi sub una ratione ut bona, sub alia ut mala, possunt denique

---

[1]) *Wundt:* „Nun liegt für uns das Merkmal der sittlichen Verantwortlichkeit überall in der Kausalität des Charakters." Ethik[4] III 52. — [2]) *F. Paulsen:* „Die Zurechnung und die rechtliche Verantwortlichkeit hat lediglich die Freiheit im psychologischen Sinn zur Voraussetzung. Sofern sich der Wille eines Menschen in seiner Tat ausdrückt, ist sie seine Tat und er dafür verantwortlich." Ethik[10] I 469. — [3]) Cf. Eth. II, De iustitia criminali.

duo bona diversa apprehendi, quae non simul haberi possunt. Atqui supposita hac cognitione voluntas libera est libertate indifferentiae. a) Nequit necessitati subiecta esse respectu bonorum, quae non ut necessaria ad plenam beatitudinem proponuntur. Nam voluntas adest propter bonum substantiae, cui inest, proinde eodem modo circa bonum se habeat oportet sicut substantia ipsa. Si igitur aliquod bonum non apparet naturae humanae necessarium ad beatitudinem, neque voluntas se gerere potest, acsi absolute necessarium esset, alioquin rectus ordo deesset. Ergo adest libertas *exercitii.* b) Ob eandem rationem, si duo bona proponuntur, quorum neutrum necessarium apparet, voluntas eligere potest, quod vult, etiam minus bonum; etenim potest neutrum velle. Sane non intellegitur, si video nihil plane interesse, pedem dexterum an sinistrum moveam, cur cum necessitate ad unum determiner. Denique si idem obiectum simul bonum et malum apprehenditur, potest id vel aversari ut malum vel prosequi ut bonum. Adest igitur libertas *specificationis* seu contrarietatis. Ergo voluntas libertate indifferentiae praedita est.

„Manifestum est autem", inquit Thomas, „quod bona particularia non habent necessariam conexionem cum beatitudine, quia sine quolibet eorum potest homo esse beatus. Unde, quantumcumque proponatur aliquod bonum particulare ut bonum, voluntas non ex necessitate in illud tendit."[1]) Itaque hoc „iudicium indifferens" intellectus, duplex obiectum sive duplicem eiusdem obiecti rationem proponens, ratio remota libertatis est. Hoc modo „totius libertatis radix est in ratione constituta"[2]). Sed subiectum libertatis utique voluntas, non intellectus est, quia actus liber actus voluntatis est.

4. Arg. Ex sequelis perniciosis. Negata libertate ordo 427
moralis, quo vita humana a beluina essentialiter differt, tollitur et conatus virtutis perimitur. Atqui haec admitti nequeunt. Talis enim inversio vitae humanae tantopere naturali evidentiae contradicit, ut neque adversarii eam defendere velint. Ergo admittenda est libertas.

Demonst. mai. a) Negata libertate actiones nostrae desinunt esse moraliter bonae et malae, quia ab omnibus so-

---

[1]) De malo q. 3 a. 3. Similiter 1, 2 q. 13 a. 6. — [2]) De ver. q. 24 a. 2.

lum actus liberi morales dicuntur; desinit obligatio, praeceptum et lex, quia nemo ad id obligatur, quod iam cum necessitate physica facit vel omittit; cessant culpa, paenitentia, poena, virtus, quarum notiones et usus ubique gentium a libertate inseparabiles sunt. Ita vita humana omni moralitate exuitur, sicut vita amentis vel bruti: homo qui in omnibus unice amore Dei et proximi regitur, eandem virtutem habet ac homo flagitiis onustus, scilicet nullam, hic non plura peccata habet quam ille, discrimen morale utriusque non est maius, quam quod inter agnum innocentem et lupum rapacem intercedit, homini scelesto non magis remorsus conscientiae curandi sunt quam sancto. — b) Negata libertate non iam conatus virtutis adhibendus est sive quietismus sequitur, quia omnia cum ineluctabili necessitate fiunt.

428 **Obiectiones contra libertatem.** 1. Actus liber est actus, qui *causam non habet.* Ergo offendit contra principium causalitatis. Haec est consueta contra libertatem indifferentiae accusatio: „Indeterminismus docet, esse actus voluntatis, qui causam non habent" (Höffding), „liberum arbitrium dicit, voluntatem vel singula eius decreta causam non habere" (Paulsen), libertas est „infelix conceptus libertatis a causalitate" (Windelband), „quia effectus ex aliqua causa semper necessarius est, actus non liberi, sed necessarii sunt" (Schopenhauer). — *Resp.* N. ant. Actio libera habet causam sufficientem: obiectum movens est causa finalis, voluntas autem causa efficiens, quae tamen ita agit, ut possit etiam non agere. Adversarii falso supponunt, ad conceptum causae requiri, ut ex ea effectus cum necessitate procedat.[1])

Probo ant. Praecipua causa sufficiens actus liberi, eum determinans, voluntas esse dicitur. Atqui voluntas non est causa sufficiens. — *Resp.* C. mai. N. min.

Probo min. Si voluntas causa sufficiens esset, esset ratio, cur potius actus poneretur, quam non poneretur, hic potius quam alius. Atqui voluntas indifferens ad agendum vel non agendum non potest esse ratio, ut potius actus ponatur, quam non ponatur et hic potius quam alius. — *Resp.* D. mai. ratio est voluntas in actu secundo spectata seu sic volens C. voluntas in actu primo seu solum

[1]) Idcirco saepissime in recenti philosophia et scientia naturali in locum genuini principii causalitatis ‚quidquid incipit, causam habet' haec alia formula substituitur: ‚quidquid fit, determinatum est per praecedentes condiciones'. Quod nulla ratione demonstratur. Hac formula supposita utique sequitur, omne, quod fit, ita cum necessitate fieri, ut aliud fieri nequeat.

ut potentia spectata Sd. sic continet *potestatem* ad hunc actum ponendum C. iam continet rationem, ut infallibiliter cum necessitate hic actus prodeat N. Cd. min. non potest ratio esse voluntas spectata in actu secundo N. spectata in actu primo Sd. sic non est ratio, ut possit hoc velle N. non est ratio, ut infallibiliter et necessario hoc velit C.

Itaque voluntas in actu primo nondum est determinata ad unum certum actum; aliter hic actus cum necessitate ex voluntate prodiret. Sed ratio, cur voluntas ita et non aliter se determinet, est ipsa eius determinatio; in hoc enim ultimo libertas consistit, quod voluntas vult, quia vult. Determinatio autem est ipse actus, quatenus sine necessitate a voluntate procedit.[1])

2. Voluntas necessario semper *bonum maius* eligit, ergo vix umquam libera est. Nam a) necessario illud eligit, quod ei magis placet; alioquin id non eligeret. Quod autem magis placet, ut maius bonum apprehenditur. b) Nequit esse ratio sufficiens, ut voluntas minus bonum maiori praeferat (Leibniz). — *Resp.* N. ant. Etsi homines plerumque bonum maius eligunt et saepe imprudens est minus bonum eligere, tamen necessitas non adest. Ad rat. a) D. quatenus hoc „magis placere" est ipsa electio huius prae alio in actu secundo C. quatenus intellegitur vel iudicium antecedens intellectus de maiore pretio boni vel vehementior motus indeliberatus praecedens N. Ad rat. b) N. Ratio sufficiens ex parte obiecti haec est, quod minus bonum etiam bonum et maius bonum non necessarium est ideoque omitti potest, ex parte voluntatis autem ratio libertas est. 429

3. Ante actum voluntatis praecedit *iudicium practicum* ultimum: hoc nunc faciendum est; voluntas autem hoc iudicium necessario sequitur. Id multi thomistae affirmant. Atqui sic actus non iam cum libertate ponitur. — *Resp.* N. mai. vel. D. praecedit iudicium ‚hoc omnibus consideratis hic et nunc conveniens et appetibile est'

[1]) De Valentia, Lugo, De San (De Deo uno 180 ss.), Lahousse putant, determinationem non esse ipsum actum liberum, sed esse modum quendam sive formalitatem ratione a voluntate distinctam, quam voluntas sibi *ante* actum conferat quaeque ratio sit, cur deinde hic actus sequatur. — Sed haec sententia valde difficilis est. Nam 1) ista libera determinatio activa voluntatis nihil esse potest nisi aliqua voluntatis actio, aliquod liberum velle. Ideo intellegi nequit, quomodo differat ab actu secundo libero, seu cur determinatione posita hic actus liber non superfluus sit. 2) Determinatio activa est nova perfectio voluntatis, quae neque eminenter neque formaliter sive aequivalenter in voluntate creata inerat; terminatio quidem libera voluntatis divinae, ad quam illi auctores provocant, in eius entitate infinita eminenter continetur, quomodo autem idem in voluntate creata esse possit, non intellegitur. Ideo spectato principio contradictionis durum est capere, voluntatem realiter eandem manere et tamen novum modum acquirere. Denique 3) de hac ipsa determinatione iterum quaestio redit: quomodo voluntas indifferens se determinat ad hunc modum potius quam ad alium? Si hic modus non aliam determinationem praecedentem supponit, neque actus liber eam requirit.

et hoc posito iudicio voluntas etiam non velle potest C. hoc posito cum necessitate vult N. C. min. Cf. n. 361. S. Thomas, ad quem provocant, contrarium docet: „Quantumcumque ratio unum alteri praefert, nondum est unum alteri praeacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur in unum magis quam in aliud; non enim voluntas de necessitate sequitur rationem.“[1])

4. Liberum velle ad *processum in infinitum* ducit ideoque impossibile est. Etenim velle liberum est se determinare ad hanc volitionem, se determinare autem iterum aliquod velle liberum est, ante quod novum se determinare praecedit, itaque sine fine. [Schopenhauer.[2])] — *Resp.* D. sed ita, ut se determinare et libera volitio realiter idem sint C. aliter N.

430 5. Certa est lex *constantiae energiae*, quae dicit: si una energia in aliam convertitur, nova orta aequivalet priori ablatae et sic constanter eadem summa energiae in mundo manet. Iam vero huic legi voluntas subtraheretur, si facere posset, quod vellet. — *Resp.* D. mai. haec lex valet de viribus factisque materialibus C. de spiritualibus N. Ad min. subtraheretur quoad ipsos actus voluntatis (de quibus lex non valet) Tr. quoad motus membrorum aliasque mutationes corporales libera voluntate productas N. Istae omnes ita peraguntur, ut nulla a lege constantiae necessario fiat exceptio, cum omnes ita perficiantur, ut semper pro energia materiali una consumpta alia aequalis producatur.

6. *Statistica moralis* ostendit, magnam esse constantiam in actionibus humanis simulque constantem dependentiam earum a causis internis et externis: idem fere semper est numerus eorum, qui furati sunt vel se aliosve occiderunt, iidem numeri criminum in diverso sexu, diverso tempore anni etc. Iam vero ubi talis constantia et dependentia est, ibi est necessitas et determinatio. — *Resp.* a) Constantia illa statistice demonstrata, quae ceteroquin fluctuationibus minime caret tantumque ad paucas actiones externas refertur, potissimum ex hoc provenit, quod non particularia facta singillatim, sed tantum eorum collectiones spectantur et comparantur, quo fit, ut variationes in casibus particularibus invicem exaequent; si enim hoc anno aliqui bibuli se convertunt in una civitate, in alia novi accedunt. — b) Sed *constantia non obstat libertati.* Homines enim propter motiva et rationes se determinant et quidem ita, ut plerumque praeferant, quod iis absolute vel relative, spectatis suis inclinationibus et necessitatibus, maius bonum apparet vel quod iam antea saepe agere decreverunt. Ideo in iisdem adiunctis constanter agere solent. Sed haec est constantia libera. Si quis constanter cotidie deambulat, tamen conscientiam habet, se libere agere.

7. Potestas, quam indeterminismus voluntati tribuit, impossibilem reddit educationem, cum alumnus semper facere possit, quod placet; committit etiam vitam humanam fortuito lusui arbitrii et impedit omnem praevisionem actionum humanarum. — *Resp.* D. haec locum habent in indeterminismo moderato N. in immoderato C. Quia

---

[1]) Ver. q. 22 a. 15. — [2]) Preisschrift über die Willensfreiheit (1849).

homines propter motiva se determinant et quidem ita, ut plerumque praeferant bona, quae iis absolute vel relative maiora videntur, et modum agendi iam aliquando a se ipsis decretum observant, debitus locus remanet educationi, qua alumnis recta bonorum cognitio rectaeque inclinationes conferantur, quae deinde in actiones influunt, locus manet praevisioni saltem probabili actionum, immo etiam locus legibus statisticis moralibus, etsi hae non eadem constantia praeditae sunt, qua leges naturales. Ceterum neque deterministae actiones humanas, quamquam eas necessarias interpretantur, cum certitudine praevidere possunt.

8. *Psychopathologia* ostendit, eos, qui ex aegrotatione psychica 431 laborant, non raro ineluctabili necessitate ad actiones adigi. Etiam docet, esse „delinquentes natos“, qui cum necessitate ad scelera committenda impellantur.

Resp. 1) Tr. totum. Agimus tantum de hominibus normalibus, non autem quaerimus, quando et quantopere in hominibus ex anomaliis laborantibus libertas minui vel auferri queat.

2) Quod hanc alteram quaestionem attinet, haec inter alia proferri solent:

a) Saepe homines, quorum intellegentia integra est, cruciantur imaginationibus et motibus *coactivis* (Zwangsantriebe), quibus contra voluntatem perpetuo sollicitantur, ut blasphement, furentur, se interficiant. — *Resp.* Hisce motibus certe libertas minuitur, ut saepe libertas ad graviter peccandum requisita deesse possit. Sed penitus ablata generatim non est, nisi vel habitualis vel subitanea mentis turbatio accedit.

b) Alii ex *melancholia* ad suicidium impelluntur. — *Resp.* S, melancholia non perfecta est, libertatem non penitus aufert.

c) Sunt, qui laborant ex *dementia morali* („moral insanity“), quidum in aliis integra intellegentia et affectu utuntur, in rebus moralibus, praesertim quod aliorum amorem attinet, et in iis solum affectu et iudicio carent, ut tranquillo animo et absque conscientiae remorsu passiones suas sequantur solo egoismo ducti. — *Resp.* Tales homines, si quidem sunt, rarissimi sunt; in quibus sine dubio libertas et imputabilitas minutae sunt. Sed vix non semper universalis intellegentia debilitata est.[1]) Ceterum talis animi moralis habitudo et torpor etiam ex peccandi consuetudine oriri potest.

d) Quod illos attinet, qui *ex consuetudine scelera committunt,* concedendum est, eos saepe ob peculiares defectus corporales vel pravam educationem vehementiores passiones et minorem honestatis sensum ideoque saepe minorem libertatem habere; sed minime sequitur, eos cum necessitate agere.

C. Lombroso eiusque „Schola anthropologica“ speciatim docuerunt, delinquentibus, praesertim iis, qui ex consuetudine delicta

---

[1]) „So typische Fälle, in denen die intellektuelle Begabung wirklich gut ist, sind jedoch sehr selten. Viel häufiger ist ein Überwiegen der moralischen Mängel bei gleichzeitiger Debilität.“ *Bumke,* Lehrbuch der Geisteskrankheiten[3] (1929) 289.

committunt, quosdam defectus, velut anomalias sensuum ac sentimentorum, brevem frontem, nasum curvatum, exiguam barbam, copiosos capillos, limos oculos communes esse, qui defectus illis similes sint, quos homines psychice aegroti (praesertim epileptici) et feri habeant; ideo tales amentibus esse aequiparandos et ad scelera cum necessitate impelli. — Sed tantum aliqua pars malefactorum aliquos ex illis defectibus habet, e quibus hic „typus delinquentium" componitur; contra etiam in hominibus honestis tales defectus inveniuntur. Neque ea similitudo corporalis cum psychice aegrotantibus adest, quae statuitur, neque, si aliqua nonnumquam adest, consequitur delinquentes psychice graviter aegrotari. Ceterum ista doctrina relicta censeri potest. „Inquisitio scientifica adhuc nullum typum malefactoris habitualis invenit. Ita doctrina a Lombroso eiusque asseclis defensa in se collabitur."[1])

Psychopathologia magnum meritum comparavit, quod ad varias causas libertatem minuentes attentionem convertit, quae in antiqua consuetudine criminali neglegebantur. Attamen eius auctores magnam propensionem ad libertatem nimis restringendam manifestare solent.

Ad libertatem magis declarandam ulterius aliqua de eius notione et ambitu exponenda sunt.

Th. 21. **Voluntas in actibus liberis a motivis et variis condicionibus pendet, quae faciunt, ut libertas humana limitata sit (1. p.). Ideo indeterminismus immoderatus reiciendus est (2. p.).**

432 **Declar.** Quod saecula praeterita non ignorarunt, libertatem humanam non esse absolutam independentiam a motivis et inclinationibus neque esse plenam omnipotentiam, ut voluntas cum summa facilitate velle possit, quodcumque placeat, neque ulla indigeat confortatione, id nunc diligenter commemorandum est contra modernos deterministas, qui libertatem indifferentiae perpetuo describunt non libertatem a necessitate, sed plenam independentiam ab omni influxu obiecti et inclinationum.

433 **Demonst. 1. p.** Actus liber est electio inter duo, quae per cognitionem et deliberationem intellectus voluntati proponuntur eamque per actus indeliberatos alliciunt. *Atqui* talis actus a motivis et variis condicionibus pendet, quae faciunt, ut libertas humana variis modis limitata sit. Ergo.

---

[1]) *Fr. v. Liszt*. „Die wissenschaftliche Forschung hat bisher keinen Typus des Zustandsverbrechers ergeben. Damit fällt die Lehre Lombrosos und seiner Anhänger in sich zusammen." Strafrecht[20] 77.

Demonst. min. a) Actus liber ab influxu obiecti sive *motivi* pendet. Nam (1) motivum ut causa finalis in actum liberum influit, *quando elicitur,* quia voluntas velle non potest nisi propter finem seu motivum. Motivum igitur ratio seu causa est, cur volitio oriatur, causa nempe finalis, sed talis, quae necessitatem non infert, sed tantum in actu secundo movet, *si* voluntas libere moveri se sinit. (2) Motivum etiam *antea* motibus indeliberatis necessariis ad actum liberum trahit; quibus motibus voluntatis fere semper appetitus sensitivus coniungitur, maxime si obiectum sensibile est. Quo fortiores igitur actus indeliberati sunt[1]), eo magis libertas minuitur. Iam vero eo fortiores sunt, quo maius apparet bonum apprehensum, quo clarior est eius apprehensio, quo maior est habitualis hominis inclinatio in illud obiectum. Indoles motuum indeliberatorum pendet praeterea a dispositione habituali appetitus sensitivi et phantasiae, a temperamento, sexu, aetate et aliis.

b) Ante actum liberum *cognitio* necessaria est, qua obiectum voluntati proponitur; quo clarior haec est, eo fortius voluntas trahitur, e. g. ad bona sensibilia vehementius quam ad supersensibilia. Praeterea non solum qualiscumque cognitio obiecti, sed *deliberatio* requiritur seu recta comparatio inter duo vel plura; quo magis igitur impedita est, eo minor est libertas. Deliberatio autem impediri solet per phantasiam vagam vel inordinatam, per actus appetitus attentionem in suas partes trahentes et exaggerationes causantes, per somnolentiam, mentis fatigationem, ebrietatem, morbos psychicos, per ignorantiam. Recta deliberatio etiam multum ab hominis experientia, educatione, instructione pendet.

Ex his omnibus colligitur, libertatem multum pendere: 434
1) ab *indole habituali* subiecti. Pendet a sanitate corporis et mentis; alterationes corporis vel animi, velut irritabilitas pathologica, mentis imbecillitas, degeneratio psychica cum anomaliis sentimentorum vel nisuum, melancholia et morbi

---

[1]) In ethica et theologia morali concupiscentia antecedens vocari solent.

psychici deliberationem minuunt, affectus modificant, vim voluntatis debilitare et libertatem etiam penitus auferre possunt. Pendet a charactere naturali acquisito et proinde etiam a stirpe et parentibus, a sexu, aetate. Pendet denique a vivendi consuetudine, ab occupatione, paupertate vel divitiis et aliis. — 2) Libertas pendet ab *actuali dispositione* subiecti, a statu valetudinis, a dispositione animi, prout homo vel quietus vel excitatus, hilaris vel tristis, fatigatus vel vegetus est. — 3) Pendet ab *adiunctis externis,* ab educatione stulta sive prudenti, religiosa sive irreligiosa, ab exemplis, a condicione materiali, morali et religiosa temporis, a caelo, ab anni et diei tempore.

Itaque ad rectum usum libertatis varia *subsidia* necessaria sunt, praesertim clara sui cognitio, disciplina et mortificatio inclinationum et phantasiae, roboratio voluntatis per victoriam sui, cautus agendi modus, maxime vero auxilium gratiae.

435 **Demonst. 2. p.** Indeterminismus immoderatus voluntati plenam independentiam a motivis et inclinationibus tribuit. Atqui talis independentia non adest. Ergo indeterminismus immoderatus reiciendus est.

Th. 22. **Voluntas in praesenti vita libera est libertate exercitii circa omne bonum (1. p.), libertate autem specificationis tam circa bona particularia creata quam circa Deum (2. p.).**

436 **Demonst. 1. p.** 1. Ut voluntas, si de aliquo bono appetendo agitur, ab actu prosecutionis abstinere penitus nequeat, oportet hoc bonum *perfecta cognitione ut bonum adaequatum* hominis apprehendatur, eius totam capacitatem boni explens, vel tamquam necessarium medium ad hoc. Si bonum non ita necessarium apprehenditur, neque voluntas ad id appetendum necessario adigitur. Nam ordinatio voluntatis in bonum respondet ordinationi humanae naturae in bonum; quia voluntas propter bonum naturae prosequendum adest, proinde talis est in voluntate boni prosecutio, quale est (seu apprehenditur) bonum naturae. Si igitur aliquod bonum naturae humanae non plane necessarium apparet, neque

voluntas cum necessitate in eius appetitionem rapitur, aliter deesset rectus ordo et voluntas potentia inordinata et irrationabilis esset. *Atqui* in praesenti vita nullum bonum ita necessarium apprehenditur: non Deus, quia bonum quidem adaequatum hominis est, attamen non ut tale perfecte cognoscitur, non beatitudo in communi, quia eam apprehendendo tantum indeterminate et imperfecte felicitatem nostram percipimus. Ergo voluntas in praesenti vita libera est libertate exercitii circa omne bonum.

Itaque voluntas tantum hypothetice aliquod bonum cum necessitate velle adigitur, quando scilicet agitur de medio unico ad finem adhibendo, quem iam antea absolute decrevit.

2. Idem experientia docet. — Quod beatitudinem attinet, homo quidem appetitu naturali in beatitudinem tendit, utpote ex natura sua ad eam appetendam ordinatus. Sed ex eo non sequitur, voluntatem semper, quando beatitudo apprehendatur, necessario actum prosecutionis elicere, immo potest molestum apprehendi saepe talem actum elicere

Demonst. 2. p. Omnia bona particularia, tum creata tum 437
bonum increatum, sive vere sive per errorem sub aliqua ratione *ut mala apprehendi* itaque non solum obiecta prosecutionis, sed etiam aversionis fieri possunt. Ergo voluntas libera est libertate specificationis tam circa bona particularia creata quam circa Deum.

At bonum in communi vel beatitudo in communi (itaque beatitudo non aliqua determinata, velut in possessione Dei sita, sed beatitudo abstracte spectata seu ‚plena felicitas') non possunt sub ratione mali apprehendi, tantum amari possunt. Ideo voluntas circa bonum et beatitudinem in communi non est libera libertate specificationis.

*§ 3. Falsae sententiae de natura libertatis

*Th. 23. **Illa libertas, quam deterministae moderni suam faciunt, non est genuina libertas voluntatis.**

Declar. Veram libertatem indifferentiae deterministae re- 438*
pudiant. Nihilominus simpliciter libertatem denegare nolunt.

Ideo sensum vocis mutant: veram libertatem in eo sitam esse proclamant, quod actio ex propria hominis indole personali non impedita procedat, non autem determinata sit causis externis, ut minis, suggestione, vel internis indeliberatis ac caecis impulsibus, ut subitaneis affectibus. Itaque libertatem non hanc esse dicunt, quod sine necessitate interna agamus, quippe quae necessitas semper adsit et ex charactere individuali cum motivis proveniat, sed quod a determinatione externa et ab indeliberata interna liberi simus.

Ut ex innumeris pauca audiamus, „Homo", ita disserere solent, „cum libertate ethica agit, si solam causalitatem internam sequitur, quae partim dispositionibus naturalibus, partim progrediente formatione characteris sui determinata est."[1]) „Libertas significat, activitatem meam individualitate mea, non vero re a me diversa causatam esse."[2])

*439 **Demonst.** Genuina libertas illa est, quam *universalis consensus* humanus profitetur quamque conscientia nobis inesse contestatur, scilicet facultas sine necessitate unum vel alterum eligendi. Hanc enim libertatis notionem homines supponunt, quando actiones imputant, laudant, puniunt, eandem conscientia nobis inesse testatur. Atqui libertas, quam deterministae suam faciunt, non est haec. Nam ista „libertas" tantum est immunitas a determinatione externa et a caeco dominio motuum internorum; sed vera necessitas interna est. Voluntas enim ad omne, quod vult, propria hominis indole personali et motivis determinari dicitur. Itaque ista libertas a necessitate bruti eo tantum differt, quod nos cum ratione et conscientia ad unum determinemur, brutum vero sine iis. Haec „libertas" sane non est ea, ob quam homines actiones culpae tribuunt et puniunt, neque conscientiae satisfacit, quae clare inter motus illos distinguit, qui per motiva et indolem propriam etsi cum advertentia determinantur, et alios, qui non ita determinantur. Ergo

---

[1]) *Wundt:* „Der Mensch handelt im ethischen Sinne frei, wenn er nur der inneren Kausalität folgt, die teils durch seine ursprünglichen Anlagen, teils durch die Entwicklung seines Charakters bestimmt ist." Ethik III[4] (1912) 52. — [2]) *Th. Lipps:* „Freiheit ist der Ausdruck dafür, daß mein Tun durch meine Persönlichkeit verursacht ist, nicht in etwas von mir Verschiedenem seine Ursache hat." Ethische Grundfragen[2] (1905) 262.

libertas, quam moderni deterministae suam faciunt, non est genuina libertas.

*Th. 24. **Cum vera libertate pugnat doctrina, quae statuit, omnes actus voluntatis praemotione physica a Deo determinari.**

Declar. Doctrina, quam impugnamus, propria est scholae 440*
thomisticae et praecipuus eius auctor *Dom. Bañez O. P.* († 1604) est, quem religiosi eiusdem ordinis cum aliis sequuntur supponentes, eam s. Thomae sententiam esse.[1])

Doctrina haec asserit: 1. Voluntas non potest quidquam agere, nisi a Deo praeviam motionem physicam ad certum actum acceperit, 2. posita autem hac praemotione infallibiliter sequitur hic actus, ad quem voluntas praemota fuit.

Ponunt primo hoc principium, a quo proficiscuntur: causae creatae tum in essendo tum in operando plene a Deo pendent, non solum quatenus a Deo creatae sunt et conservantur et Deus ad omnes actiones earum simul concurrit (quod concedunt), sed etiam quatenus Deus causam secundam motu antea impresso ad certam actionem applicet. Putant enim, id ad dignitatem domini absoluti postulari. „Nulla causa secunda", ita disserunt, „potest operari, nisi sit efficaciter a prima determinata."[2]) „Voluntas patitur antecedenter, cum sit causa secunda, quae operari nequit nisi praemota a prima."[3]) Qui motus „recte praemotio seu praedeterminatio physica nuncupatur"[4]). Praemotio physica ad actus liberos salutares secundum Bañesianos est gratia praeveniens (efficax).

Periculosius est alterum: posita praemotione physica infallibiliter sequitur actus hic unus, ad quem praemotio collata est. Id revera docent: „Ab intrinseco tam efficax est [praemotio], ut infallibiliter inferat actum tanta infallibilitate, ut stante motione prorsus sit impossibile,

---

[1]) S. Thomas hanc doctrinam docuisse non videtur; multis in locis contrarium docet. Cf. *Stufler,* De Thomae Aqu. doctrina de Deo operante (1923) n. 220 ss. Cf. Theodic., De praedeterminatione physica. — Ceterum nunc constat, iam s. 14. complures theologos scholae scotisticae, praesertim Jo. de Ripa, simili plane modo (sententiam suam ex doctrina Scoti deducentes) docuisse, Deum omnes actiones futuras creaturarum in suis decretis praedeterminantibus cognoscere, ergo eum omnes actiones praedeterminare, eosque simul affirmasse, se per hanc sententiam a s. Thoma discrepare. Cf. *H. Schwamm,* Anal. Gregoriana I (1930), Philosophie u. Grenzwiss. III 5 (1931). — [2]) *Bañez,* In 1 q. 14 a. 13 p. 216 B. Edit. Duac. 1614. Cf. *Limbourg,* Selbstzeichnung der thomist. Gnadenlehre. Zeitschrift f. kath. Theologie I (1877) 161–221. — [3]) *Xantes Mariales O. P.,* Bibl. interpr. III contr. 19 a. 10 c. 4 p. 374 B. Ed. Venet. 1640. — [4]) *Goudin O. P.,* Phil. IV d. 2 q. 3 a. 4 p. 277. Ed. Colon. 1726.

actum non sequi."[1]) „Impossibile est, quod in voluntate ponatur [praemotio] et voluntas non operetur actum illum, ad quem Deus movet."[2]) „Praemotio seu praedeterminatio vel gratia per se ipsam efficax nec esse nec concipi quidem potest, quin simul sit ipsa causalitas et actio causae secundae."[3])

Non inquirimus, quomodo secundum hanc doctrinam non oporteat dicere Deum directum auctorem peccati esse, neque investigamus, qua ratione peccator ita praemotus iuste puniri possit, neque quomodo effugiatur praedestinatio absoluta aliorum ad damnationem et aliorum ad gloriam. Hoc loco tantum demonstramus, cum hac doctrina veram libertatem constare minime posse. Uberius de hac doctrina in theodicea, ubi de concursu divino tractatur, agendum est.

*441 **Demonst.** 1. Libertas in eo consistit, quod voluntas, quando omnia ad agendum requisita adsunt, potentiam habet ad agendum vel non agendum seu aliud agendum. Atqui talis potestas non adest, si praemotio physica statuitur: a) non adest *ante* receptam praemotionem, quia secundum doctrinam expositam „nulla causa secunda potest operari, nisi sit efficaciter a prima determinata" (Bañez); b) non adest *post* praemotionem receptam, quia tunc „prorsus est impossibile, actum non sequi". Ergo doctrina statuta cum vera libertate pugnat.

*442 2. Quae defensores praemotionis contra hoc argumentum proferunt, vel in se non cohaerere vel verum libertatis conceptum pervertere videntur.

Haec proferunt: a) „Sic Deus vult nos agere, ut etiam *velit nos libere agere*, et sic movet ad agendum, ut etiam moveat ad libere agendum . . Et cum eius voluntas sit omnipotentissima et efficacissima, sequitur necessario nos libere agere."[4]) — *Resp.* D. si non intrinsecus repugnat, ut quis praemotus et simul liber sit C. aliter N.

b) Adest libertas, si adest *indifferentia obiectiva*, i. e. si intellectus voluntati multiplicem obiecti rationem proponit. Atqui indifferentia obiectiva praemotione non tollitur. Ergo neque libertas. — *Resp.* D. mai. et si voluntas non praedeterminatur C. si praedeterminatur N. Libertas formaliter in indifferentia *subiectiva* voluntatis ad hoc vel illud agendum consistit, qua sublata indifferentia obiectiva ad libertatem

---

[1]) *Sebille O. P.*, Int. thom. III c. 1 s. 5 p. 216. — [2]) *Alvarez O. P.*, De auxiliis d. 23 p. 187. Ed. Rom. 1610. — [3]) *Reginaldus O. P.*, De novit. et antiquit. nom. phys. praedet. 1 c. 33 p. 320. Ed. Antwerp. 1706. [4]) *Billuart*, Curs. theol. II d. 8 a. 4 § 2 p. 217. Ed. Wirceb. 1758.

nihil confert. Etiam deterministae moderni indifferentiam obiectivam admittunt, sed libertatem negant, quia indifferentiam *voluntatis* tollunt.

Inst. Etiam indifferentia subiectiva adest, quia voluntas indifferens est, ut recipiat hanc vel aliam praemotionem. — *Resp.* D. haec est indifferentia activa N. passiva C. Sed libertas est indifferentia ad *agendum*.

c) Praesertim responsio per distinctionem *sensus compositi* et *sensus divisi* profertur. Obicientibus, voluntatem physice ad agendum praemotam non iam posse non agere vel oppositum agere, haec respondent: Voluntas physice praemota *simul potest* non agere vel oppositum agere, quatenus potentiam retinet, ut loco huius praemotionis aliam recipiat, qua instructa postea non agere vel oppositum agere poterit. Itaque simul cum praemotione voluntas *potentiam* habet ad oppositum; attamen haec potentia in *actum* prodire nequit, quamdiu haec praemotio adest (in sensu composito), sed tantum quando hac sublata alia praemotio data fuerit (in sensu diviso). Si quis igitur praemotionem habet ad sedendum, simul *potentiam* surgendi habet (quia potest ad hoc praemotionem accipere), tamen *impossibile* est surgere, quamdiu illa praemotio adest. — *Resp.* Haec „potentia" ad oppositum, quam hic et nunc actuari plane repugnat, est mera possibilitas remota et condicionata, quae ad libertatem non sufficit. Requiritur, ut voluntas, cum agit, proximam potentiam activam habeat ad non agendum, quae scilicet potentia hic et nunc actuari potest. Nemo enim dicit, oculum libere videre ideo, quod loco huius determinationis, quam accepit, aliam recipere posset, in qua suppositione aliud videret.

d) Neque excipere licet, voluntatis esse, e. g. orando, providere, ut convenientem praemotionem accipiat. Non enim providere potest, nisi ad hoc ipsum iterum praemotionem accipit.

e) Minore etiam iure animadvertitur, concordantiam praedeterminationis cum libertate mysterium esse, quod non tam intellegere, quam credere oporteat (Bañez). Non enim mysterium a fidei magisterio, sed a nonnullis theologis propositum est, quod repugnantiam continere videtur.

---

*Caput V

De motu vitali et de habitu

Ut tractatio de potentiis psychicis compleatur, restat, ut 443* etiam de ultimo genere actionum immanentium, de motu vitali, agamus, qui actibus psychicis ubique adiungitur eorumque finibus inservit, praeterea illam quoque agendi facilitatem considerationi subiciamus, quam potentiae psychicae agendo acquirere solent, nempe habitum.

*Art. 1. De motu vitali

*§ 1. De generibus motuum

Hominem instructum esse facultate motus vitales in se producendi liquido constat. Libera voluntate motus membrorum foris apparentes producere potest, sed etiam multi motus in eo fiunt, maxime in internis corporis organis, qui a voluntate non pendent. Itaque varii motus distinguendi sunt, spontanei, reflexi, automatici.

*444 **Motus spontanei** (willkürliche Bewegungen, mouvements spontanés) illi sunt, qui ex imperio appetitus producuntur, in animali ex determinatione appetitus sensitivi, in homine vero ex imperio voluntatis. Tales motus elicimus, quando libere oculos movemus, quando manducamus, loquimur, ambulamus, labores corporales peragimus.[1])

Non requiritur, ut semper facti imperii clara conscientia per totum motum perduret. Motus, quorum consuetudinem habemus, velut ambulatio, consuetus labor, recitatio orationis, saepe, postquam cum clara cognitione et cum imperii conscientia incepti sunt, ita continuantur, ut obscura tantum vel nulla fere imperii et attentionis conscientia atque etiam aliquamdiu nullum imperium adsit.

Peculiares motus spontanei sunt *instinctivi*, quales plurimi in animalibus, pauciores in homine inveniuntur, i. e. illi motus in certum finem apte ordinati, quos animalia sine propria experientia et instructione exsequuntur, statim ab initio apte natantes, volantes, praedam capientes, prolem nutrientes, nidum conficientes. Motus instinctivi impetu psychico instinctus determinantur et hac ratione spontaneis motibus adnumerandi sunt, attamen ita, ut innata associatio supponenda sit: cum perceptione aliqua, e. g. aquae, praedae, prolis vagientis, ex institutione naturae impulsus sensitivus coniungitur ad motus producendos movens.

*445 **Motus reflexi** illi vocari solent, qui directe per actum sensitivum sine interveniente appetitus imperio excitantur. Talis actus sensitivus potest esse emotio, affectus, perceptio, repraesentatio. Eiusmodi motus fiunt, cum flamma pacate lucens oculum in se convertit, nimis intensa autem vel tremula oculos avertit vel claudit, cum digitus flamma adustus retrahitur, cum ob pudorem vel timorem vasa sanguinea dilatantur vel contrahuntur et sic rubor vel pallor apparent. Ergo ex actu et nervo sensorio directe nervus motorius excitatur.

[1]) Motus spontanei etiam „voluntarii" nominari solent. Attamen sic „voluntarium" latius accipitur ad designandam operationem appetitus cuiuscumque; etenim etiam in brutis motus spontanei fiunt.

Motus igitur reflexi non ex intentione elicita, ut bonum apprehensum obtineatur vel malum evitetur, procedunt, sicut motus spontanei, sed ex institutione naturae; quae tamen etiam in his motibus manifesto intendit, ut bonum quoddam organismo utile obtineatur vel ut malum nocivum arceatur.

Motus automatici denique independenter ab appetitus imperio et actu sensitivo ex ordinaria naturae institutione producuntur. Tales sunt motus organorum vegetativorum, ut stomachi et intestinorum cibis digerendis excitati, motus ordinarii cordis, pulmonum, motus respiratorii chemica qualitate sanguinis excitati. Itaque etiam motus automatici certis causis excitantibus determinantur, nempe physiologicis.

Ceterum non tam stricta haec divisio in motus spontaneos, reflexos et automaticos est, ut non possit in nonnullis motibus dubium oriri. Neque eaedem omnino definitiones apud omnes recentes auctores inveniuntur. E. g. saepe omnes motus quacumque irritatione sine imperio excitati motus reflexi dicuntur, ut etiam motus automaticos includant.

Hos omnes motus *vitales* esse liquet, quia, etsi saepe aliqua excitatio 446*
foris advenit, velut cum stomachus cibis excitatur, haec mera est excitatio virtutis organismo propriae, quae tunc ipsa agit, non vero impulsus extrinsecus impressus est, qualem lapis accipit, cum proicitur.

*§ 2. De principiis motus

Ad motus enumeratos producendos, sicut iam ex antea dictis elucet, complures causae et condiciones, psychicae et physicae, concurrunt; quae iam inspiciendae sunt.

Principia psychica in diversis motibus diverso modo locum 447*
habent.

1. In *motibus automaticis* nulli actus psychici immediate interveniunt.

2. In *motibus reflexis* perceptiones vel repraesentationes sensitivae sive sentimenta vel affectus ut causae determinantes intercedunt. Vix est perceptio sensitiva vel affectio

appetitiva, etsi tenuissima, quae non aliquem motum reflexum, motum capitis, brachii, corporis totius excitet seu excitare conetur, vel saltem modificationes respirationis, pulsationis cordis et vasorum sanguineorum efficiat. Dolor vehemens tanta vi ad motus eliciendos trahit, ut vix a corpore torquendo, dentibus comprimendis, pugnis faciendis abstinere possimus; repraesentatio rei foetidae vomitum gignere potest. Etsi motus reflexi a voluntate non excitantur, possunt tamen eius imperio, sed intra certos limites tantum, minui, retardari vel etiam supprimi.

*448 3. In *motibus spontaneis* duo potissimum principia psychica interveniunt, appetitus, qui imperat, et apprehensio, quae motum dirigit.

Principium determinans est *imperium* appetitus et quidem in homine imperium voluntatis. Etiam appetitus sensitivus vi motus determinandi pollet, sicut in bruto, ita in homine, attamen per se voluntati liberae in motibus determinandis subiectus est. Licet non perspiciamus, quo pacto nervos motorios determinare debeamus, nihilominus, quidquid Hume aliique contradicunt, conscientia clarissime testatur, me voluntate mea vere me active determinare, ut scribam, ut caput vel brachium moveam. Qualis sit haec motio, conscientia obscure tantum innotescit; non melius quam nomine imperii designari potest, cuius efficacia fit, ut anima corpus, quocum substantialiter unita est, ad motum producendum applicet.

*449 Voluntas autem motum determinare nequit, nisi praecedat *apprehensio* motus exsequendi, aliquo modo apprehendens, quale membrum moveri, qualis motus et quanta cum celeritate fieri debeat. Merito autem interrogari potest, quomodo homo accurata notitia structurae corporis carens sciat, quales in singulis motibus musculos et nervos et qua ratione determinare debeat. Haec notitia non statim ab initio praesto est; quod cernitur in infantibus, qui motus pedum, brachiorum, organorum vocalium inepte peragunt. Sed paulatim acquirenda est et quidem ex ipsis motibus

peractis. Motus, qui nullo modo ante facti sunt, nec voluntate excitari possunt.

Secundum communiorem sententiam res ita explicanda est. Pueri initio vitae ex institutione et instinctu naturae plurimos motus involuntarios et reflexos eliciunt, quos visu, maxime autem internis perceptionibus kinaestheticis percipiunt. Istae perceptiones indicant, qualia organa in singulis motibus et qua ratione moveantur. Eaedem dein postea in statu memoriali remanent et, postquam saepe adfuerunt, firmam associationem ineunt cum ipsis motibus seu potius cum excitationibus cerebralibus, quibus motus innervantur. Hac ratione fit, ut omnis reproducta repraesentatio motus, etiam sine imperio appetitus, ad eundem motum producendum inclinare conetur. Si imperium accedit, excitatio illa cerebralis iam efficaciter determinatur. (Si igitur aliquis motus nulla ratione ex innata institutione naturae peragitur, nec ordinarie voluntatis imperio produci potest, e. g. motus auricularum; desunt enim requisitae repraesentationes kinaestheticae.)

Motus autem voluntarii vix umquam solummodo repetitio elementarium illorum motuum sunt, quos infantes initio sine voluntate ex naturae institutione peragunt, sed, velut locutio, ambulatio, opus fabrile, fere semper ex plurimis motibus partialibus elementaribus componuntur. Postulant igitur, ut repraesentationes kinaestheticae motuum partialium tali coniunctione, ordine, firmitate associentur et decurrant, qualis ad motus compositos ordinate et prompte exsequendos requiritur. Id exercitatione efficitur, nempe tentando et ab aliis discendo loquelam, usum instrumenti, opus manuale.

Repraesentationes motoriae praecipue perceptionibus kinaestheticis excitantur, quae in motu ipso peragendo oriuntur: perceptio motus praesentis excitat repraesentationem motoriam motus subsequentis. Propterea, quando perceptiones musculares turbatae sunt, ut in vertigine, certitudo in motibus exsequendis deficit. Si qui autem perceptionibus kinaestheticis ex defectu quodam carent, motus non iam recte exerceri possunt, sed iactati, instabiles, parum apti fiunt (ataxia). Aequilibrio motuique capitis et corporis per-

cipiendo inter alia eximio modo *organum staticum* inservit (n. 130).

*450 Adnotandum restat, motus, qui per se voluntarii sunt, non raro per accidens sine voluntate, quasi automatice, peragi posse. Tales sunt primum motus illi, quorum consuetudinem habemus, qui initio quidem voluntate imperantur, dein vero saepe ita continuantur, ut imperium ad tempus penitus desinat, nihilominus series motuum ulterius currat. Quod propterea fit, quia perceptiones motoriae priorum motuum repraesentationes motorias sequentium firmiter associatas excitant, quae deinde ad motus suos inclinant, ut series motuum quasi automatice decurrat. Praeterea alio modo accidit, ut motus, qui per se spontanei esse solent, sine imperio producantur. Est lex psychologica, quam iam commemoravimus, ut repraesentatio alicuius motus ad eundem motum producendum inclinet et quidem eo maiore vi, quo vividior repraesentatio est et quo magis cum affectu coniuncta est vel quo maiore cum concentratione motus attenditur, id quod e. g. accidit, si attentionis amplitudo praeter modum coarctata est, ut in infantibus vel hypnotisatis. Si igitur deliberatio deest vel impeditur, talis perceptio vel repraesentatio directe sine imperio motum efficaciter inducere potest. Quod revera saepe observamus: unus oscitans alios ad oscitandum inducit, abyssum intuens vividam imaginationem decidendi et inde grave periculum pati potest, ne in profundum trahatur, figuras et vocabula, quae repraesentamus, insensibilibus digitorum vel gutturis orisque motibus efformamus.

*451 **Principia physica** motuum sunt musculi, qui se contrahendo motum producunt, et nervi, qui musculos determinant sive „innervant“.

1. *Musculi* in homine plurimi sunt. Singulis enim motibus partium corporis singuli musculi deputati sunt: sunt musculi, quibus vultus regitur, os clauditur, maxillae moventur, quibus manus vel introrsum vel extrorsum torquetur, pollex ad indicem vel admovetur vel removetur. Musculi ex fibris componuntur et sunt vel striati (quergestreift), si in fibris stria-

tura transversa apparet, vel leves (glatt). Striati citius et fortius contrahuntur et motibus spontaneis inserviunt, sunt igitur potissimum ossibus (plerumque per tendines, Sehnen) affixi; leves autem pigriores sunt et potissimum motibus automaticis inserviunt, exceptis musculis cordis, qui striati sunt. Fig. 29 ostendit, qua ratione musculus se contrahendo motum producat.

Activitatem musculi productio *caloris* comitatur. Dum enim musculus agit, energiam materialem consumit, pro qua ei processu chemico dissimilationis nova subministratur. Videlicet in texto musculari quaedam substantiae, maxime carbohydrata, per combustionem seu coniunctionem cum O dissolvuntur, qua dissolutione calor augetur et nova energia gignitur. Ex hac combustione praeter alias materias noxias CO_2 oritur, quod sanguine aufertur; pro CO_2 sanguis musculo O donat. Continuo quidem ita O recipitur et CO_2 eliminatur, intensius autem, quando musculus operatur; propterea etiam maior sanguinis copia inter activitatem affluit.




Fig. 29. Motus musculi

Diuturnus musculorum labor *fatigationem* parit, quae in eo consistit, quod defectus energiae et praesertim O^{i} factus nec iam reparatus est, et praeterea in eo, quod per dissimilationem in musculo laborante quaedam substantiae ortae sunt, quae venena fatigatoria vocantur; inter quas CO_2 eminet. Istae substantiae quendam torporem efficiunt. Eaedem, si in sanguinem brutorum iniciuntur, mox in iis similem defatigationem producunt. Fatigatio eo vehementius augetur, usque ad virium exhaustionem, quo diutius labor, quando defatigatio iam incepit, continuatur. Ideo interstitia interserenda sunt eoque diuturniora, quo longius iam defatigatio processit. Nihilominus musculi exercitatione roborantur; post laborem enim maior sanguinis copia affluit musculumque uberius enutrit, quo fit, ut novae fibrae formentur et musculus robustior evadat. 452*

Fatigatio unius partis, sive labore corporali musculi sive psychico labore cerebri producta, mox in totum organismum diffunditur, quia venena fatigatoria statim sanguine in omnes partes transferuntur. In statu fatigationis minor labor corporalis praestatur; propterea omnis fatigatio atque etiam cerebri fatigatio operatione mentali contracta aliquo modo per quantitatem laboris corporalis mensurari potest, e. g. per laborem in levando pondere praestitum (ergographum).

Fatigatio modo descripta est fatigatio physiologica. A qua differt perceptio sive *sensus fatigationis,* qui illo statu physiologico excitatur eumque manifestat.

*453 2. Musculorum contractiones proxime *nervis* excitantur et reguntur[1]), quorum fibrillae in musculorum fibrillas ingrediuntur. Nervi ipsi excitantur vel appetitu, si motus est spontaneus, vel irritatione ex actu sensitivo adveniente, si est reflexus, vel processibus physiologicis, si motus pure automaticus est; v. g. acidum carbonicum (CO_2) in sanguine exsistens medullam oblongatam afficit ad motus exspirationis excitandos. Cum multi motus per complures musculos cooperantes perficiantur, singuli autem ex millibus fibrarum constent, quae singulae excitandae sunt, cellae nerveae autem singulae paucas tantum fibras musculares excitent, facile colligitur, saepe multa millia cellarum nervearum eodem tempore et quidem certo ordine excitandas esse.

Quaenam partes nerveae variis motibus innervandis deputatae sint, non accurate constat neque unquam constabit. Tamen aliqua comperta sunt. De quibus cf. n. 55.

*454 De „vi motrice". Itaque homini et animalibus facultas se movendi inest, quae adaequate spectata ex principiis psychicis et physicis inter se concurrentibus et subordinatis coalescit. His principiis motus determinatur et producitur. Vis motum *producens* a scholasticis vis motrix strictiore sensu nominata est.

[1]) Haec est naturalis et ordinaria excitatio. Praeterea musculi etiam artificialiter solis irritationibus chemicis vel electricis excitari possunt. E. g. si cor animalis sanguine calido praediti e corpore extrahitur et certis substantiis cum aqua mixtis nutritur, per horas pulsationem continuare potest.

Antiqua controversia fuit, sitne vis motrix realiter identica cum appetitu motum imperante, ut igitur motus spontaneus ipso imperio producatur, an vero specialis potentia, vel utrum praeter appetitum imperantem adsit potentia exsecutiva motus realiter distincta necne. Alii affirmant, alii, potissimum aliquot testimonia Aristotelis et Thomae allegantes, negant. Sine dubio realis distinctio tenenda est. Nam scimus nunc, inter appetitum imperantem et motum intercedere (praeter apprehensiones kinaesthеticas) tum iunervationem nerveam tum activitatem musculorum. Praeterea motus reflexi et automatici, utpote involuntarii, nullo modo ab appetitu procedunt. Denique voluntas nonnumquam membra (torpore ligata) movere vult, tamen non moventur; ex quo apparet, imperare et efficere motum non idem esse. Idem satis clare *s. Thomas* indicat 1 q. 78 a. 1 ad 4.

Art. 2. **De habitu**

Potentiae vitales, quas usque adhuc ex ordine considera- 455
vimus, repetitis actibus paulatim maiorem habilitatem ad agendum acquirere possunt. Quae habitus dicitur. Homines consuetudine agendi plurimos tales habitus consequi solent, e quibus eorum propensiones, constans agendi ratio totaque personae indoles proveniunt.

Habitus a scholasticis definitur *qualitas stabilis potentiam agendi bene vel male in operando afficiens.* Qualitas stabilis dicitur, stabilem in operando perfectionem tribuens, ut distinguatur ab instabili dispositione, velut transitorio ingenii vigore. Habitus potentiae ut qualitas realiter distincta supervenire dicitur eam bene vel male afficiens, quia ei peculiarem habilitatem ad certos actus addit et quidem vel naturae convenientem, ut virtus, vel inconvenientem, ut vitium.[1])

Saepe etiam habitus latius definitur ‚qualitas stabilis subiectum bene vel male afficiens sive in essendo sive in operando' et deinde habitus entitativi, ut gratia, et operativi, ut virtus, distinguuntur. Sed tantum operativus nominari solet habitus stricte dictus, etiam a s. Thoma; cf. 2 sent. d. 24 q. 1 a. 1; 3 sent. d. 23 q. 3 a. 1; 1, 2 q. 49 a. 3; ver. q. 27 a. 2 ad 7: „Gratia est in prima specie qualitatis, quamvis non proprie possit dici habitus, quia non immediate ordinatur ad actum."

Iam paulo uberius exsistentia et natura habituum demonstrandae sunt.

[1]) Habitus igitur, de quo nunc agimus, ad categoriam aristotelicam qaulitatis pertinet; proinde multum differt a categoria decima, quae idem nomen gestat.

*456 Notanda autem est magna differentia inter habitus *naturales* et *supernaturales*. Habitus supernaturales, ut virtutes theologicae, potentiam elevant ad actus, quos potentia sola vi naturali producere nequit; ideo a Deo infunduntur. Habitus autem naturales, velut facilitas logice cogitandi, potentias ad actus perficiunt, quos virtute naturali producere possunt; proinde per se non infunduntur. Itaque habitus naturales non primam potentiam ad operandum, sed maiorem facilitatem et inclinationem conferunt. Habitus autem supernaturales dant primum posse ad operandum supernaturaliter (sed experientia docet, etiam harum virtutum exercitio maiorem inclinationem ad actus acquiri). De habitibus supernaturalibus theologi agunt. Hoc loco data opera habitus naturales spectamus.

Exsistunt in homine stabiles quoque habilitates et inclinationes ad operandum ab initio innatae, quae interdum etiam (et quidem secundum generalem definitionem iure) habitus vocantur; quales sunt peculiaris facilitas omni homini a natura ingenita ad supremas veritates morales et religiosas cognoscendas, „habitus principiorum", peculiaris vis ingenii, individuales inclinationes ad virtutes et vitia. Sed strictiore significatione tantum illi, qui acquisiti sunt, habitus vocantur eosque imprimis prae oculis habemus.

Th. 25. **Exsistunt in homine habitus vitales ex repetitis actibus oriundi (1. p.), qui potentias in agendo varie perficiunt (2. p.).**

457 **Demonst. 1. p.** Experientia ostendit, in potentiis vitalibus, multis saltem et praecipuis, per actus saepe repetitos acquiri habilitatem ad similes actus deinceps cum facilitate et inclinatione ponendos, quae habilitas antea non adfuit. Ex ideis et imaginationibus repetitis oritur facilitas et inclinatio ad easdem reproducendas, ex operationibus logicis dexteritas logica, ex frequentibus sentimentis et affectibus propensio ad eos iterandos, in voluntate ex frequentibus actibus honestis virtus, ex inhonestis vitium oritur. Atqui talis habilitas est habitus vitalis. Est *habitus,* quia est qualitas stabilis potentiam bene vel male in operando afficiens. Nam est aliquid vere reale, utpote realem perfectionem tribuens, et quidem reale a potentia distinctum, quia antea non adfuit, denique est stabilis qualitas convenienter vel inconvenienter potentiam in operando afficiens, ut exempla ostendunt. Habitus *vitalis* autem est, quia in potentiis vitalibus est. Ergo exsistunt in homine habitus vitales ex repetitis actibus oriundi.

Eadem est communis sententia scholasticorum.

Obiectio. Fortasse maior perfectio in agendo, quae acquiritur, non in qualitate superaddita seu in habitu, sed solum in eo consitit, quod impedimenta agendi ex potentia removentur. — *Resp.* N. Absonum est cogitare, magnam promptitudinem logice cogitandi, scientias acquisitas, artem loquendi non esse perfectiones novas, sed esse habilitates potentiis ex natura ab initio insitas et potentias nunc tantum ab impedimentis liberari, quae eas ab exercendis illis habilitatibus impediverint; minus etiam intellegitur, vitia ex remotione impedimentorum oriri.

Itaque, ubi habitus gignuntur, *actus dispositionem relinquunt* in potentia ad similes actus facilius repetendos. Et quia actus singuli eam relinquunt, eo magis illa dispositio augetur, quo frequentiores sunt actus; quod observatio testatur. Plerumque unus actus ad perfectum habitum inducendum non sufficit, sed multi postulantur, quorum primus habitum inchoat, sequentes perficiunt, donec stabilis facilitas obtenta est. Facilitas autem, quam habitus confert, non tantum ad eosdem actus, quibus productus fuit, refertur, sed etiam ad similes. Acquisita temperantia in cibo etiam temperantiam in potu, habitus se vincendi in uno genere etiam sui victoriam in alio faciliorem facit, pariter si inter ideas *a* et *b* habitualis associatio facta est, non solum a, sed etiam a^1 ideam b excitat (n. 262).

Ergo *habitus generatim eo meliores* fiunt, a) quo frequentiores actus sunt, b) quo intensiores sunt actus. Actus intellectus et phantasiae generatim eo intensiores sunt, quo maior est attentio[1]), actus vero voluntatis, quo maior est eorum vis; una generosa victoria sui plus efficere potest quam multi actus vulgares. c) Praeterea aliae condiciones 458

---

[1]) Cf. ea, quae supra de facilitate, firmitate, fidelitate memoriae et de condicionibus diximus, a quibus perfectio memoriae pendet; quae magna ex parte generatim ad habitus spectant.

concurrunt, imprimis indoles personae, velut aetas, sexus, proprietas individualis.

Actibus contrariis habitus minuuntur vel etiam exstingui possunt. Sicut enim hi actus suum, sic actus contrarii alterum habitum contrarium producere itaque simul illum priorem minuere vel paulatim delere nituntur. Quod experientia ostendit: vitiosa associatio idearum usu acquisita paulatim associatione contraria deleri, mala consuetudo contrariis actionibus minui et in oppositum converti potest. — Saepe sufficit ab actibus cessare, ut habitus pereant. „Cum aliquis non utitur habitu virtutis ad moderandas passiones vel operationes proprias, necesse est, quod proveniant multae passiones et operationes praeter modum virtutis ex inclinatione appetitus sensitivi et aliorum, quae exterius movent. Unde corrumpitur virtus vel diminuitur per cessationem ab actu. Similiter etiam est ex parte habituum intellectualium, secundum quos est homo promptus ad recte iudicandum de imaginatis. Cum igitur homo cessat ab usu intellectualis habitus, insurgunt imaginationes extraneae et quandoque ad contrarium ducentes, ita quod, nisi per frequentem usum intellectualis habitus quodammodo succidantur vel comprimantur, redditur homo minus aptus ad recte iudicandum et quodammodo totaliter disponitur ad contrarium.“[1])

459 *De augmento intensivo habitus*, quod ex actibus repetitis oriri affirmavimus, veteres scholastici multum disputant. Supra diximus, de tali intensitatis augmento experientia constare, pariter constare, id actibus iteratis effici ita, ut singuli aliquam dispositionem relinquant sive ab aliis relictam augeant. Veteres igitur ulterius inquirunt, in quo hoc augmentum reponendum sit. Alii affirmarunt, si habitus iteratis actibus augeatur, semper novum habitum maiorem loco veteris produci; quod parum credibile est. Plerique censent, eandem habitus realitatem sive formam manere, attamen paulatim magis in anima radicari. Denique alii docent, novos distinctos gradus ad habitum accedere. S. Thomas dicit: huiusmodi augmentum „non fit per additionem formae ad formam, sed fit per hoc, quod subiectum magis vel minus perfecte participat unam et eandem formam“ (1, 2 q. 52 a. 2), seu „ita, quod magis ac magis in subiecto esse incipiat“ (2, 2 q. 24 a. 4 ad 3). Quibus verbis dicere videtur, non novos habitus produci, sed eundem maiore gradu possideri.

[1]) 1, 2 q. 53 a. 3.

Cum haec quaestio valde obscura neque magni ponderis sit, ab ea persequenda abstinemus.[1])

Demonst. 2. p. Habitus potentias variis modis in agendo 460
perficiunt:

a) Operationem *exactiorem* faciunt, ut conatus in primis actionibus necessarius non iam requiratur, sed actus sine tentamine, incertitudine, defectibus pristinis perficiantur. Quod evidenter conspicitur, si usus instrumenti musici in incipiente et exculto, ambulatio in infante et adulto comparantur.

b) Operationem *faciliorem* et *promptiorem* faciunt, ut iam cum parva attentione mentisque contentione et fere automatice peragatur, id quod apparet in loquendo et scribendo, in operibus fabrilibus, in operibus cotidianis domesticis, quae homo saepe etiam alia meditans recte peragere valet.

c) Operationem *delectabilem* faciunt, saltem plerumque aliquatenus, quia difficultates initiales cessant et operatio expedita ex naturae institutione gratam affectionem excitare solet.[2])

Sed quatenus habitus actiones faciles et expeditas reddunt, etiam conscientiam earum attenuant, et quatenus constantiam et uniformitatem in agendo inducunt, etiam agendi mobilitatem minuere vel interdum rigidam stabilitatem inducere possunt.

Habitus perfectionem operandi, quam diximus, non simul omnibus potentiae actionibus tribuit, sed tantum his, ex quibus ortus est. Omnis enim potentia propter aliquam obiecti sui amplitudinem diversas actiones exercere potest. Ideo ex diversis actionibus diversi habitus procedunt, quorum singuli potentiam quoad similes actus, non autem simul quoad omnes perficiunt. Habitus igitur communi et indeterminatae aptitudini, quam potentia ex se habent, speciales

[1]) Cf. *Suarez*, Disp. met. d. 46 s. 1. *Urráburu*, Ontol. 948 ss. *Limbourg*, Über d. Vervollkommnungsfähigkeit des Habitus. Zeitschr. für kath. Theologie (1886) 277. — [2]) *S. Thomas* hanc operandi constantiam sive uniformitatem, promptitudinem et delectabilitatem habitu collatam bene describit. De virtutibus in comm. a. 1.

habilitates et inclinationes ad certos actus superaddunt, virtus amoris ad hos, veracitas ad illos, iustitia ad alios.

Itaque habitus a potentia sic differt, ut potentia *posse* simpliciter, habitus autem *posse bene* tribuat.

Ex his colligi potest, habitum simul cum potentia tamquam principium efficiens in producendos actus influere.[1])

461 **Quae potentiae habituum capaces sint.** Tantum potentiae *vitales* habitus habere possunt, quia habitus ex dispositionibus ab actibus immanentibus relictis oriuntur. Quaenam autem potentiae vitales habitus in se producant, non tam a priori, quam potius ex experientia solvendum est.

1) Maxime *voluntas* et *intellectus* habituum capaces sunt. Observamus enim, voluntatem diversa consuetudine plurimos habitus, quotquot enumerantur virtutes et vitia, acquirere, pariter intellectum facilitatem in reproducendis ideis, in tractandis inquisitionibus mathematicis, physicalibus, historicis aliisque innumeris obtinere posse. Hoc optime cum natura utriusque facultatis congruit. Nam potentiae universalissimae sunt ad infinita et omnia se extendentes, proinde plurimos habitus admittunt, quibus in specialibus actibus eliciendis perficiantur.

Negari nequit, quod interdum in dubium vocatur, habitum quoque efficacius volendi acquiri exercitio posse. Hic semper finis fuit genuinae artis paedagogicae, ut iuvenes se vincendo, passionibus resistendo, actus virtutis ponendo vim volendi augerent; similem finem ascesis sibi proponit. Revera experientia luculenter ostendit, exercitio se vincendi, resistendi sensim vim voluntatis confortari, ut difficultates, quibus antea succumbebat, facilius et constantius superet. Non potest dici, id tantum ex eo provenire, quod nova motiva percipiantur vel vetera clarius apprehendantur. Maximi quidem momenti est in hominibus ad virtutem adducendis studiose motiva conquirere et clare proponere; attamen non sufficit. Et observamus, saepe motiva eadem manere vel immo initio conversionis ad meliorem vitam

[1]) Haec est communior sententia. Cf. 1, 2 q. 49 a. 3; 1 sent. d. 3 q. 3. a. 5; 2 sent. d. 24 q. 1 a. 1. Aliqui minorem quendam concursum habitibus tribuunt; de qua minuta controversia cf. *Urráburu*, Psych. II/2 443.

clarius apprehendi quam postea, nihilominus initio efficaciam volendi minorem esse quam post diuturnum exercitium. Nec intellegitur, si intellegendi perfectio, facilitas, promptitudo exercitio et habitu augetur, cur non aeque in voluntate simili modo efficacia volendi augeri possit, cum constet, hanc efficaciam diversos gradus habere posse (n. 373).

2) *Sensus reproductivi* pariter habitus admittunt. Continuato exercitio phantasia maiorem mobilitatem et promptitudinem, memoria maiorem facilitatem, firmitatem et fidelitatem acquirunt. 462

3) *Appetitus sensitivus* etiam habitus adipiscitur, e. g. passiones intemperantiae, iracundiae, virtutes continentiae, mansuetudinis, fortitudinis. Hae pariter ex repetitis actibus, sed sub regimine rationis et voluntatis oriuntur. Talibus virtutibus appetitus perfectius regimini voluntatis subditur eique „quaedam habitualis conformitas ad rationem"[1]) confertur.

4) *Sensus perceptivi* autem habituum incapaces sunt, sicut experientia ostendit et omnes affirmant. Repetitis actibus videndi acumen oculorum non perficitur.

5) De *vi motrice* inter veteres scholasticos controversia fuit aliquibus habitus affirmantibus, plerisque autem negantibus. Dicendum videtur, vim motricem strictissime sumptam, i. e. si tantum spectentur organa motum exsequentia, habitus non acquirere, quia una tantum pars aliam movere videtur, ut motus productus quidem sit immanens homini, non autem recipiatur in eadem parte, a qua producitur, quod ad gignendum habitum necessarium est. Sin autem vis motrix latius sumitur, ut etiam alia comprehendat, quae ad producendum motum concurrunt, velut repraesentationes kinaestheticas earumque promptas associationes, habitus acquiri potest; observamus, exercendis operibus fabrilibus et pulsandis instrumentis musicis paulatim facilitatem obtineri. „In membris corporis non sunt habitus, sed magis in viribus imperantibus motum ipsorum."[2])

In qua realitate habitus consistat. Habitus actibus producuntur, quatenus in potentiis dispositiones relinquunt et augent. Iam interrogatur, quales sint istae dispositiones. 463

[1]) 2, 2 q. 56 a. 4. — [2]) 1, 2 q. 50 a. 3 ad 3.

Duplex sententia apud scholasticos invenitur. Aliqui, velut Lugo, Petrus Hurtadus, Arriaga, Oviedo, de Benedictis rem ita concipiunt. In intellectu (et phantasia) ex actibus relinquuntur et augentur species memoriales, quae ei facultatem et facilitatem in reproducendis iisdem repraesentationibus tribuunt; hae species sunt habitus intellectuales. Habitus autem voluntatis (et appetitus sensitivi) ita explicant: actus praeteriti cum aliqua complacentia seu delectatione eliciti erant, huius autem frequentis complacentiae memoria per species manet, quae memoria, quando obiectum iterum repraesentatur, denuo excitatur et nunc ad obiectum et actum inclinat; itaque habitus voluntatis consistit in speciebus memorialibus delectationis antea habitae, ex quibus nunc praesens inclinatio derivatur. Communior autem sententia affirmat, habitus tum intellectus tum voluntatis esse qualitates a speciebus memorialibus distinctas. — Videntur haec dicenda esse:

Habitus intellectus (et phantasiae cum memoria sensitiva), velut habitus scientiae, videntur tantum consistere in speciebus memorialibus convenienter associatis. Hae enim conferunt stabilem habilitatem ad operationes intellectuales eliciendas.[1])

Habitus voluntatis non videntur explicari posse, ut sententia prior dicit, ex reproducta memoria frequentis delectationis in praeteritis actionibus perceptae. Haec memoria aliquid quidem valet, sed totam naturam et efficaciam habitus non declarat. Vis et efficacia, qua habitus voluntatis ad agendum trahit, alia esse videtur quam vis talis delectationis; aliter homo honestus, qui vivida repraesentatione rei delectabilis et magna delectatione ad inhonestum incitatur, simili efficacia traheretur sicut homo habitu vitioso onustus, quod experientiae congruere non videtur. Praeterea difficulter intellegitur, habitum ex frequenti mortificatione molesta acquisitum derivari ex memoria delectationis in istis mortificationibus perceptae. Etiam sequeretur, si in aliquo minuatur vel deleatur memoria actionum praeteritarum, eodem modo minui et deleri eius virtutes et vitia, quod aeque incredibile est. Denique non apparet, si actus intellectus etiam secundum adversarios vestigia relinquunt, ex quibus habitus oritur, cur non simili modo concedatur actus voluntatis vestigia relinquere.

Caput VI

De charactere

464 Diversi actus, potentiae, habitus psychici inter se non disiuncti sunt, sed arcte invicem copulantur. Pertinent enim ad unam personam et animam ideoque inter se influunt,

[1]) Capreolus, collectis testimoniis in utramque partem, de *s. Thoma* haec dicit: „Apparet mihi, quod plus declinat ad illam opinionem, quae ponit scientiam esse ordinatam collectionem specierum intellegibilium.“ Prolog. in lib. sent. q. 5.

appetitiones in cognitiones et motus, cognitiones in appetitiones, diversi actus cognoscitivi et appetitivi inter se; et varie in unitates et totalitates coeunt. Recens psychologia, postquam diu in sola fere analysi vitae psychicae, in singulis actibus eorumque qualitatibus indagandis occupata est, nunc, considerans elementa psychica non summas atomicas, sed complexiones et totalitates constituere, ad hos complexus sive totalitates spectandas se convertit. Huc iam aliqua ratione limitatae illae totalitates spectant, quas figuras sive complexus psychicos appellant (Gestaltsqualitäten; n. 143). Magis etiam illae ampliores, quas „structuras“ vocant. Structura autem intellegitur permanens qualitas, quae toti vitae psychicae singulorum hominum eiusque partibus propria est (F. Krueger, Dilthey); qui conceptus, si totam vitam psychicam, non solum partes spectat, conceptui characteris propinquus est. Praecipue vero character huc pertinet, cuius scientifica tractatio, characterologia, iam specialis disciplina effecta est. Qui iam diligentius una cum propinquis notionibus describendus videtur.

Th. 26. **Character psychologicus est stabilis indoles psychica, appetitiva praesertim, personae (1. p.), et partim nativa partim acquisita est (2. p.).**

Demonst. 1. p. Character vi vocis inspecta (χαράσσω, insculpo) notam sive proprietatem designat. Quatenus hoc 465
nomen nunc de persona praedicatur, significat certam hominis indolem personalem, at non corporalem, sed *psychicam*, quae se in modo externo se gerendi manifestat. Et quidem potissimum indolem *appetitivam* designat, nempe emotionalem et volitivam. Loquimur enim de charactere mansueto et irascibili, firmo et debili, constanti et mutabili, aspero et leni. Etiam condicio vitae cognoscitivae indirecte includitur, sed fere tantum quatenus appetitivam afficit vel e converso, velut cognitio principiorum et finium agendi, quos voluntas stabiliter intendit; ingenium vero mathematicum „individualitati“ quidem, attamen non characteri tribuitur. Quatenus denique character secundum omnes indolem *stabilem*, non transitoriam designat, apparet, eum non ipsos actus

et phaenomena psychica significare, quae potius eius manifestationes sunt, sed illas manentes propensiones, ex quibus illa procedunt. Haec enim veniunt et transeunt, dum character manet.

Character modo definitus *character psychologicus* est, qui a qualitate morali abstrahit. Sed quia indolem habitualem voluntatis includit, etiam sub respectu morali considerari potest, prout normae moralitatis conformis vel difformis est. Si simul haec eius qualitas spectatur, character *moralis* attenditur. Ita de charactere bono et malo, magnanimo, egoistico, doloso, sincero loquimur.

466 Praeter hanc significationem, quae in scientia, praesertim in psychologia solita est, character et quidem moralis interdum paulo significantius sumitur, quatenus non qualemcumque indolem appetitivam, sed certa praestantia praeditam significat, videlicet *constantiam voluntatis et mentis in rectis principiis moralibus tenendis et sectandis* („ein Charakter," „Charaktere"). Character hoc excellenti modo sumptus intellegitur firma constantia in agendo proveniens ex voluntate recta principia, persuasione propria approbata, sectante. Principia recta esse debent; homini enim tenacis voluntatis flagitiosae praedicatum honorificum characteris non tribuimus. Non immerito in tali charactere formando praecipuus educationis finis reponitur. Etenim idem fere est ac genuina perfectio humana et constantia vitae rectae. Sed nunc characterem non ita, sed modo indifferenti antea exposito sumimus.

467 Itaque character psychologicus non simpliciter idem est ac *persona*. Character est qualitas, utique praecipua, personae, quae ipsa totalem indolem psychicam, cognoscitivam et appetitivam, comprehendit.

Characteri etiam propinqua est notio *individualitas* psychica. Quae tamen paulo latiorem comprehensionem habet. Hoc nomine enim totam fere nativam et acquisitam indolem psychicam individualem designare solemus.[1])

468 **Demonst. 2. p.** 1) *Indoles characteriologica partim nativa est.* Dispositiones nativae permultum a constitutione corporali pendent, et quidem directe sensitivae, indirecte rationales, ut igitur character innatus praecipue in constitutione corporali fundetur. Nam quia anima et corpus non duo entia

[1]) Vox germanica „Naturell" temperamento latius patet, quia indolem naturalem non tantum appetitus, sed totius vitae psychicae exprimere solet („Das Naturell des Italieners, Franzosen, Amerikaners").

divisa, sed ad unam naturam unita sunt, sequitur, ut diversa constitutio corporalis indolem psychicam vehementer afficiat. Hae dispositiones psychicae innatae tribuunt viro et feminae suas diversas qualitates, quae ab initio constanter apparent, tribuunt uni suum characterem mansuetum, quem iam puer manifestat, alii irascibilem, quem forte per totam vitam, nec cum pleno successu, impugnare cogitur, conferunt singulis diversum temperamentum, quod pars est characteris.

Constitutio corporalis, quam commemoravimus, maxime cerebrum et partes systematis vegetativi, praesertim glandulas endocrineas, spectat (n. 357). Ceterum hae dispositiones corporales (et cum iis character) interdum per decursum vitae morbis, ebrietate, extraordinaria vivendi ratione aliquatenus mutari possunt.

2) *Indoles acquisita* illas stabiles dispositiones compre- 469
hendit, quae tempore vitae homini accedunt et ex eius repetitis actibus et consuetudinibus oriuntur. Hi actus et consuetudines magna ex parte per causas externas moventur et excitantur, per naturam, velut per regionem et caelum, quae hominibus suam notam imprimere solent, praeterea per materiales vitae condiciones, denique per homines, quibuscum convivunt, per familiam, nationem, classem culturalem, ad quam pertinent, per exempla, doctrinas, quas excipiunt. Attamen causae externae non ita characterem formant, ut homines pure passive iis moveantur, e. g. ut instructiones, monitiones, aliorum opiniones et exempla mere passive recipiant, sed ut ipsi iis credant, obsecundent, mores suos iis accommodent itaque ipsi in se stabiles habitus producant, diverse secundum diversam indolem innatam et diversum libertatis usum. Maxime fines, quos singuli propriae vitae libere praefigunt, quatenus nempe opifices vel magistri vel milites vel sacerdotes fieri et esse, religionem honestatemque fideliter observare vel negligere volunt, vehementer ad certum characterem formandum valent.

Character acquisitus et nativus distincti quidem, attamen minime inter se disgregati sunt, sed arcta copulatione cohaerent. Character acquisitus ab innato magna ex parte

suum colorem accipit et ipse vicissim hunc mutat, eum temperans, augens, nobiliorem vel deteriorem faciens. Sed qualitas individualis, quam character nativus personae confert, numquam plene evanescit; ipsa sanctitas, velut in Paulo et Ioanne, in Francisco Ass. et Ignatio, suum personalem colorem habet. Quid in concreto charactere innatum quidve acquisitum sit, non semper facile discernitur. Sicut una ex parte momentum constitutionis nativae non parvi pendendum est, ita alia ex parte non omnia ei attribuenda sunt. E. g. qualitates diversis nationibus, familiis, classibus et statibus socialibus communes vel omnino vel magna ex parte acquisitae sunt.

470 **Annotationes. 1. De unitate characteris.** Quae ad characterem, immo omnia, quae ad personam pertinent, cum actiones et qualitates eiusdem animae sint, mutuo contactu et influxu copulantur, ut nihil in vita affectiva, in vultu, in modo loquendi, incedendi, scribendi sit, quod contactu cum reliqua persona omnino careat. Numquam igitur actiones, affectus, vitia alicuius personae sufficienter intelleguntur, nisi simul eius reliqua indoles consideretur.

Sed haec unitas personae et characteris non ita exaggeranda est, ut affirmetur, quod interdum auditur, omne, quod ab homine fiat, semper ex integra totalitate personae provenire, ut singula sint expressio totius indolis psychicae. Talis unitas asseri nequit. Saepe actiones inconsideratas et contra melius iudicium nostrum ponimus, quarum nos postea paenitet; iidem homines saepe diverso modo se gerunt, prout in hac vel alia sphaera versantur: dux militum inter milites asper et durus, in familia sua valde benignus esse potest. In totali enim comprehensione characteris vel personae quaedam partiales complexus apprehensionum, emotionum, inclinationum, consuetudinum oriri possunt, quae ab aliis partibus quandam separationem, non absolutam, at relativam servant et cum eadem relativa partialitate in certis adiunctis hominem regunt. Si illa absoluta unitas locum haberet, ut semper omnia cum omnibus cohaererent, singulis momentis integra summa psychica personae cum

omnibus dispositionibus affectivis et repraesentativis in novum actum influeret. Quod in se incredibile est et experientiae contradicit. Haec opinio interdum ex determinismo nascitur, qui affirmat, actiones non libertate, sed semper indole personali determinatas esse.

2. **De mutabilitate characteris.** Character aliqua stabilitate 471 praeditus est. Hanc maxime ex parte sua nativa nanciscitur, quam homo non sine labore mutare, penitus autem numquam eliminare potest nec etiam debet; sed praeterea etiam ex parte acquisita, cuius habitus pariter stabilitate praediti sunt. Attamen character immutabilis non est. Propensiones, quae in pueritia admodum vegetae sunt, in viro et sene tranquilliores evadunt, in pubertate vehemens emotionum intensitas et labilitas naturam ingreditur, quae postea mitigatur, eventus pathologici graves mutationes inducere possunt, continuata impugnatio ingenitas propensiones si non eradicare, saltem usque ad debilitatem infirmare potest, ut non raro in sanctis vehemens temperamentum fere dispareat.

3. **De cognitione characteris.** Character ex manifestationibus externis cognoscitur.

a) Huc imprimis spectat *modus se gerendi,* agendi, lo- 472 quendi, non ille solum, qui intenditur, sed etiam et saepe certius ille, qui involuntarius est. Emotiones etenim, affectus, tendentiae etiam praeter intentionem vultus motusque membrorum et actiones movent itaque perito se produnt: determinant modum incedendi celerem vel lentum, gravem vel fluctuantem, habitum corporis, modum ridendi, scribendi, comedendi, se vestiendi; praesertim vero vultu eiusque „mimicis“ expressionibus se manifestant, aliter laetitia, aliter aegritudo animi, aliter gravitas, aliter levitas.

b) Hac ratione *physiognomia* sive species vultus indicia 473 characteriologica praebere potest. Emotiones enim, si frequentes sunt, sensim vultum, obtutum oculorum, lineas oris, formas rugarum efformare possunt. Sed quia aliae quoque causae praeter appetitivas vultum afficiunt, velut continuatum studium, debilitas oculorum, pronuntiatio linguae, con-

diciones regionis et caeli, quibus causis singulis suum momentum distincte tribuere saepe difficile est, in vultu interpretando iudicatio valde circumspecta esse debet.

His considerandis *scientia physiognomica* operam dat, quae est scientia investigans, qua ratione qualitates psychicae per formas corporis, praesertim per vultus manifestentur indeque dignosci possint. Studia et opiniones physiognomicae ab antiquis temporibus attentionem moverunt. Sed antiquiore aetate ingenium vel qualitates characteriologicas potissimum ex *ingenita* corporis et faciei forma eruere studebant, vix non semper veritatis limites excedentes. Etiam Aristoteles, licet hac in re dubia foveat, tamen iusto amplius ex forma faciei, nasi, oculorum qualitates psychicas infert. Cuius sententiae postea divulgatae sunt. Tales exaggeratae sententiae diu permanserunt. Saec. 18. praecipue Lavater (1775 „Physiognomische Fragmente") earum defensor et propagator exstitit. Etiam phrenologia a Gall proposita (n. 54) et doctrina, quam Lombroso profert (n. 431), aliquatenus huc spectant.

c) *Nativa forma corporis* eiusque partium interdum characteriologicarum aliarumque qualitatum indicia praebere potest. Nam quia anima cum corpore unita est et ab eo pendet, sine dubio inter qualitates psychicas et conformationem corporis aliqua correspondentia adest, et in se possibile est, ut haec correspondentia in forma frontis, in ingenito oculorum splendore et aliis modis se prodat.[1]) Sed incerta haec sunt.

474 d) Hodie frequenter *graphologia* ad dignoscendam indolem personalem, characteriologicam praesertim, adhibetur. Graphologia originem et nomen a Michon, notabilem vero expolitionem a L. Klages accepit. Scriptio initio plene voluntaria est; a puero omnes litterae cum intentione lente scribuntur, ut peculiares characteris qualitates vix manifestentur. Sed paulatim scriptionis forma ex parva vel nulla intentione prodit et quasi automatice perficitur; tunc permultum a qualitate psychica, appetitiva maxime, regitur, quae sic se manifestat et quidem interdum ita, ut distincte agnosci queat. E. g. a peritis plus minusve inaequalitas scriptionis affectum, forma aequalis et procera voluntatis firmitatem, lineae ascendentes laetitiam vel animum industriosum, variae

[1]) Recentissime *E. Kretschmer*, Körperbau u. Charakter (1931) certam quandam eiusmodi correspondentiam inter characterem et corporis formam defendit; quae notabilem, at non universalem approbationem obtinuit.

differentiae diversam aetatem indicare dicuntur. Nonnullae tales regulae verisimiles vel certae, aliae dubiae, aliae arbitrariae sunt. Eadem enim qualitas scribendi etiam alias causas habere potest, ut iudicium graphologicum de charactere cum magna consideratione proferendum sit.

Alio modo graphologia adhibetur, si, e. g. in usu forensi, de agnoscenda aliqua scriptione agitur, utrum huius an illius auctoris sit. Tunc scriptio comparanda est cum aliquo certo autographo auctoris, de quo quaeritur. Haud raro scriptio artificiose mutata sive falsificata est, sed vix umquam perfecte; fere semper remanent significantia residua naturalis scriptionis in parvis scripturae elementis, praesertim in fine vocabulorum, ubi iam attentio falsatoris remittitur.

De temperamento. Characteri propinquum est tempera- 475
mentum, quod vocatur; sed simul aliquatenus ab eo differt.

1) *Temperamentum est stabilis indoles appetitiva in nativa hominis dispositione fundata.* Cum charactere igitur convenit, quod etiam stabilis indoles *appetitiva* est, differt autem, quatenus solum indolem nativam, non simul acquisitam includit. Temperamentum esse stabilem indolem appetitivam, sufficienter iam per antiquam illam divisionem temperamenti in cholericum, sanguinicum, melancholicum, phlegmaticum indicatur, quae diversam indolem appetitivam designant. Temperamentum autem indoles *nativa* est, quia omnibus a natura datum et tunc etiam manere dicitur, quando eius manifestationes suppressae sunt: si quis virtute ex iracundo mitis, ex instabili constans factus est, tamen spectato temperamento cholericus vel sanguinicus manere dicitur. Ergo temperamentum in naturali constitutione fundatur. Rationis autem et voluntatis est, temperamentum regere, emendare, excolere.

2) *Temperamentorum divisio* multiplex instituitur. 476

a) Notissima illa est, quae ab antiquis temporibus secundum Hippocratem (saec. 5. a. Ch.) et Galenum (saec. 2. a. Ch.) quattuor temperamenta distinguit: *sanguinicum, cholericum, melancholicum, phlegmaticum.* Eorum diversitates antiqui ex quattuor humoribus corporis humani repetunt, ex sanguine,

felle flavo (χολή), felle nigro (μέλαινα χολή), pituita (φλέγμα). Verius autem ultimo repetendae sunt ex diversa dispositione nervorum, cerebri maxime, diversa operatione vegetativa totaque corporis indole.

Temperamenti *sanguinici* proprium est, ut facile excitetur, attamen sine profunditate et constantia, et ut praevaleat laetitia; ideo facile affectuum et attentionis mutationes fiunt et parva est vis constans in agendo. Homines sanguinici naturaliter proni sunt ad levitatem in cogitando et agendo, ad distractiones, vanitatem, voluptatem, sed etiam hilaritate, sociabilitate, tractabilitate excellere solent.

Temperamentum *cholericum* etiam facile, sed cum profunditate et constantia excitatur idque ita, ut magis irascibilis quam concupiscibilis appetitus praevaleat; propterea magna ei inest vis et constantia in agendo. Cholerici naturaliter graves sunt in moribus, mente aperti, magnanimi, fortes, sed etiam proni sunt ad iram, arrogantiam, superbiam.

Temperamentum *melancholicum* tardius, sed cum magna profunditate neque sine constantia excitatur et quidem ita, ut potius concupiscibilis quam irascibilis et ex concupiscibilibus potissimum affectus tristitiae praevaleat. Ideo homines melancholici magis passivi et contemplativi quam activi sunt, ad interiora conversi, solitudinis amantes, ad timores, suspiciones proclives sunt, sed etiam profundae speculationis et magnae idealitatis capaces, fideles, patientes, constantes esse solent.

Temperamentum *phlegmaticum* tarde et absque profunditate, sed cum constantia excitatur. Ideo in phlegmaticis affectus parvi sunt neque activitatis vigor magnus est. Tardi, sed plerumque tenaces sunt in cogitando et agendo, naturaliter ad commoditatem proclivi, sed etiam iudicio considerati, mente tranquilli et tractabiles esse solent.

Haec divisio certe omnibus numeris absoluta dici nequit. Attamen vetustate et communi acceptione se commendat et rerum veritati satis congruit.

477 b) Recenti tempore *multae aliae divisiones* propositae sunt, quae tamen universalem approbationem non obtinuerunt. Plus quam viginti eiusmodi divisiones a Kant, Wundt, Höffding, Heymans aliisque excogitatae numerantur, quae per diversas combinationes intensae vel levis receptionis, intensae vel levis reactionis, emotionalitatis, activitatis etc. diversos temperamentorum typos construunt.[1]

Temperamenta enumerata sunt ideales typi temperamentorum, qui ut tales non frequentes sunt. Fere semper temperamentorum mixtiones inveniuntur, quae etiam in diverso sexu vitaeque aetate varie modificatae sunt.

*Caput VII

De specialibus statibus vitae psychicae

Usque adhuc generales vitae psychicae activitates et 478*
proprietates omnibus communes explicavimus. Quae tamen non ita communes sunt, ut non in diversis hominibus vel in extraordinariis condicionibus speciali modo sive secundum sive praeter communem ordinem determinatae et modificatae inveniantur. Quaedam istarum varietatum normales et ordinariae sunt, velut proprietates sexuum, vitae aetatum, typorum; aliae vero extraordinariae vel etiam abnormes alterationes sunt, ut phaenomena occultistica et aegrotationes psychicae.

Etiam de his specialibus statibus seu varietatibus aliqua exponere convenit, quantum scopus psychologiae generalis patitur, quia vitae psychicae communi saepe admodum propinqui sunt et in eam ingrediuntur.

*Art. I. De statibus normalibus

Status speciales vocamus normales, si in iis rectus facultatum psychicarum usus adest. Eiusmodi normales differentiae psychicae vel individua spectant vel sexum, diversas aetates, nationes, typos. Eos late exponere non tam ad

[1]) Novissime E. Kretschmer duo temperamenta distinguit, schizothymicum et zyclothymicum, quibus diversam constitutionem corporalem assignat.

psychologiam generalem quam potius ad differentialem spectat; ideo supremas lineas describere sufficiat.

*479 **Differentiae individuales** praesertim characterem (et temperamentum) attinent, qui in diversis individuis numquam penitus aequalis est. Ad homines autem bene noscendos et recte educandos, tractandos, a psychicis defectibus et morbis, ubi oportet, sanandos magni momenti est has individuales qualitates perspectas habere. Ad quam notitiam comparandam non solum modus agendi hominum observandus est, sed etiam eorum conditio externa, in qua vivunt, sortes vitae praeteritae, educatio et ea omnia, quae ad indolem formandam conferunt, prae oculis habenda sunt. Ad haec recte perspicienda et diiudicanda potius experientia et prudentia naturalis quam copia regularum iuvant.

*480 **Sexus** uterque suas stabiles proprietates psychicas easque nativas habet. Reperiuntur interdum, velut immoderatae „emancipationis" feminarum defensores, qui utriusque sexus absolutam aequalitatem politicam et socialem, etiam in ipso matrimonio, postulant, asserentes, virum et feminam qualitatibus psychicis ex natura minime differre; discrimen, quod nunc appareat, tantum ex oppressione sociali feminarum oriundum esse, quae congruam facultatum earum explicationem impediat. In quo asserto aliquid veri inesse potest. Attamen principales utriusque sexus differentias nativas in utriusque sexus constitutione fundatas esse, colligitur ex earum constantia et universalitate per omnes gentes et ex eo, quod iam a primis annis clare manifestantur; e. g. vix umquam videmus pueros illos ludos eligere, quibus puellae delectantur, quamquam iis praesto sunt, et e converso.

In viro maior est fortitudo et animi constantia, indoles activa, deliberatio, maior discursive et abstracte cogitandi facultas, quae eum ad deliberatam rerum considerationem et scientias artesque colendas aptiorem reddunt. In femina praevalet indoles emotionalis: emotiones et affectus facilius oriuntur, intensi fiunt, perdurant et rerum considerationem regunt, etiam phantasia vividior est; vis et constantia voluntatis generatim minor est sive saltem non ita in agendo

quam in sustinendo se manifestat. Spectato ingenio potius intuitiva apprehensio quam dos abstracte et discursive cogitandi et magis facultas receptiva quem productiva praevalet. Haec delicatior qualitas emotionalis et intuitiva apprehensio feminis illum peculiarem sensum ad veritates et bona idealia, ad honestatem, religionem, decentiam percipienda et constanter tenenda conferunt, quo viris antecellunt.

Itaque vir et femina non tantopere praestantia quam potius qualitate psychica differunt; unus sexus hoc, alter alio ad diversa munera a natura assignata excellit. Vir operibus vitae peragendis, difficultatibus superandis, profectui humano procurando destinatus est; ideo etiam caput et tutor familiae est, vitam publicam regit, profectum culturae promovet. Femina vitae domesticae potissimum operam dat in educatione principales partes habet, generi humano amorem et misericordiam donat, custos honestatis et religionis in familia et societate est et merito regina familiae nuncupatur. Ideo opus est, ut educatio utriusque sexus non aequalis, sed utrique accommodata sit, non uniformitatem producere, sed utriusque qualitates et praestantias excolere studeat. Nec feminae virorum indolem modumque agendi imprudenter imitari debent, quo fieret, ut proprium decus amitterent, alienum autem non assequerentur.

Vitae aetates similiter speciales proprietates psychicas 481*
manifestant.

Pueritia est tempus primae formationis et evolutionis vitae psychicae, quae duobus septenis annis, prioribus potissimum ludendo, posterioribus cum intentione discendo, acquiritur. Initio vitae primum motus in oculos cadunt. Etiam infans humanus, etsi minore gradu quam animal, multis motibus ingenitis, reflexis et instinctivis, instructus est, quos perficere conspicitur, velut motus sugendi, clamandi, pedes et brachia iactandi; alios motus ludendo discit. Ludi, ad quos vehementi nisu instinctivo impellitur, a natura in hunc finem diriguntur, ut eam elementarem facultatum exercitationem conferant, quae in futurum necessaria est. Ludendo infans

primum motus membrorum exercet, dein rerum externarum tractationem discit, denique ludendo cum sociis commercium sociale exercet. Perceptiones sensitivae mox ab initio adsunt, sed non statim cum attentione et oculorum obtutu fiunt. Memoria iam post aliquot hebdomadas facies humanas dignoscere scit. Etiam phantasia agere conspicitur, quae deinde ludendo, historiis et fabulis audiendis delectatur. Anno secundo infans etiam logice cogitare et distincte in se reflectere incipit. Eodem fere tempore, postquam antea iam incerto ore voces inarticulatas prompsit et repetiit, paulatim aliqua, mox plura vocabula cum cognita significatione, sed initio sine flexione adhibet. Deinde iudicia enuntiare apprehenditur, sed primum tantummodo universalia et neglecta coordinationis et subordinationis distinctione. In vitae exordio infans ens pure sensitivum est, solum sensitivis emotionibus et impulsibus, nulla vero rationali appetitione sive motivorum cognitione regitur. Anno secundo iam emotiones rationales amoris et gratitudinis, affectus pervicaciae et contumaciae, sensus proprii honoris, amor laudis, pudor, liberae electiones observantur. Ad odium parum, vehementer autem ad amorem exhibendum et recipiendum pronus est, etiam parum tristitiam, nisi obiter et transitorie, ordinarie vero laetitiam ostendit. Sed mox malae quoque inclinationes apparent et brevi, nisi provida educatione prohibentur et reprimuntur, invalescunt.

*482 *Aetas iuvenilis* circiter ab anno 14. usque ad 21. extenditur. Inchoatur pubertate, qua maturitas sexualis perficitur. Hoc tempore vita psychica notabilem mutationem patitur et inquieta impetuositas eam ingreditur. Iuvenis vires et facultates suas augeri et maturescere sentit, quare maiorem de se opinionem concipit. Non patitur se puerum tractari, sed viros imitari studet, cupido libertatis crescit, quae auctoritatem et legem moleste fert et renitentiam contra parentes et magistros producit; non duci, sed ipse se, immo forte etiam veteres ducere et corrigere vult. Ideo parentes et magistri studere debent, ut auctoritatem et libertatem apte concilient hinc libertatis spatium dilatantes, illinc vero

ductum auctoritatis, iuvenibus immaturis necessarium, non omittentes, sed potius ita exercentes, ut amorem, aestimationem et fiduciam gignat. Idem sensus propriarum virium iuvenes impellit, ut, non sine confusa imaginatione, maxima assequi cupiant. Quam cupidinem quidam idealismus animare solet, verum, pulchrum, sublime aestimans et desiderans. Unde cultus heroum nascitur, sed etiam, quia iuvenis condiciones vitae et reales facultates humanae naturae diiudicare nequit, propensio ad omnia acri censurae subicienda oritur, quae saepe ad desiderium reformandi et interdum ad revolutiones faciendas progreditur. Eadem aetate desiderium amoris et amicitiae exhibendae et accipiendae intensum esse solet. Quia iuvenis nisum vitae agendae et fruendae et impetum fortium inclinationum sentit, ad iis satisfaciendum instigatur, quod graves tentationes et conflictus morales parit, qui saepe religionem periclitari faciunt. Si extrinsecus pravae inspirationes et doctrinae accedunt, hic conflictus usque ad pugnam intellectualem contra legem moralem et ad nietzscheanam repudiationem eius ducere potest. Ad talem conflictum arcendum sive sanandum utile est, praeterquam quod sanctitas et momentum aeternum ordinis moralis prae oculis ponitur, idealismum iuventuti insitum invocare ostendendo, legem moralem non rationanabilem, sed indignum tantum usum bonorum vitae vetare, in virtute colenda veram contineri hominis notabilitatem, sui victoriam esse genuinam fortitudinem, opus animi virilis atque veram libertatem, contrarium vero ignaviam et indignum sub iugo cupiditatis servitium.

Aetas virilis. Post diuturnam pueritiae praeparationem et impetuosam inquietudinem aetatis iuvenilis vita psychica gradatim ad aliquam maturitatem et aequilibrium venit, ut non iam potissimum phantasia et vis emotionalis, sed deliberatio et voluntas regimen teneant, character firmetur et quandam cogitandi et agendi constantiam induat. Vir generatim conscientia officii regi et, vaga agendi cupiditate abiecta, vires in certum obiectum colligere solet, videlicet 483*

potissimum in munus suum implendum et familiam sustentandam.

Senectus. Paulatim corpus et cum corpore etiam animae facultates deficiunt et primum quidem illae, quae maxime a corpore pendent. Acrimonia sensuum debilitatur, memoria, rerum praesertim recentium, deficit, phantasia vigore destituitur. Etiam vis cupiditatum generatim alicui tranquillitati locum cedit. Vis autem cogitandi diutius manet et saepe usque ad extremos vitae fines mira claritate gaudet. Etiam agendi fervor et studium rerum externarum, quarum fragilitas et inanitas longa experientia perspectae sunt, elanguent et quietis desiderio cedunt.

*484 **De typis psychologicis.** Typi psychologici sunt constantes modi speciales multis communes, quibus functiones psychicae exercentur. *Speciales modi* sunt et quidem praeter solitum speciales. Typus enim, plerumque saltem, ibi tantum inveniri solet, ubi specialis proprietas eminenti modo expressa reperitur; non usitatum est in unoquoque individuo, quod semper aliqua speciali indole praeditum est, statim typum invenire. Ergo non omnes alicui typo adnumerandi sunt; plerique tantum aliquem plus minusve participant. *Constantes* modi sunt, quod indicat, typis stabiles dispositiones subesse sive ingenitas sive acquisitas sive utrumque simul. *Multis communes* sunt. Ideo saepe nomen typus ex qualitate ad ipsam summam personarum eam habentium transfertur. Denique de typis *psychologicis* nunc agitur; praeterea typi somatici (homo pinguis et macer), morales, religiosi et alii statuuntur.

*485 *Typorum genera* plurima sub respectu characteris, temperamenti, singularum functionum, agendi motivorum et sub aliis respectibus proponuntur, quae scire saepe ob fines paedagogicos vel alios utile esse potest. E. g. spectato charactere distinguuntur typus constans et mutabilis, activus et passivus, fortis et debilis, harmonicus et discors, „introversus“ et „extraversus“ (C. G. Jung), prout studium et activitas potius ad externa vel introrsus conversa est. Spectatis functionibus distinguuntur typi repraesentativi (visualis

[eideticus], auditivus, kinaestheticus), typus extensivus, cuius attentio ad multa simul se extendere valet, et intensivus, qui fere unum tantum, attamen cum intensitate et constantia attendit, typus intuitivus et discursivus, theoreticus et practicus, intellectualis et emotionalis, typus voluntatis constantis et mutabilis, deliberate et festinanter decernens. Prout hi vel illi fines vitam regunt, distinguunt interdum (Spranger) hominem theoreticum (veritas quaeritur), aestheticum (harmonia), oeconomicum (utilitas), socialem, potestatis sectatorem (Machtmensch), religiosum. Denique typi nationum, rassarum, variorum statuum, classium et innumerabiles alii statuuntur.

Haec exempla ostendunt, typorum divisiones non omnes aequalis bonitatis et momenti esse. Aliis perfectiores illae sunt, in quibus non una solum, sed complures qualitates vel saltem proprietas principalis sive alicuius functionis qualitas essentialis, non accidentalis spectatur. Etiam colligitur, typum non idem esse quam characterem, ut nonnulli censent. Typus characteriologicus est unus ex multis typis nec ipse idem est quam character generatim, sed specialis forma characteris est.

*Art. 2. De alterationibus psychicis ordinariis

Alterationes vitae psychicae illos status psychicos appellamus, in quibus homo recto facultatum psychicarum usu privatus est. Alterationes *ordinarias* vocamus, si in omnibus hominibus periodica vice recurrunt vel saltem, ut hypnotismus, ita naturales sunt, ut in omnibus adsit proxima dispositio ad eas data occasione patiendas. 486*

*§ 1. De somno

Inter alterationes psychicas somnus una ex parte notissima est, alia ex parte alterationibus extraordinariis, praesertim amentiae, tam affinis est, ut eo intellecto haud difficulter etiam illarum natura comprehendatur; merito enim somnus cotidiana amentia vocatur. Nihilominus licet somnus eventus sit cotidianus, tamen densa caligine involvitur,

ut aliam praeter imperfectam eius notitiam acquirere non valeamus.

*Th. 27. **Somnus potissimum in eo consistit, quod est status periodicus ligationis vitae psychicae fere universae (1. p.), ortus praecipue ex alteratione nervorum, maxime cerebri (2. p.).**

*487 **Demonst. 1. p.** Vix necessarium est animadvertere, somnum discernendum esse a somnio. Somnium est operatio imaginationis, quae *in* somno accidit.

Somnus est status organismi tum vitam psychicam tum organa corporalia afficiens. Qualis organorum mutatio somno essentialis sit, non accurate scimus. Tantum indeterminate asserimus, aliquam nervorum alterationem adesse. Somni natura maxime nobis ex mutatione psychica innotescit, quae in eo accidit; per eam potissimum somnum concipere et describere solemus. Hac ratione in thesi dicimus somnum potissimum in eo consistere, quod sit status ordinarius ligationis vitae psychicae fere universae.

*488 1. *Ligatio vitae psychicae,* quam affirmamus, in eo consistit, quod facultates sensitivae et rationales ob alterationem organorum corporalium sic impeditae sunt, ut vel nullos vel imperfectos tantum actus elicere possint. Somnum autem statum talis ligationis vitae psychicae et quidem fere universae esse, experientia colligitur:

*489 a) In somno *sensus perceptivi* fere penitus ab actibus cessant; nihil videmus, apertis auribus nihil fere audimus, doloris, caloris, motuum perceptionibus caremus. Sed non absoluta est haec defectio. Leves perceptiones sonorum, dolorum, affectionum saepe adsunt. Licet enim haud claram earum conscientiam neque ullam memoriam habeamus, tamen in somnia influunt: strepitus (auditu perceptus) repraesentationem somnialem tonitrus, levis dolor imaginationem pugionis nos perforantis provocant. — *Phantasia* quidem activitatem non sistit et somnia producit. Attamen non regitur potentiis rationalibus, quippe quae quiescunt, sed levibus perceptionibus et associationis legibus excitatur et regitur. Imaginationes enim invicem sequuntur sine ordine et conexione logica; praeterita praesentia esse et absentia coram esse opinamur, combinationes rerum possibiles existimamus reales esse. — Etiam *sentimenta* in somno observantur, appetitiva et perceptiva, velut amor, aversio, desiderium, timor; sed, saltem generatim, minus intensa sunt quam alias.

b) Activitas *intellectus* permultum remissa est. Adsunt quidem in somnio ideae, iudicia, etiam ratiocinia. Attamen deest debita idearum et iudiciorum comparatio, reflexio, deliberatio, ideo activitas intellectus ordine caret, deceptiones et errores vitare sive corrigere nequit, sed imaginatione regitur. Accidit quidem, ut in somno oriantur bonae atque etiam ingeniosae conceptiones et inventiones, sed rarissime et solum per opportunam associationem elementorum, quae iam in statu vigili parata erant. Ordinarie somnia inania et incohaerentia sunt. Praesertim sopita est in somno conscientia sui, ut in somniis non raro conscientia ego proprii deficiat vel immo duplicitas et scissio in complures personas appareat. — *Voluntas* (et appetitus sensitivus) elicit quidem actus desiderii, gaudii, timoris, qui tamen plerumque remissi sunt efficaciaque carent. Neque debitae deliberationi intellectus subsunt; quare in somno libertas ad imputabilitatem moralem requisita deest.

Ligationem vitae psychicae aliquatenus etiam *motus* participant. Motus spontanei fere penitus cessant. Voluntas imperium efficax exercere nequit; si forte motum imperat, non sequitur exsecutio, sed loco eius phantasia motum imperatum fingit. Motus reflexi adsunt, sed debilitati sunt.

c) Solae vires *vegetativae* functiones suas peragere pergunt idque aliqua ex parte etiam liberius et salubrius quam in statu vigili.

Ex his colligitur, somnum revera consistere in ligatione non vitae simpliciter, sed vitae psychicae et quidem fere universae. Sic somnus communis a somnambulismo et hypnotismo differt, in quibus, ut ex infra dicendis patebit, potentiarum psychicarum partialis solutio locum habet.

*490 2. Porro somnus est *status periodicus* ligationis vitae psychicae, quia ex ordine naturae periodica vice recurrit; quo a ligatione psychica extraordinaria differt, qualis est hypnosis, animi defectio vel amentia.

*491 **Nota.** Itaque in somno etiam *facultates rationales ligatae* sunt, sed indirecte, propter ligationem vitae sensitivae, cui rationalis ita alligata est, ut anima eam exercere nequeat, nisi simul correspondentem vitam sensitivam exercere possit, sicut fere una rota currus alteri rotae per axem conexa moveri nequit, si alia ligata est.

Intellectus igitur et voluntas non omnino propterea ab activitate deficiunt, quod ex se quidem ad agendum expediti sint, attamen condicionibus proximis ad agendum requisitis careant, scilicet actibus sensitivis simul concurrentibus; etenim saltem actus phantasiae in somnio adsunt. Neque praecise ideo deficiunt, quia actus phantasiae turbati sunt: hi enim propterea ordine carent, quia intellectus activitatem dirigentem sistit neque etiam conatum ad phantasiam corrigendam adhibet. Ipsae igitur *potentiae* intellectus et voluntatis ligatae sunt (indirecte), quia nimirum vita sensitiva in *radice,* spectata virtute sua principali, quasi in profundo sopita est.

Sic etiam amentia facilius comprehenditur. Quae scilicet non potissimum propterea adesse videtur, quod intellectus ob actus phantasiae turbatos a convenienti activitate impeditur, sed quia ipse plus minusve quiescit (et *propterea* phantasiae imaginatio licentia fruitur). Hoc clare in idiotis cernitur, in quibus non adsunt illae turbulentae imaginationes, tamen gravis adest intellectus defectio.

*492 **Demonst. 2. p.** Inquirimus, quae sit proxima et immediata causa ligationis psychicae somno maxime propriae. Asserimus, eam non quidem unice, attamen potissimum esse aliquam alterationem systematis nervorum, a quo vita sensitiva omnino, motoria autem praecipue pendet, alterationem nempe in eo sitam, quod vis nervorum subito ita quiescere adigatur et quasi obseretur ac praecludatur, ut magna ex parte incapax reddatur principalis suae activitatis, sensitivae et motoriae. Hanc ligationem maxime cerebrum afficere ex eo colligitur, quod supremum centrum nervorum est.[1]) — In quo accuratius haec alteratio consistat, nescimus.

Alterationem nervorum, maxime cerebri, esse praecipuam causam proximam ligationis psychicae, ex his colligitur:

---

[1]) Non tantummodo cerebrum magnum immutari evidenter ex eo perspicitur, quod etiam in animalibus cerebro magno privatis vicissitudo somni et status vigilis observatur.

a) Causa ligationis sine dubio immutatio illius organi est, quod *principium activitatis sensoriae et motoriae* est et a cuius dispositione ac mutatione etiam reliquae immutationes psychicae dependent. Hoc organum autem nervi sunt et praecipue cerebrum.

b) Idem elucet ex *fine,* ob quem natura somnum instituit, nempe ut vis nervorum uberius nutritione reparetur. Reparatio quidem etiam inter vigilandum fit, sed non sufficiens, ut praeterea necesse sit somnum advenire, in quo nervi a functionibus psychicis quiescere adigantur itaque nutritio uberius procuretur. Hunc esse finem somni ex eo colligimus, quod revera maxime somno nervos restaurari experimur, ut saepe una hora somni maiorem afferat restaurationem quam complures horae quietis, quod nervi debiles uberiore somno indigent, quod, si diu necessarius somnus subtrahitur, nervi corrumpuntur, quod in infantia et in reconvalescentia, quo tempore amplior processus nutritionis requiritur, somnus diuturnior et profundior est.

c) Cum hoc cohaeret, quod ordinaria causa remota somnum adducens *fatigatio* est. Fatigatio autem in eo sita est, quod energia consumpta et compensanda est et venena fatigatoria removenda sunt. Ergo pronum est conicere, fatigationem adducere statum, in quo vis nervorum quiescere adigatur et restauretur. Revera videmus, quo maior est fatigatio, eo maiorem esse somni indigentiam et eo profundiorem esse somnum. Et forte propterea somnus brevi post initium profundissimus est ac deinde paulatim, facta iam aliqua virium reparatione, in leviorem transit.

Alteratio nervorum potest esse fortior vel levior. Irritatione psychica, velut vehementi sono vel dolore, superari potest; si alteratio est fortis seu somnus profundus, excitatio fortis requiritur, si lenis, levior sufficit.

De causis remotis somni. Porro alteratio nervorum, causa 493*
proxima ligationis psychicae, ipsa iterum variis causis sive condicionibus adduci potest, quae causae remotae somni sunt. Ad eas pertinent:

a) *Fatigatio*, causa praecipua somni, quae quidem diu voluntate et occupatione psychica superari potest, sed tandem cum aliqua necessitate somnum adducit.

b) *Causae psychicae.* Praecipua est cessatio occupationis psychicae: si nulla vel parva est sensuum et intellectus operatio, somnus incipit, attentio autem et intensa occupatio somnum arcent; quae tamen cessatio non tam causa, quam potius condicio somni est, nempe remotio impedimenti somnum arcentis. Alia causa psychica somnum iuvans est suggestio obdormiendi sic facta, ut quis vel ab alio imperium indormiendi accipiat vel ipse suam dormitionem repraesentet sibique persuadeat, se iam indormire. Talis suggestio ad dormitionem adducendam fere simili ratione confert sicut vivida repraesentatio motus ad eundem motum producendum.

c) Praeterea diversa *phaenomena physiologica* commemoranda sunt, quae alterationem nervorum comitantur, sive huius aliqua causa sive tantum effectus sunt; quod non satis constat. Respiratio minus frequens, sed profundior fit, pulsatio cordis retardatur, assimilatio et dissimilatio in toto organismo generatim minores sunt quam in vigilia (praesertim quia motus musculorum cessant), venena fatigatoria, imprimis CO_2, in sanguine contenta minuuntur; num in somno, praesertim in profundo, maior copia sanguinis in cerebum affluat necne, non certo constat.

*494 *De causis somni diversae hypotheses* statuuntur, quae tamen propter rei obscuritatem et quia non satis causas et condiciones, causas proximas et remotas distinguunt, sufficientem claritatem non afferunt.

1) Alii tantum causas *physiologicas* adducunt, nempe hyperaemiam sive anaemiam cerebri, defectum oxygenii in organismo, venena fatigatoria et similia. — 2) Alii somnum ex causis *psychicis* declarare volunt. — 3) Aliquam celebritatem nacta est hypothesis *instinctus* a Claparède statuta, qui existimat, somnum esse activitatem instinctivam: sicut animalia ex instinctu actiones sibi utiles exerceant et secundum adiuncta mutent, ita homines ex instinctu somnum capere ad arcendam virium confectionem. Quae tamen opinio admitti nequit. Praeparatio quidem ad somnum nonnumquam in animalibus aliqua ratione instinctiva esse potest, sed somnus ipse minime. Operatio enim instinctiva est actio positiva proveniens ex conscio impulsu sensitivo et ex repraesentatione rei exsequendae; somnus autem non est actio positiva psychica, sed ligatio activitatis et status potius passivus.

Intensitas somni brevi post initium maxima est, in quo 495*
tamen gradu non diu permanet, sed magis magisque levior evadit. Linea in fig. 30 descripta ostendit intensitatis somni mutationem per singulas horas, saltem ordinariam. In iis vero, qui magis vespere quam mane in gravem laborem incumbunt, maxima profunditas post duas vel tres horas accidit. Primae igitur horae reliquas permultum profunditate superant. Sed non eadem est proportio, si virium reparatio spectatur; quae circiter toti durationi somni respondet.




Fig. 30. Intensitas somni (1–6 indicant horas somni)

Somnium est activitas phantasiae in somno. Quae tamen 496*
non eadem est sicut in vigilia. Sed phantasmata valde vivida veraeque hallucinationes sunt et insuper directioni et correctioni intellectus subtractae sunt solisque legibus associationis et perceptionibus illis levibus, quae etiam in somno fiunt, determinantur et reguntur. Ita incommodus situs producit somnium operosi laboris et expansio pedis lapsum ex alto, gravitas respirationis convertitur in onus pectori incumbens, ingratae affectiones in scarabaeos in corpore serpentes transfigurantur. Sic etiam accidere potest, ut tenuissimae affectiones, quae alias non animadvertuntur, noctu certas somniorum imagines excitent itaque nonnumquam occulti morbi se prodere possint.

Decursus somnii, ut iam indicatum est, ordine logico et iudicio caret; est lusus associationum, quae alicui perceptioni, quae sentitur, vel reproductioni se adiungunt et ex uno in aliud transeunt. Modo iucunda, modo iniucunda, modo indifferentia sunt; observationes factae satis ostendere videntur, iniucunda iucundis in universum frequentiora esse. Generatim characteri somniantis accommodata sunt. Materiae, quas tractant, partim et forte maiore ex parte ex eventibus dierum immediate praecedentium, partim e vita praeterita sumuntur. Interdum somniis ingens celeritas ascribitur; quae tamen apparens tantum esse videtur;

generatim talis fere est, qualis ordinaria successio imaginationum in statu vigili est.[1])

Quo minus intensus est somnus, eo maior generatim somniorum claritas est. Feminae communiter minus intensum somnum habere solent quam viri; crescente aetate intensitas somni decrescit, sed simul etiam somniorum vigor.

Ex antiquo tempore disputatum est, num toto vel saltem aliquo somni tempore somnia penitus abesse possint. Aristoteles, Plato, Locke affirmant, Descartes, Leibniz, Kant aliique negant. Vix certum responsum dari potest. Probabilius esse videtur, semper saltem leve somnium adesse. Qui data opera observationes instituerunt, asseverant, se, quocumque tempore expergefacti sint, invenisse se somniatos esse.

*497 **Somnambulismus** est peculiaris status somni, quem a communi somno eo fere distinguere solemus, quod somnambuli somnia sua exsecutioni mandant. Surgunt enim, vestes induunt, ambulant, tecta conscendunt, bibunt, cantant, legunt, difficilia exsequuntur, quibus vigiles haud pares sunt; expergefacti autem rerum gestarum memoriam non habent.

Ex quibus colligitur, somnambulismum esse statum somni coniunctum cum *partiali solutione* ligationis in somno consuetae, ex aliqua abnormi nervorum alteratione exorta. Solutus est enim influxus actuum psychicorum in potentiam motricem, soluti sunt etiam aliqui sensus externi; nonnumquam somnambuli audiunt et vident, sed ea tantum, quae coram sunt vel cum somniis congruunt, obstacula evitant, in tectum ascendentes lapides tentant, immo in tenebris, in illa parva luce, quae aliis non sufficit, vident. Etiam partialis solutio intellectus adesse potest, in iis scilicet somnambulis, qui studiis se dare et problemata solvere referuntur. Atque etiam aliqua partialis vis psychica maiorem gradum attingere potest quam in vigilia: vis psychica generalis in angustum ambitum coarctata largius in activitatem

[1]) De famosa doctrina *psychoanalytica*, quam Freud de somnio proponit, confer infra, De doctrina psychoanalytica.

particularem se effundit. Multa difficilia vel periculosa, quae interdum peragunt, etiam ex eo declarari possunt, quod aliae facultates sopitae sunt ideoque tota attentio eorum in id unum, quod agunt, collecta est, et quod deest clara conscientia et reflexio ideoque etiam periculi advertentia et haesitatio.

Causa somnambulismi est alteratio nervorum paulum abnormis. Ideo homines infirmis nervis praediti huius alterationis magis capaces sunt, pariter saepe somnambulismus post intensam mentis contentionem vel animi commotionem accidit.

Minus quam somnambulismus a consueta somni consuetudine locutio somnialis deflectit, quae praesertim in iuventute, in qua somnia vivaciora sunt, invenitur.

*§ 2. De hypnotismo

Hypnotismi nomine designatur status quidam somno similis 498*
cum effectibus peculiaribus coniunctus, quorum praecipuus in eo consistit, quod subiectum hypnotisatum suggestionibus hypnotisantis subiacet. Nonnumquam etiam ipsa ars producendi hunc statum hypnotismus (activus) vocatur.

Phaenomena hypnotica iam medio aevo nota erant. Sed recentiore demum tempore usus hypnotismi magis invaluit, praecipue per A. Mesmer medicum († 1815). Hic variis mediis, etiam adhibito magnete, phaenomena hypnotica produxit eaque ex „magnetismo animali" declarare conatus est, i. e. ex admissa vi magnetica, quae ex corpore magnetisantis in alterius corpus effluat. Ex compluribus decenniis vera hypnotismi natura melius perspecta est; quam thesi sequenti exponemus.

Studium hypnotismi maxime in Gallia incrementum cepit, ubi schola parisiensis (Charcot) hypnosim, plerumque casus extremos respiciens, statum pathologicum esse tenuit eumque potissimum mediis physiologicis produxit, schola autem nanciensis (Liébeault, H. Bernheim) hypnotismum rectius ad leges psychicas alioquin notas reducit et in hypnosi excitanda suggestioni primum locum tribuit. Haec posterior

sententia nunc dominatur. — Nomen „hypnotismus“ J. Braid († 1860) auctorem habet.

Itaque hypnotismus complectitur statum quendam somno similem, qui hypnosis vocatur, et praeterea peculiaria phaenomena, quae in hoc statu accidunt.

*499 1. *Hypnosis* partim mediis physicis partim psychicis producitur. Media physica sunt uniformes vel vehementes excitationes sensuum, quae scintilla electrica, fragore, sonibus uniformibus, intuitu rei splendidae, motibus manuum super faciem vel membra hypnotisati factis vel artibus similibus producuntur. Medium vero psychicum et praecipuum est suggestio, qua subiecto sopiendo imaginatio obdormiendi inspiratur; simul commodus situs ei paratur omniaque ab eo removentur, quae distractionem afferre itaque impedire possunt, quominus suggestioni se dedat. Inter media allata haec suggestio obdormiendi eminet, qua simul attentio hypnotisandi in hypnotisantem convertitur quaeque nunc communiter ad statum hypnoticum producendum necessaria esse existimatur. Persona sopita ex hypnosi imperio hypnotisantis revocatur.

*500 2. Inter *phaenomena in hypnosi* accidentia illud praecipuum est, quod persona sopita suggestionibus hypnotisantis subiacet.

Suggestio generatim sumpta dici potest determinatio psychica, qua aliqua persuasio sine deliberatione producta subiectum efficaciter regit. Prout illa apprehensio vel extrinsecus vel ex proprio subiecto provenit, heterosuggestio vel autosuggestio habetur. In hypnotismo heterosuggestio locum habet. Autosuggestio adest, si quis e. g. se regem vel certo morbo imaginario affectum esse putat. Suggestio hypnotica ab hypnotisante inspiratur. Itaque dum hypnotisatus aliorum verba plerumque neglegit et aliarum rerum impressiones vix sentire videtur, tota eius attentio in hypnotisantem conversa est eique, attamen non semper sine resistentia, oboedit: facit, quae imperat, motus eius imitatur, hallucinando videt et audit, quae ille suggerit, nonnumquam etiam res et personas, quas non adesse suggerit, per quandam hallu-

cinationem negativam non advertere videtur; experitur frigus et calorem, prout hypnotisator frigidum et calidum esse dicit, aquam credit esse vinum et aqua hausta revera vini effectus producit; non potest loqui, scribere sive aliter se movere, si ille vetat; si suggeritur, eum nihil ex vulnere accepto sentire, analgesia oritur; etiam interdum contingit, ut, si suggeritur vulneratio vel affectio cutis, tumor, rubor cutis, pustulae oriantur.[1]) Tantopere nonnumquam propria conscientia et deliberatio ligatae sunt, ut hypnotisati, si imperetur, existiment se esse bruta, lapides, pueros itaque se gerant. Etiam ea, quae postea facienda antea in hypnosi iniuncta fuerant, post hypnosim suo tempore, saltem saepe, exsequuntur, quamquam accepti imperii non semper (clare) recordantur (phaenomena posthypnotica). Memoria eorum, quae in hypnosi facta sunt, postea, saltem si hypnosis gravis fuit, tenuis tantum vel etiam nulla habetur.

Accedunt saepe *alia phaenomena:* anaesthesia seu suspensio perceptionum vel e contrario hyperaesthesia, catalepsia seu immobilitas membrorum, qua fit, ut homo fixe situm membrorum retineat, in quo ponitur, extraordinarium incrementum memoriae, ut hypnotisatus uti possit lingua, quae diu iam oblivioni mandata videbatur, et similia.

Hypnosis eiusque phaenomena *in plerisque hominibus* produci possunt, facilius in illis, qui facile obsequuntur et concentrationis capaces sunt et praesertim qui iam saepe hypnotisati sunt, difficilius in aliis, maxime in hominibus inquietae mentis, quales infantes sunt; amentes hypnotisari nequeunt. Etiam mentis contentio vel commotio affectiva obstant. In multis autem saltem suggestibilitas perfecta, qua suggestionibus hypnotisantis in omnibus obtemperent, obtineri nequit; immo phaenomena extrema fere tantum in 501*

[1]) Etiam parva „stigmata“ sanguinea mera suggestione producta esse referuntur. Attamen de nullo eiusmodi exemplo constat. Et si accidissent, magnopere differrent a stigmatibus Sanctorum, quae non ex producta hypnosi orta sunt, plane diversam magnitudinem et intensitatem habent et praesertim hoc maximo discrimine differunt, quod semper in eodem statu manent, dum alia vulnera vel sanescunt vel ingravescunt.

personis hystericis vel frequenter hypnotisatis provocari possunt.

Quaeritur, num etiam voluntate *renitentes* suggestioni subiugari queant. Distinguenda est suggestio ad hypnosim et suggestio in hypnosi. Suggestioni ad hypnosim producendam cum successu resisti potest, saltem si quis nondum antea hypnotisatus fuit. Suggestioni in hypnosi iam facta etiam aliqua ratione resisti potest; non raro, si actus inhonesti suggeruntur, reapse resistitur. Attamen plerumque resistentia suggestione iterata superatur.

Hypnotismus tamquam *medium therapeuticum* adhiberi solet; aegroto in hypnosi salutiferae suggestiones sanando malo utiles, quas deinde observare debet, inspirantur. Sed nunc ei non amplius idem momentum ascribitur, quod ante aliquot decennia.

In sequentibus expositionibus praecipue profundam hypnosim spectamus. — Declarationem igitur hypnotismi hisce in compendium redigimus:

*Th. 28. **Hypnotismus est status somno similis ab hypnotisante productus et partiali tantum vitae psychicae ligamine ita affectus, ut subiectum sopitum suggestionibus hypnotisantis subiciatur.**

*502 **Declar.** In thesi id agendum suscipimus, ut hypnotismum ex legibus psychicis aliunde notis declaremus. Phaenomenis hypnoticis sine dubio causa physiologica subest, mutatio aliqua nervorum, praesertim cerebri, et quidem mutatio aliquatenus innaturalis, qua plenior ligatio psychica et quies ordinario somno propria et a natura intenta impeditur. Sed quia haec causa parum perspecta est, eam praetermittimus tantum causas psychicas attendentes. Itaque asserimus: a) Hypnotismus imprimis est status somno similis, b) attamen a somno communi eo differt, quod ita producitur, ut non universa vita psychica ligata sit, sicut institutioni naturae per se consentaneum esset, sed partialis solutio adsit, propterea scilicet, quia ab initio attentio hypnotisandi in hypnotisantem eiusque imperium conversa est, quo completa ligatio impeditur. c) Ista simultanea partialis ligatio et solutio ab hypnotisante producta praeter alia illud phaenomenon hypnotismo maxime proprium efficit, ut subiectum suggestionibus hypnotisantis subiaceat.

Demonst. Definitio hypnotismi in thesi statuta admittenda 503*
est, si omnia eius phaenomena, tum hypnosis tum eventus in ea accidentes, definitioni concordant. Atqui id est. Quod ostendimus considerantes primum hypnosim, deinde phaenomena in ea evenientia.

I. *Hypnosis* (ὕπνος, somnus) somno plane similis est: subiectum obdormiscit, immobile fit, conscientia et deliberatione privatum sui impos evadit sicut in somno. Pariter media hypnotisantia talia sunt, quae etiam alias somno excitando idonea sunt; quies enim animi, uniformes impressiones, maxime vero suggestio somnum adducere solent.

Sed hoc interest discrimen, quod, dum in communi somno ex inclinatione naturae obdormimus cum intentione plene quiescendi et attentione ab omni re externa avocata, subiectum sopiendum obdormit cum affectiva oboedientia seu resignatione in voluntatem hypnotisantis atque attentionem in eius imperium conversam et quasi vigilantem tenens. Hac ratione autem facile intellegitur fieri posse, ut plena ligatio a natura intenta impediatur et speciales oriantur eventus a communi somno discrepantes, speciatim autem impulsus ad oboediendum hypnotisanti permaneat et propter coarctationem animi vehementer augeatur.

II. *Quod phaenomena in hypnosi* accidentia spectat, 504*

1. Phaenomenon hypnotismo maxime proprium est, ut hypnotisatus *suggestionibus hypnotisantis subiectus* sit. Hoc ultimo ex eo provenit, quod, sicut in definitione dicitur, hypnotismus status somno similis est, attamen cum partiali tantum ligatione, ab hypnotisante productus. Ita enim fit, ut hypnotisantis suggestio vim suam, quam in hypnotisatione exercere incepit, ulterius continuet et in patiente illam persuasionem somnialem et impulsum ad phaenomena suggesta producenda excitet, qui ut causa proxima phaenomena illa producit, dum externa suggestio causa remota est.

a) *Suggestione* externa etiam in vita ordinaria saepissime imaginationes, persuasiones, agendi impulsus produci ac

dirigi, experientia passim ostendit. Suggestione efficitur, ut cum potestate imperantes vehementer ad oboediendum moveant, ut cum auctoritate perorantes, etiam rationibus sufficientibus minime allatis, mentes secum trahant, ut errores initio repudiati, si continuo repetantur, tandem partim vel plene credantur, ut errores omnes, sive ore sive scripto proponuntur, etsi errores esse perspiciuntur, tamen mentem afficiant ideoque raro omni periculo careant. Maiorem autem et plenam potestatem suggestio in hypnotisatum exercet, cuius attentio tota in hypnotisantem collecta est et in quo nulla propria reflexio vel voluntas resistunt. Mirum igitur non est, quod in hypnotisato vividam persuasionem imaginativam et impulsum gignit. Simili ratione contingit, ut etiam somniantibus colloquendo imaginationes suggeri possint, quas veras esse credunt.

Neque mirandum appareat, quod attentio sopiti in hypnotisantem tantopere collecta et impulsus ad ei obsequendum tam fortis est, ut unius hypnotisantis verba exsequi et interdum eius unius verba percipere cernatur. Incidit enim in hypnosim attentionem convertens in hypnotisantem eiusque suggestioni oboediens, ut attentio nunc, cum eius amplitudo admodum coarctata est, tota in illum conversa sit et impulsus oboediendi permaneat. Ceterum potestas suggerentis non absoluta est. Hypnotisati enim saepe resistunt, ut non statim prima vel altera suggestio obtinere queat, quae vult.

*505 b) Haec somnialis persuasio imaginativa deinde ut causa proxima phaenomena hypnotica producit: vivide vera imaginatur, quae suggeruntur, et vehementem impulsum ad imperata exsequenda gignit. Imaginatio iam in statu vigili magnam potestatem exercet: iudicium intellectus secum trahit, imaginatio motus ad eundem motum imitandum impellit, repraesentatio rei foetidae vomitum provocare, imaginatio morborum eosdem producere, imaginatio sanationis morbos (nerveos) depellere potest, immo concentratio imaginationis in certum corporis punctum sanguinem illuc contrahit vel, si cum timore morbi coniuncta est, etiam dolorem excitare valet. Multo plus phantasia in hypnosi efficere poterit. Nam imaginationes, sicut

in somno, hallucinationes fiunt, et earum dominatus propterea fere absolutus evadit, quia nulla adest clara sui conscientia, nulla intellectus reflexio et deliberatio, etiam vis voluntatis quiescit vel saltem valde infirmata est, ut nulla adsit efficax resistentia imaginationi contraria. Ita intellegitur, non posse non sequi illusiones et actiones imaginationibus conformes. In somno similia observantur: adsunt hallucinationes, quae a somnambulis exsecutioni mandantur, somniantes vera et praesentia esse putant, quae imaginantur, alios ac sunt se esse existimant, et quoslibet incurrunt errores.

Hallucinationes negativae, quibus hypnotisati res praesentes, quae non adesse suggeruntur, non percipiunt, ex eo declarandae esse videntur, quod res quidem percipiuntur (si cui suggeritur mensam non adesse, eam non percipere videtur, tamen eam declinat), attamen propter vehementem attentionis abstractionem ita, ut fere nulla conscientia et subsequens memoria habeantur. Etiam homines distracti, quorum attentio tota in aliquam rem conversa est, ad se accedentem non videre, interrogantem non audire videntur; in hypnosi vero propter ligationem vitae psychicae attentionis amplitudo multo magis coarctata est.

Maiorem difficultatem facta *posthypnotica* facessere possint, qualia sunt exsecutio mandatorum in hypnosi acceptorum, hallucinationes imperatae, incapacitas ad aliquid exsequendum propter imperium in hypnosi acceptum. Haec apte declarari possunt ex quadam partiali perduratione seu renovatione influxus hypnotici, quatenus statuto tempore id, quod mandatum fuit, in memoriam redit et tunc ad modum ideae coactivae similem impulsum psychicum, si non efficacem, saltem valde urgentem exercet sicut in hypnosi ipsa. Observamus etiam interdum, ex somniis ordinariis aliquem influxum in vitam vigilem perdurare, ut cum imaginationes in somnio habitae cum aliqua violentia redire conantur. Ceterum posthypnotica exsecutio mandatorum infallibilis non est. 506*

In suggestione posthypnotica exsequenda etiam tempus imperatum observari solet. Quod propterea fit, quia, si

tempus alicui signo, ut pulsationi horae, adnexum fuerat, propter associationem in hypnosi factam tali signo percepto memoria rei exsequendae excitatur, in aliis autem casibus aliqua memoria rei et temporis mandati permansit (recordatio penitus inconscia „in subconscientia latens" admittenda non est; n. 324).

*507 2. *Alia phaenomena* in hypnosi evenientia pariter naturae hypnotismi descriptae congruunt. Hypnotici vident, audiunt, se movent, operationes intellectuales, etsi fere semper leviores tantum, exercent; sermocinantur enim, ad quaestionem propositam respondent, levia problemata mathematica solvunt. Haec apte ex partiali solutione psychica explicantur. Hyperaesthesia autem et extraordinaria memoriae intensio ex hoc originem ducunt, quod vis psychica in angustum ambitum coarctata in particulari activitate plus valere potest; eadem phaenomena in somnambulismo observantur. Catalepsia ita fieri videtur, ut imaginatio immobilitatis brachii suggestione producta apprehensiones et innervationes ad motus necessarios impediat. Ceterum non obliviscendum est, statum hypnoticum, nempe quo plena ligatio sive quies impeditur, aliquatenus innaturalem esse; idem indicant aucta frequentia pulsationis cordis et respirationis, sudor, commotio nervorum vasomotoriorum et systematis sympathici ac signa fatigationis.

*508 **Notae.** 1. *Phaenomena extraordinaria,* quae nonnumquam in hypnosi accidere referuntur, e. g. cognitio cogitationum internarum alterius, directa suggestio mentalis, qua hypnotisator imperio solum cogitato personam, etiam absentem, in hypnosim conicere dicitur, facta „clarae visionis", revelatio rerum penitus occultarum, usus linguarum omnino ignotarum et similia, *si* vere facta sunt, iam illis occultismi phaenomenis adnumeranda sunt, de quibus infra agetur. Ceterum notandum est, plurima eiusmodi facta non hypnosi, sed fraudibus personarum hypnotisatarum adscribenda esse, maxime si hystericae sunt.

2. *De moralitate hypnotismi.* Experimenta hypnotica sanitati facile nocent, quia nervos non parum et saepe periculose afficiunt, praesertim si non admodum scite et caute vel si in eadem persona saepe instituuntur. Praeterea suggestibilitatem status vigilis augent; in quo non exiguum damnum vitae psychicae continetur. Cum praeterea usu rationis privent ac hypnotisatum voluntati alienae tradant, tantum licita sunt, si ratio convenienter gravis adest et abusus, maxime ille, qui suggestionibus fieri potest, exclusus est. Ex gravi enim ratione vetitum non

est aliquod sanitatis periculum permittere usuque rationis se privare: alioquin neque somno se committere liceret. Gravis autem ratio, ut permittatur privatio rationis et periculum valetudinis, potest esse rationabile studium hypnotismi, magis autem curatio morbi, non vero curiositas vel lucrum.

*Art. 3. De occultismo

*§ 1. Quid sit occultismus

Occultismus vocatur complexus phaenomenorum, quae speciali modo „occulta" dicuntur, ita videlicet, ut speciem prae se ferant effectuum causarum adhuc nobis ignotarum. Occultismus ita definitus *obiectivus* appellari potest. Praeterea scientia haec phaenomena methodice investigans occultismus *(scientificus)* vocatur. Denique mos quoque talia phaenomena producendi eaque spiritibus mortuorum ascribendi etiam occultismus *(vulgaris)* nominatur. 509*

Quaedam eiusmodi *phaenomena spontanea* sunt, quae sponte, sine mediis, fiunt, velut facta spectrorum (Spuk), nuntii a mortuis allati. Alia, et haec praecipue hoc loco spectamus, *experimentalia* sunt, quae ope „mediorum" sive hominum speciali dispositione ad eiusmodi phaenomena producenda instructorum producuntur.[1]) Media homines valde suggestibiles vel hysterici esse solent et inter experimenta plerumque in statu quodam hypnotico (Trance) versantur. Ut phaenomena fieri possint, postulari solet, ut cubiculum tenui tantum luce rubra illustretur.

Sub alio respectu phaenomena, quae viribus occultis produci asseruntur, in *physica* et *mentalia* dividuntur. Phaenomena physica talia sunt: mensae rotantur, corpora nullo tangente moventur vel elevantur (telekinesis), soni audiuntur, lumina comparent, formae humanae apparent („materialisationes"), corpora disparent et iterum redeunt. Phaenomena vero mentalia huiusmodi sunt: media dicuntur eventus longinquos resque contectas videre, linguis ignotis loqui,

[1]) Nomen *medium* ab interpretatione spiritistica derivatur, qua spiritus mortuorum per medias has personas se manifestare putantur. In Gallia loco medii nomen Metagnom (ab Osty inductum) adhibetur.

praeterita et futura cernere, mortui per media vel mensas responsa dare feruntur.

*510 Haec phaenomena, quod eorum veritatem historicam attinet, plerumque vel non acciderunt talia, qualia narrantur, vel artificiis mediorum producta vel saltem tam dubia sunt, ut de iis certum iudicium ferri nequeat. Attamen non omnia in dubium vocari possunt. De multis diligens examen scientificum institutum est. Speciatim anglica „Society for Psychical Research" ex multis annis plurima eiusmodi facta examinavit et collegit. Inter celebriora media novissimi temporis a viris doctis studiose examinata eminent Home, Florence Cook, Eglington, Slade, Helene Smith, Eva C. (Carrière; Marta B.), Eusapia Palladino itala, Piper et Leonard americanae, Kathleen Goligher, W. et R. Schneider, M. Silbert, F. Kluski.

Occultismus scientificus, quatenus in phaenomenis mentalibus investigandis occupatur, nunc *parapsychologia*, quatenus physicalia considerat, *paraphysica* nominari solet. Saepe vero totus occultismus parapsychologia[1]) appellatur, sed minus apte, quia nomen iam indicare videtur, omnia phaenomena ex viribus psychicis declaranda esse.

Occultismus (vulgaris) nunc instar pestis in nationibus cultissimis grassatur. Homines materialismi pertaesi rerumque spiritualium et supernaturalium cupidi, verae autem religioni parum addicti seu ab ea alieni hac ratione rerum superiorum ac religionis desiderio satisfacere ordinemque spiritualem immediata experientia attingere volunt. Accedit cupido hominibus innata arcana noscendi et occultas notitias auxiliaque in usus vitae obtinendi.

*§ 2. Variae sententiae de phaenomenis occultis

Iam ad quaestionem accedentes, quid de phaenomenis „occultis" iudicandum sit, utrum ex viribus nobis notis explicari possint an revera occultis adscribenda sint et quaenam istae sint, haec varia responsa invenimus:

---

[1]) Secundum Ch. Richet (Metapsychique).

1. **Phaenomena occulta simpliciter recusantur.** Fuerunt et 511*
adhuc sunt, etsi haud multi, qui simpliciter negant, phaenomena occulta, qualia affirmantur, vere accidere vel certo demonstrata esse; plurima eorum aiunt fraudibus mediorum produci, alia autem ex causis naturalibus iam notis declarari posse.

2. **Omnia phaenomena ex causis occultis naturalibus explicanda esse,** aliorum opinio tenet, praesertim multorum ex iis, qui phaenomena occulta scientifice inquirunt. Isti concedunt quidem, phaenomena occulta vere accidere, attamen non admittunt causas praeternaturales, non raro propterea, quia generatim entia extramundana recusant; sed omnia phaenomena tantummodo causis naturalibus produci asserunt, attamen plus minusve occultis sive diversis a viribus, quas hucusque novimus. In qua re interdum vere mirandum est, quod huius opinionis defensores una quidem ex parte omnia praetermundana tamquam parum certa a priori recusant, altera autem ex parte magna credibilitate in mediis vires occultas „naturales" plane incredibiles ab experientia et ratione non parum difformes admittunt, e. g. facultatem longissime distantium cogitationes atque etiam ipsas in sola memoria dispositive latentes percipiendi, facultatem corpora sola voluntate movendi et elevandi, praeterita et futura intuendi, novas materias procreandi.

Speciatim commemorandus est *„animismus"*, qui appellatur, qui, aliter ac spiritismus, omnia phaenomena per solas vires mediorum et quidem (proxime vel remote) per psychicas effici existimat.

3. **Spiritismus** phaenomena occulta a spiritibus hominum 512*
defunctorum per ministerium mediorum produci opinatur. Spiritismus magna ex parte principales sententias theosophicas tenet, sed praecipuam attentionem spiritibus tribuit. Docet, hominem componi ex corpore, anima animali et spiritu, qui subtilissima materia astrali (perisprit) indutus sit, ex corpore physico etiam egredi, materias penetrare et aliter leges naturae perfringere queat, in morte autem a corpore physico seiunctus mundum spirituum ingrediatur. In hoc

mundo spiritum absque essentiali mutatione eandem fere indolem suam intellectualem et moralem retinere, quam antea habuerit, vitam terrenae similem ducere et ulterius se perficere, eundem etiam saepius reincarnari, donec paulatim plene purgatus suprema beatitudine dignus effectus sit. Spiritismus enim docet, nullam damnationem aeternam, sed tantum continuam evolutionem ad statum meliorem futuram esse, spiritus autem defunctos per media advocari et phaenomena occulta producere posse.

*513 *Theosophismus* phaenomena occultistica, speciatim notitias occultorum effici opinatur virtute praeternaturali et intuitione quadam divina exercitiis theosophicis in homine excitata, cui omnia praesentia, praeterita, futura pateant. Theosophismus hodiernus, qui saepe occultismo ut fundamentum philosophicum substernitur, est systema quasi philosophicum ex philosophia indica sumptum et praecipue ab Helena Petrowna *Blavatsky* († 1891) in occidentales regiones importatum ideisque hodiernis paulum accommodatum. Secundum theosophismum deus est ens absolutum pantheisticum ex se emittens iterumque in se retrahens mundum et hominem. Uterque autem phantastice describuntur. Mundus dicitur constare ex septem „planis", quorum unum tantum, mundum hunc physicum, sensibus attingamus; ex reliquis praecipua sunt planum astrale et planum manasticum, in quo posteriore caelum theosophicum, devachan, collocatur. Pariter septem terras esse fingunt. Etiam homo ex septem principiis componitur, quae haec fere sunt: primum est corpus visibile, alterum principium vitale, tertium corpus astrale subtilissimum invisibile, per quod media e corpore physico egredi, alibi apparere et agere posse dicuntur et quod spiritus defuncti retinent; quartum est anima animalis, quintum anima humana quasi media inter spiritum et materiam, sextum anima spiritualis (buddhi), principium septimum autem atma, pars ipsius entis absoluti. Anima post mortem in planum astrale et, si eius merita permittunt, in devachan ingreditur, sed solum ad tempus. Postea iterum iterumque in terram redire et reincarnari debet, donec secundum legem universalem iustitiae iteratis incarnationibus omnis culpa deleta sit et anima in Nirvana ingredi i. e. cum ente absoluto perfecte uniri queat. Homines autem et spiritus astrales communicatione coniuncti sunt. — Quia igitur in homine vis divina latet, nulla est potentia, actio vel scientia, cuius homo capax non sit. Quae tamen capacitas in corpore physico ligata est. Ut igitur se manifestare et simul homo cum entibus astralibus communicare queat, excitanda et excolenda est.

Variae autem artes et exercitationes docentur, per quas homo gradatim ad novas mentis et voluntatis vires, ad telepathiam, claram visionem occultorum, ad corpus suum astrale quoquoversus mittendum, ad volandum in aere, ad materias convertendas et leges quaslibet naturae perfringendas et ad unionem cum absoluto pervenire queat. Eiusmodi exercitia sunt concentratio attentionis, certa ratio sedendi, modus respirandi talis, ut halitus universi recipiatur ac respirationis momenta cum universi vibratione singulis momentis mutata concordet itaque anima mundi et propriae vitae sortes efficaciter regi possint; et alia similia. Etiam istae exercitationes et promissiones absonae ex religiosis libris indicis transsumptae sunt. — Ad has fabulas demonstrandas theosophistae praeter antiquas traditiones indicas intuitiones suorum visionariorum invocant, qui praehistoricas aetates terrae et astrorum eorumque incolas et antiquissima sapientiae theosophicae exordia conspexerint.

Recentissimo tempore *R. Steiner* theosophismo speciem scientificam vel immo christianam dare conatus est eique nomen anthropomorphismum indidit, ceteroquin fabulis theosophicis minime demptis, sed etiam auctis.

4. **Explicatio monistica.** Aliqui non omnia quidem, attamen quaedam mentalia phaenomena, speciatim illarum rerum notitias, quas medium a nemine viventium accipere potest, ita explicare conantur, ut admittant mentem universalem superindividualem, rerum omnium scientiam in se comprehendentem, ex cuius unione media occultorum notitias hauriant (W. James, Osty [conscience universelle], Scheler, alii). 514*

5. **Sententia aliis praeferenda** illa videtur, quam plurimi ex iis, qui principiis christianis inhaerent, defendunt; qui multorum phaenomenorum realitatem concedunt eaque vel ex causis naturalibus vel, ubi tales sufficere non videntur, ex causis praeternaturalibus explicant, quas potissimum spiritus malos esse affirmant.

*§ 3. De phaenomenis physicis occultis

*515 Phaenomena physica ope mediorum producta ante complura decennia magnam admirationem moverunt. Quam fidem tamen, postquam inquisitio severior facta est, magna ex parte perdiderunt. In plurimis enim experimentis non dubia mediorum artificia fraudulenta vel indicia eorum inventa sunt et celeberrima media fraudum convicti sunt; etiam suspicionem movere debet, quod ipsa media certas condiciones experimentorum praescribere solent et quidem tales, quae exactam observationem difficilem reddunt, e. g. postulantes, ut cubiculum, in quo experimenta fiunt, obscuretur vel solo lumine rubro illustretur. Ideo non pauci phaenomenis physicis omnem fidem denegant. Sed multa facta tam severe omnibus cautionibus adhibitis examinata sunt, ut deceptio sive voluntaria sive involuntaria (nempe in statu hypnotico facta) exclusa et realitas phaenomenorum admittenda esse videatur. Praecipua ex iis consideremus.

*516 1. *Rotatio mensarum:* Aliqui assident levi mensae manus expansas ita ei imponentes, ut invicem contingant itaque continuam catenam efforment. Saepe post aliquod tempus mensa moveri et rotari incipit et quidem interdum cum magna vehementia. Huius facti plerumque haec explicatio naturalis, in qua tamen proportio inter causam et effectum non semper satis perspicitur, proponi solet: manus expansae leviter mensae impositae vibrationibus tremulis continuis moventur, quae ex pulsatione cordis et respirationis aliquem rhythmum sortiuntur, hae vibrationes in mensam transferuntur et paulatim augentur, donec mensa leviter moveri incipit, simili fere modo sicut milites gressu rhythmico per pontem incedentes graves fluctuationes in eo producunt; motus mensae autem incipiens ulterius augetur motibus inconsciis assidentium, qui motum productum videntes eiusque augmentum exspectantes hac ipsa exspectatione inconscio modo determinantur ad hunc motum manibus suis augendum et dirigendum. Narrant autem, tales motus etiam quandoque factos esse, ubi manus ita supra mensam expanderentur, ut ipse contactus arceretur, vel mensas tam

graves et motu tam forti motas esse, ut motus omnem vim moventem visibilem excedere videretur.

2. *Telekinesis:* Sine sensibili contactu medii mensae et 517*
sellae moventur, instrumenta per aerem volant et sonare incipiunt, spectatores invisibili contactu tanguntur, corpora quasi gravitate suspensa elevantur et saepe media ipsa elevari vel diminutum pondus habere inveniuntur (levitationes). Hi motus ita fiunt, ut aliqua intellegentia dirigi conspiciantur; corpora mota enim aptis viis ad certa loca adducuntur, provide impedimenta evitant, etiam, velut instrumenta musica, motus artificiosos perficiunt. Maximam hac in re celebritatem nacta est E. Palladino († 1919). Sine dubio plerique artificiis mediorum (vel spectatorum iuvantium) perficiuntur. Sed non omnes tales eventus tantum fraudibus attribui possunt. Ad eos declarandos non imprudenter opinari licet, ex medio vires moventes psychice excitatas egredi, quibus naturali modo corpora levia propinqua moveat. Si autem corpora longius distantia et insuper gravia moveantur simulque vi intellegenti dirigi percipiantur, nihil relinqui videtur, quam ut externis agentibus intellegentibus ascribantur, quae hos effectus vel sola producant vel ita, ut in iis efficiendis simul aliqua vi corporali e medio egrediente utantur. Nihil enim vetat conicere, per vehementem nisum psychicum medii in statu hypnotico constituti talem vim actuari et egredi eamque ab agentibus externis cooperantibus et dirigentibus aliqua ratione adhiberi. Tales motus agentium externorum iam propterea miri videri non debent, quia similes in phaenomenis spontaneis spectrorum observantur, quorum non pauca certo probata sunt; in quibus simili modo sub directione intellegenti sine ullo visibili contactu corpora moveri, transferri, per aerem volare, homines tangere conspiciuntur.

Speciatim *apportationes* commemorandae sunt. Interdum subito corpora praesentia disparent et post moram ex tecto cubiculi descendunt vel corpora e vicino cubiculo evanescunt et in consessu apparent. Quatenus haec non mediorum deceptiones, sed vera facta sunt (nec de omnibus prudenter

dubitari posse videtur), iterum non sine externis causis intellegentibus producta esse possunt.

*518 3. *Materialisationes* (Teleplastica). Apparent, ex medio egredientes, diversae res materiales, quae post aliquod tempus disparent, fila, texturae per aerem motae, praesertim vero formae organicae, velut manus, quae tangunt, apprehendunt, trahunt, res movent et tangi possunt, facies, capita, etiam ampliores et integrae formae humanae; quae sine dubio a causa intellegente formata sunt. Haec propterea materialisationes appellata sunt, quia secundum opinionem spiritistarum formae materiales a spiritibus assumptae sunt, quibus se vestiant. Etiam haec phaenomena plerumque mediorum artificiis debentur, saepe saltem suspiciosa signa adsunt; interdum integrae personae, „spiritus materialisati", inter spectatores apparuerunt, quas ipsa media transfigurata fuisse compertum est (Fl. Cook, Bastian). In quantum certo constare potest, media inter haec phaenomena nihil extrinsecus agere, concedendum est, ea per externa entia intellegentia produci. Etiam in phaenomenis spontaneis spectrorum similes apparitiones cernuntur. Aliqui putant, in materialisationibus producendis illa agentia externa semper vel interdum cooperatione medii uti, ita nempe, ut per impulsum psychicum medii in statu hypnotico constituti et per simultaneam cooperationem horum spirituum e corpore medii subtilissimae substantiae viresque emittantur (iterumque resorbeantur), quae in figuras transformentur; idque eo indicari existimant, quod media inter haec experimenta vehementer afficiantur et fatigentur iisque ipsis persuasum sit, sibi vires extrahi.

Interdum narrantur spiritus sui ipsorum *imagines photographicos* in appositis tabulis imprimere; quae tabulae revera facies et figuras humanis similes exhibent. Sed hae plerumque deceptiones photographorum sunt, qui videlicet antea tabulis suis imagines impresserunt et nunc furtim his tabulis utuntur.

*§ 4. De phaenomenis mentalibus

Phaenomena mentalia occulta sunt notitiae, quae speciem tamquam a causis ignotis acceptarum prae se ferunt. Huc spectant aliqua phaenomena spontanea, ut nuntii calamitatis sive mortis amici longe distantis, „sensus secundus", quo futura praevideri dicuntur, praeterea phaenomena experimentalia, videlicet revelationes rerum occultarum, quas media proferunt et pro responsis spirituum habent, denique notitia linguarum ignotarum. Prophetiae, cardioscopia vel praevisio futurorum, quibus interdum sanctos instructos esse constat, phaenomenis occultis non adnumerantur, saltem non ab iis, quibus persuasum est, ea tantum Deo ascribi posse. 519*

Revelationes mediorum sive „responsa spirituum" plerumque ex causis naturalibus aliunde notis, praesertim vero ex fraudulentis artificiis mediorum explicantur. Haec responsa ad propositas interrogationes mensarum pulsationibus, certorum instrumentorum (psychographorum) motibus, sonis, scriptione automatica mediorum dantur, quae a spiritibus advenire dicuntur, revera autem plerumque responsa mediorum sunt. Medium, maxime si in somniatione hypnotica constitutum est, imaginatione suggestiva tenetur, spiritus per se ipsum loqui. Sic fit, ut, quae ei responsa in mentem veniunt, modo correspondenti manus eius moveant et *mensam* ad convenientes pulsationes impellant. Nonnumquam *soni* audiuntur, qui ex mensa vel aliunde advenire videntur et pariter ad responsa danda evocantur. Tales soni saepe a mediis ipsis artificioso motu articulorum corporis, e. g. digitorum pedis, producuntur, qui deinde suggestione spectatorum in mensas aliasque res proiciuntur. Saepe media *scriptione automatica* responsa dant. Plus minusve in somno hypnotico constituti stilum manu tenent et interrogationibus propriisque imaginationibus ducti scribere incipiunt et quidem quasi automatice, existimantes, non se, sed alios per se scribere. Initio scribunt incohaerentia, paulatim magis cohaerentia, plerumque admodum trita et usitata, nonnumquam autem res alicuius momenti, quae verba spirituum

esse volunt. Scriptio automatica ut talis non necessario phaenomenon occultum est, sed ex notis legibus psychologicis explicari potest (n. 326).

*520 Responsa autem plerumque a medio venire ex eo elucet, quod ingenio, cultui, ideis moribusque medii conformia esse nihilque continere solent, quod eius scientiam superat, et praeterea valde trita, inania, indeterminata et saepe falsa sunt. In quantum interdum determinata et vera sunt, causam inde repetunt, quod medium rerum, quas profert, aliunde notitiam habet, vel quod ex interrogationibus, gestibus verbisque spectantium indicia haurit, vel quod fortasse interdum spectatores propriam rei notitiam aliis inconsciis signis manifestant, e. g. idearum suarum vocabula gutture vel ore formantes, quae medium hypnotica supersensibilitate instructum percipere possit. (A. Lehmann et F. C. Nansen experimentis ostenderunt, nos idearum conceptarum vocabula involuntaria susurratione, etiam ore clauso, efformare, quae in certis condicionibus percipi queant.)

Sed haec non semper sufficere videntur, ut cognitio, quam media manifestant, rationabiliter explicari queat. Interdum constare videtur, notitias de rebus praeteritis, dissitis, absconditis manifestari, quas media neque ex se neque ex aliis haurire possunt. Itaque quaeritur, ex quibus causis occultis has notitias accipiant. Etiam phaenomena spontanea, quae commemorata sunt, explicationem petunt. In quaestionem veniunt telepathia et clara visio. De utraque igitur primum agemus. Deinde inquiremus, num et quomodo notitia rerum occultarum, si de ea constat, vel praesentium vel praeteritarum vel futurarum, explicari queat.

*521 **1. De telepathia.** Telepathia in eo consistit, quod quis ab alia persona directe, absque ordinaria sensuum communicatione, psychicas impressiones accipit, praesertim percipiendo alterius cognitiones.[1])

[1]) Interdum distinguitur telepathia strictius dicta, ubi quis proprias cogitationes cum intentione ad alterum dirigit, qui eas passive recipit, et telepathia latius dicta sive simplex „cogitationum perceptio", quando recipiens absque emittentis intentione, qui forte de hac translatione nihil scit, eius cogitationes percipit.

1) *Talis perceptio in parvam distantiam possibilis* est et factis demonstratur. Experimenta huc spectantia talia sunt. Unus, qui partibus „recipientis" fungitur, ab altero aversus vel in propinquo cubiculo degens nulla externa impressione distractus in passiva animi dispositione se tenet, dum alter plena cum concentratione rem corpoream, figuram, faciem, vocabulum scriptum imaginatur vel intuetur; tunc interdum contingit, ut sive statim sive plerumque post aliquod tempus in phantasia recipientis clarum vel obscurum phantasma eiusdem rei oriatur. Vel experimentator imaginatur motum brachii a recipiente producendum et nonnumquam recipiens inclinationem ad eundem producendum sentit. Aliqua experimenta talia sunt, ut recipiens dici nequeat, alterius imaginationes ex signis externis interpretari, sed perceptio telepathica asserenda sit.

Eiusmodi perceptio certe declaranda non est ex immediata communicatione psychica seu contactu animarum sine eventibus materialibus intermediis. Etenim nec anima e suo corpore egredi nec proprium actum, sibi immanentem, ex se in distans transmittere potest.[1]) Dicendum videtur, motus seu processus cerebrales, qui imaginationem rei repraesentatae comitantur, ad subiectum recipiens transferri et in eius phantasia similem imaginationem provocare. Quod impossibile dici nequit. Si enim res communes perpetuo subtiles radios caloricos, opticos, radioactivos aliosque iam notos et forte adhuc ignotos emittunt, impossibile censeri nequit, ut imaginationes quoque cerebri, quae etiam materiales sunt, pariter radios materiales in alterius cerebrum transmittant, sive directe sive indirecte per alia corporis organa et nervos. Quae impressiones subtiliores sunt, quam ut ordinarie percipiantur, sentiri autem possunt a subiecto extraordinaria sensibilitate praedito, praesertim si ab oculis auribusque alienae excitationes arceantur. Hic modus translationis imaginationum etiam eo indicari videtur, quod tantum homines extraordinaria sensibilitate praediti his experi-

[1]) Cf. 1 q. 117 a. 3 et 4.

mentis adhiberi possunt, quod plerumque demum post longius tempus (per „summationem excitationum“) imaginationem eamque non semper claram accipiunt, denique quod experimenta vehementem defatigationem, maxime in recipiente, usque ad impetus hystericos, causant.

Hac ratione fortasse multae mediorum notificationes explicari possunt, quarum cognitionem astantes habent, saltem si de rebus concretis et sensibilibus agitur.

*522 2) Sed *non propterea quaelibet perceptio telepathica possibilis* censenda est. Imprimis perceptio ex maxima distantia difficulter comprehenditur. Difficile enim est concipere, tales radios tenuissimos, qui in minima distantia solum in personis superaestheticis et saepe demum post tempus effectum producunt, efficaces esse in immensas distantias idque tam fortiter et prompte et sine concentratione, sicut ad quaedam facta explicanda postularetur; aucta enim distantia vis excitationis decrescit. Praeterea non satis intellegitur, cur tales homines, si alicuius distantis, etsi nescientis, cogitationes excipere valent, cur non quaslibet perceptiones a quibuslibet orbis personis recipiant. Minus etiam translatio telepathica talis admittenda est, ut non tantum actuales, sed etiam pure dispositivae aliorum cognitiones transferantur, quarum tantummodo species in se gestant, de quibus minime cogitant. Id saepe affirmatur. Notitia mere dispositiva non est actus, sed est status quiescens, qui nullos motus sive radios extrinsecus emittit et proinde directe percipi nequit.

*523 *De indirecta cogitationum perceptione.* Brown, Bishop, Cumberland et post eos multi alii experimentatores modo plane alio cogitationes seu potius motus musculorum percipiunt. E. g. monent, ut spectator rem in cubiculo sitam mente apprehendat. Deinde sumpta hominis manu saepe eum recte ad rem apprehensam adducunt remque inveniunt. Vel monent, ut numerus concipiatur, quem deinde reperiunt componendo eum ex cifris in mensa positis, super quas prius manum| hominis apprehensam saepius moverant. Vel spectator iubetur imponere manum manui experimentatoris scribentis, quae posterior deinde numeros a spectatore cogitatos saepe recte describit.

In his experimentis spectator per involuntarios motus se prodit. Notum enim est, perceptiones vel imaginationes motuum nos ad eosdem motus, saltem manu imitandos, excitare; ita motus, quos globuli in ludo proiecti secundum voluntatem nostram facere debent, saepe ipsi imitamur. Dum igitur spectator experimentatorem cogitatam rem quaerentem comitatur, sua manu illius manui inserta, imaginatur motum sive lineam, quae ad rem cogitatam ducit. Haec imaginatio autem in eo levissimos motus manus excitat, alios, si experimentator a via deflectit, alios, si appropinquat, quos ille, sensibilitate exercitata vel abnormi praeditus, statim animadvertit; ita dirigitur.

Vel experimentator spectatorem iubet post se incedere et ex eius modo incedendi, spirandi, se movendi vel denique ex aliis eiusdem vel aliorum spectantium signis externis directionem accipit. Denique, ut supra dictum est, idearum conceptarum vocabula interdum involuntaria susurratione formamus, quae forte ab alio percipi possunt.

Hoc loco etiam *virgae divinatoriae* mentio facienda est (Wünschelrute, baguette divinatoire), quae ad subterraneas aquarum vel metallorum venas detegendas adhibetur. Virga divinatoria est virga plerumque in duos ramos divisa (Y), qui duobus manibus apprehenduntur. Ut primum homo virgam tenens super venam aquae transgreditur, virga moveri incipit. Phaenomenon ipsum certum est. Tantum pauci ei producendo apti sunt, nempe tales, qui hyperaesthesia quadam praediti sunt. Et sic explicandum esse videtur. Constat, homines (et animalia) perpetuo subtilissimos influxus electricos, radioactivos et alios adhuc ignotos ex humo et aere pati, velut tempore verno, horis tempestatem praecedentibus, in commoratione montana et alias. Tales influxus et radii etiam ex vena aquae vel metalli egrediuntur et vel directe virgam movent vel certe hominem eiusque nervos afficiunt, quae affectio (simulque autosuggestio aquae inventae) in eo involuntarios motus musculorum excitant, qui deinde in virgam transferuntur. Certior est effectus, si de aqua, quam si de metallis inveniendis agitur. Pura autem superstitio est, si virga ad malefactores detegendos vel quaslibet res amissas inveniendas adhibetur. 524*

2. **De clara visione** (Hellsehen, clairvoyance). Clara visio vocatur directa perceptio rerum (non psychicarum), etsi loco vel tempore distantium, talis, quae neque ex sensibus neque ex aliorum communicatione sumpta est. Haec est clara visio stricte dicta. Apparet, talem perceptionem naturaliter impossibilem esse, quia, cum homo cognitiones innatas non habeat, rem percipere nequit, quae eum non determinat vel ei communicatur. Ergo tantum de tali rerum occultarum perceptione (sive clara visione latius dicta) quaestio fieri potest, quae ex obiecto hausta est. 525*

His praemissis iam de diversis generibus rerum occultarum, quae percipi dicuntur, iudicium ferri poterit.

3. **Perceptio rerum contectarum** (cryptaesthesia), velut cognitio rerum velo sive vase tectarum, lectio scripti involu- 526*

cro inclusi, declarari potest, plerumque saltem, ex hyperaesthesia percipientis, cui leves excitationes tegumentum pervadentes ad sensationem accipiendam sufficiunt. Fortasse etiam sufficere possit, ut radii ex obiecto egredientes mediate tantum, per alias partes sive nervos corporis, quibus res applicantur, ad cerebrum sive oculos perveniant; saepe enim talia percipientes ab obiectis oculos avertunt.

*527 4. **Perceptio eventuum distantium** maiorem difficultatem patitur. Certe non ita explicari potest, ut anima dicatur extra corpus in loca remota proficisci resque absentes intueri (Driesch). Ergo affirmandum est, vel obiecta percipienda ipsa motus sive radios emittere, qui organa percipientis determinent, vel hominem distantem e. g. personam in calamitate sive morte positam, influxu telepathico, certe non sine communicatione materiali, nuntium in percipiente producere. Sed talis determinatio in longissimam distantiam difficulter intellegitur. Praeterea, quia hic eventus et quaelibet orbis obiecta tales radios in omnes regiones emittunt, non apparet, cur solum unum certum hominem, non praeterea alios aeque vel magis sensitivos et forte propinquiores determinent et cur percipiens tales perceptiones non saepe et semper ex multis terrae partibus accipiat. (Peculiaris sympathia, quae hoc efficere dicitur, causa nimis indeterminata est nec semper adest nec declarat, cur non alii eventus personae amatae vel aliorum hominum dilectorum percipiantur.) De transmissione telepathica etiam animadvertendum est, saepe nullam personam distantem adesse, quae notitiam emittat; praeterea supponendum esse, personam illam accuratam omnium rerum imaginem, quarum notitiam transfert, in mente sua gestare, ergo imaginem propriae faciei, totius figurae propriae, vestis, forte sui ipsius a tergo, regionis propinquae; quod certe plerumque non accidit. Nova etiam difficultas inde oritur, quod in nuntiis calamitatis vel mortis (si non illusiones sunt) saepe non directe ipsi eventus distantes, sed aliae res praesentes, velut soni, voces, signa percipiuntur, ut inter percipiendum et perceptum nulla congruentia sit. Quare, donec melior

explicatio reperitur, eiusmodi perceptiones sive nuntii rerum longe distantium causis praeternaturalibus ascribendi esse videntur, animae hominis defuncti vel bonis angelis vel aliis spiritibus.

5. **Perceptio directa praeteritorum,** talis igitur, quae neque 528*
ex propria ratiocinatione et coniectura neque ex aliorum notitia hauritur, naturaliter impossibilis est. Praeterita enim non iam sunt, ideo sui notitiam cognoscenti communicare nequeunt.

Talis perceptio plerumque ita explicatur, ut telepathice ex aliorum notitia hausta dicatur, vel praesentium vel distantium. Sed non omnia huius generis facta fide digna ita sufficienter declarari queunt. Saepe nemo praesentium rem novit, immo, quod narratur, eorum opinioni contrarium est. Quod autem distantes attinet, tali transmissioni illae difficultates adhaerent, quas supra indicavimus (n. 522). Ceterum plerumque quidem asseritur, numquam a medio nuntium rei occultae prolatum esse, quae non uni saltem hominum viventium nota fuerit; quod tamen minime certum est.

Notitiae rerum praeteritarum saepe per „psychometriam", quae appellatur, proferuntur. Quae in eo consistit, quod quis aliqua re apprehensa varia occulta facta cum ea conexa narrat, referens horologii apprehensi historiam, possessorem eiusque qualitates. Praesertim in Piper americana multae eiusmodi revelationes rigorose examinatae sunt.

6. **Directa cognitio futurorum,** quae non ex rebus signis- 529*
que praesentibus deducitur, multo minus naturaliter possibilis est, quia pariter, quae nondum sunt, immo saepe vel plerumque a serie actionum liberarum pendent, animam visionarii determinare eique notitiam suam communicare non possunt.

De visu secundo. Hac in re speciatim memorandus est „visus secundus" (second sight). Accidit, ut homines intensa et profundiore quadam animi sensibilitate praediti hallucinando varios eventus fieri videant, e. g. incendium, mortuum in

feretro iacentem, processionem funebrem; qui eventus post aliquod tempus eodem vel simili modo fieri dicuntur. Propterea illae visiones „praevisiones“ nominantur. Frequentes sunt in Scotia apud pastores rurales, in Norvegia, Dania, in Guestfalia („Kiker“). His visionibus similes sunt aliae, in quibus eventus loco distantes apparent; quas supra commemoravimus. Utraque species nomini „visus secundi“ ansam dedit, quo facultas designatur, quae, sicut visio oculorum res praesentes propinquas intueatur, ita ipsa simili ratione res futuras vel remotas videat. Hoc loco tantum de „praevisionibus“ pauca dicere restat.

In his factis declarandis duo distinguenda sunt, visio et apparens eius impletio. Mirum non est, quod homines extraordinaria quadam animi sensibilitate praediti, maxime si vitam solitariam agunt, hallucinationes patiuntur et quod tales visiones in aliqua regione etiam frequentes sunt. Solum hoc mirum est, quod postea impleri videntur.

Attamen a) ostendi nequit, congruentiam inter visionem et eventum non plerumque casu accidere. Multae enim tales visiones indeterminatae sunt, referuntur ad eventus solitos, ut incendia, funera, et saepe post plures annos „implentur“. Nihil igitur facilius, quam ut inter multas visiones reapse alicui post aliquod tempus quidam eventus similis respondeat. Necessarium esset etiam illas visiones conumerare, quibus nullus eventus respondit, ut prudens iudicium fieri posset. — b) Ergo fere tantum illae visiones consideratione dignae sunt, quae per particularia momenta tam determinatae et postea tam accurate impletae sunt, ut congruentia fortuita dici nequeat. Quod tales visiones attinet, imprimis rigorose examinandum est, num visio accurate talis acciderit, qualis refertur, et num ei eventus secundum omnia particularia adiuncta congruat, an vero alterutrum desit. Facillime enim accidit, ut post eventum a visionario aliisque momenta alia inserantur, alia neglegantur, ut congruentia multo maior evadat. — c) Supposita igitur veritate historica iam quaeritur, quomodo eiusmodi visiones accurate impletae declarandae sint. Saepe inter hallucinationem

et eventum futurum causalitas naturalis inveniri poterit, quatenus obscura exspectatio vel timor eventus futuri vel latentes apprehensiones visionem eventui similem producunt; e. g. morbus amici hallucinationem funeris cum adiunctis illo in loco solitis excitat.[1]) Similia etiam in somnio accidere experimur. — d) Si haec aliquando non sufficiant, sed vera praevisio admittenda sit, non apparet, qua ratione naturaliter explicari possit. Obiecta futura, quae nondum sunt, immo saepe a serie liberarum actionum pendent, animam visionarii determinare eique se communicare nequeunt. [Neque dicere iuvat, notitiam facti praevisi forte latuisse in obscura subconscientia visionarii, ex qua suo tempore ascenderit.[2]) Redit enim eadem quaestio, quomodo notitia futuri in istam subconscientiam venerit; non venit per eventus, quippe qui nondum sunt, neque per ideas innatas, quippe quibus caremus.] Idcirco nihil relinqui videtur, nisi ut in tali casu ad interventum praeternaturalem recurratur.[3]) Neque absurdum apparet dicere, Deum nonnumquam, v. g. ut animos ad calamitatem ferendam praeparet vel ad orandum incitet, talem praevisionem concedere.

Phaenomenis mentalibus etiam adnumeranda est *intellegentia linguae ignotae*, qualis frequenter in obsessione diabolica atque etiam, si testimoniis probatis credere licet, interdum in aliis casibus observata est. At saepe talis lingua nihil aliud est nisi constructio ex vocabulis linguarum medio notarum ingenti cum dexteritate memoriaeque vi in statu hypnotico composita (Helene Smith). 530*

---

[1]) Notum est, etiam per intuitum *crystallorum* visiones provocari posse (Kristallvisionen), in quibus reminiscentiae dudum exstinctae vel perceptiones aliquando sine clara conscientia habitae subito quasi ex subconscientia exsurgunt et in claras imaginationes convertuntur, quae tunc instar revelationum rerum ignotarum speciem propheticam induunt. — [2]) Hac ratione e. g. *F. Zurbonsen,* Das zweite Gesicht² (1909) 109 rem explicat. — [3]) Simile est iudicium, quod communi omnium sensu de vaticiniis, e. g. de praedictione eversionis Jerosolymorum, fertur: si constat, aliquam praedictionem futuri eventus multis momentis particularibus instructi factam et accurate impletam esse, divinae originis esse dicitur. Ipsi hodierni vaticiniorum biblicorum adversarii non tam hanc illationem, quam potius historicam veritatem vaticiniorum impugnare solent. Haec illatio autem et proinde vaticiniorum indoles supernaturalis in apertum discrimen vocatur, si asseritur, futura naturaliter praevideri posse. Si directa praevisio futurae mortis vel incendii naturalis esse potest, neque iam praedictio eversionis Jerosolymorum eventus supernaturalis haberi debet.

*§ 5. Generale iudicium de phaenomenis occultis

Examinatis praecipuis factorum generibus, quae occulta dicuntur, iam perspicitur, quale iudicium generale de phaenomenis occultis, speciatim de experimentalibus, et de hodierno occultismo ferendum sit.

*531 1. Plurima ex factis experimentalibus, quae narrantur, *fraudibus* mediorum producta sunt. Alia quidem sine fraudibus, consciis saltem et deliberatis, effecta sunt, attamen ex *causis naturalibus notis,* ex hyperaesthesia, hypnotica concentratione, intensa autosuggestione, automatismo psychico declarari possunt. Sed sunt facta experimentalia non pauca, quae, quoad vera sunt, aliis causis ascribi debent. Ex his multa *causis occultis naturalibus* attribui possunt, e. g. telepathiae.

*532 2. Attamen restant alia, quae certo demonstrata esse videntur, sed *ex naturalibus causis repeti nequeunt,* tum physicalia tum etiam et maxime mentalia. In talibus producendis causae praeternaturales intellectuales intervenire dicendae sunt, quae aliae esse nequeunt nisi *spiritus mali.*

1) Nam tum modus agendi tum responsa talia sunt, quae *Deo et bonis spiritibus indigna* sunt: phaenomena spectaculi causa per homines dubiae plerumque indolis moralis, hystericos, fraudulentos et insuper in hypnosi constitutos producuntur, in cubiculis obscuris fiunt, responsa data nihil gravitatis continent, sed garrula sunt, de rebus inanibus vel puerilibus agunt, religioni contraria continent. Praeterea ipsa media persuasum habent, phaenomena per spiritus effici; ergo iis libere se tradunt. Exstant etiam libri occultistici in pactis et invocationibus diabolicis faciendis instruentes.

Nec obstat, quod media, quorum nonnulla phaenomena explicationem naturalem excludere videntur, interdum fraudes committere, responsa falsa dare et multa ignorare inveniuntur. Si successus phaenomenorum non ab iis solis, sed simul a cooperatione spirituum pendet, comprehenditur, hanc cooperationem iis non semper ad libitum praesto esse et tunc media ad propria artificia confugere. Nec supponendum est, spiritus malos omnia prompte scire vel omnia revelare et facere velle sive a Deo permitti ut revelent et faciant.

2) Haec declaratio, quatenus ad phaenomena experimentalia refertur, *confirmatur phaenomenis spontaneis* illis, quae una ex parte demonstrata sunt tantumque spiritibus ascribi possunt, alia ex parte illis phaenomenis experimentalibus saepe admodum similia sunt. Talia sunt obsessio diabolica et facta spectrorum. De his supra diximus. Obsessio autem tempore Christi frequens fuit eamque aetate quoque sequiore usque ad recentissimam identidem evenisse certis testimoniis constat. In obsessis clare cernitur agens praeternaturale intellegens phaenomena patrare, quae obsessi ex se facere non valent: manifestant res occultas, linguis ignotis loquuntur, effectus corporales viribus humanis superiores producunt. Etiam hodierna media, in quantum effectus causas naturales superantes producunt, se gerunt sicut ab externis spiritibus moti et directi, qui iis quodammodo insideant eorumque viribus utantur. Media ipsa se experiri affirmant, aliquam potestatem a se diversam in se agere et haec patrare. 533*

Declaratio monistica factorum occultorum seria attentione digna non est. Mens universalis, quae fingitur, non est. Praeterea si media in ea res arcanas legere dicuntur, non intellegitur, cur tantum has et non alias plurimas legere possint.

Itaque ex factis occultis *contra materialismum* concludi potest, praeter ordinem corporalem etiam entia incorporea exsistere. At per se deduci nequit, hos spiritus esse *animas humanas,* ut spiritistae volunt, cum omnia aeque et facilius per daemones producta esse possint. Tantum in factis spontaneis spectrorum interdum, consideratis peculiaribus adiunctis, cum aliqua probabilitate concludi vel suspicio haberi potest, phaenomena a certa anima humana effecta esse.

3) *In antiquitate gentili* etiam frequenter facta occultistica hodiernis similia reperimus, quae sine dubio daemonibus ascribenda sunt. 534*

Antiquo tempore multa templa diversis diis sacra sedes erant celeberrimorum *oraculorum,* quae a plurimis illuc confluentibus consulebantur: Delphis (Apollo), Dodonae (Zeus), Daphne (Apollo), Epidauri (Aesculapius), in insula Tiberiana et alibi. In his futura praedici, abscondita revelari, miraculosae sanationes perpetrari dicebantur. Praeterea ubique *personis privatis* abscondita revelandi facultas ascribebatur. Non paucae eiusmodi revelationes, quarum nuntii in libris scriptorum ecclesiasticorum et profanorum ad nos venerunt, naturalem explicationem admittere non videntur, non quidem praedictiones futurorum, de quibus tantum falsa vel ambigua proferebantur, attamen aliae rerum occultarum patefactiones. Responsa autem non directe per deos sive eorum imagines, sed per humanas personas, viros et mulieres, dabantur, qui sicut media hodierna interea in statu anormali versabantur.

a) Haec oracula eorumque revelationes et effectus (exceptis iis, qui sacerdotum artificiis tribuebantur) *Patres, scriptores ecclesiastici, antiqui christiani constanter daemonibus ascribebant,* ut Tertullianus (Apol. 22—27), Minutius Felix (Octavius 27), Cyprianus (De idolorum vanitate 7), Eusebius neocaes. (Praep. evang. 4—6, Demonst. evang. 5), Origenes (Contra Celsum 7), Lactantius (Divin. Instit. 2, 17; 4, 27), Athanasius (De incarn. Verbi Dei 47 s.) et alii multi. Compluribus rationibus ad hanc sententiam tenendam movebantur:

α) Videbant congruentiam oraculorum cum spiritibus malis, quos interdum Iudaei superstitiosi interrogabant; quod commercium Scriptura tamquam graviter peccaminosum damnat. — β) Observabant maxima mala oraculis producta; Eusebius (ll. cit.) et alii narrant, oracula saepissime ad cruentam hominum immolationem, ad opera incesta in templis facienda, ad neces et bella induxisse. — γ) Etiam passim videbant, signo crucis vel invocato nomine Jesu oracula, haruspicia impediri, spiritus vaticinos ad silentium adigi vel ab hominibus expelli vel cogi, ut se daemones esse confiterentur. Socrates, Rufinus, Theodoretus, Sozomenus, Nicephorus et praesertim Chrysostomus (Vita Babylae) atque etiam scriptores gentiles narrant, oraculum Daphnaeum conticuisse, postquam in vicinia reliquiae Babylae martyris collocatae fuerint. Gentiles saepe confessi sunt, deos et spiritus suos in praesentia christianorum („ex odio eorum") conticescere. — δ) Religione autem christiana latius propagata circ. a. 100 p. Ch., praecipua oracula in perpetuum conticuerunt. Quod scriptores christiani uno ore testantur et tamquam testimonium religionis christianae invocabant et ipsi gentiles concedebant, e. g. Strabo („oraculum Dodonaeum defecit, quemadmodum et reliqua"), Iuvenalis („Delphis oracula cessant"). Plutarchus, qui librum scripsit „De defectu oraculorum", defectum ex eo declarans, quod spiritus oraculorum praesides mortui sint.

b) *S. Scriptura* constanter oracula, „ariolos, magos, pythones", quos Judaei interdum interrogare audebant, daemonibus inspiratos esse affirmat eosque consulere severissime vetat. Cf. Deut. 18, 10; 1 Reg. 28, 7; 4 Reg. 1, 2; Matth. 12, 24 27, Act. 16, 16.

*535 Haec non obscure demonstrant, hodiernum spiritismum aliquam restitutionem daemonismi gentilis esse.

Ut, quae asserta sunt, aliquibus saltem Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis comprobentur, *Eusebius* haec scribit (Demonst. ev. 5): „Perfectis demonstrationibus et ipsorum Graecorum confessionibus iam antea, daemones esse, non illos quidem bonos, sed omnis perniciei nequitiaeque auctores, convicimus . . Illorum inertis imbecillaeque naturae maximum argumentum, quod exstincta sint oracula neque amplius ut olim respondent, et exstincta non alias quam sub adventum Salvatoris nostri Jesu Christi; ex quo enim in omnes gentes evangelicae doctrinae penetravit verbum, ex illo item oracula defecerunt et daemonum mortes memorantur. Omnia igitur haec et innumerabilia alia his similia fuerunt, ex quibus illos, de quibus nunc agimus, malos esse daemones Evangelica Praeparatio demonstravit." *Cyprianus* (l. c.): „Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecrati" [congregati?] delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt." *Lactantius* (l. c. 4, 7): „Sectatores eius [Christi] eosdem spiritus inquinatos de hominibus et nomine magistri sui et signo passionis excludunt . . Cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatum frontem gerens, sacra nullo modo litant nec responsa potest consultus reddere vates. Et haec saepe causa praecipua iustitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere." *Athanasius* (l. c.): „Olim quidem omnia dolis oraculorum plena erant falsaque hominum opinione Delphorum, Dodonae, Baeotiae, Lyciae, Lybiae, Aegypti et Cabirorum oracula nec non Pythiae omnibus admirationi erant. Nunc autem, ex quo Christus ubique praedicari coepit, penitus defecit illorum insania nec ullus amplius inter eos vates reperitur. Olim daemones variis spectris hominum mentes decipiebant, fontibus et pluviis, lignis aut lapidibus insidentes, stultos mortales praestigiis percellebant. Iam vero post divini Verbi adventum evanuerunt huiusmodi fallaciae. Siquidem solo crucis signo adhibito omnes illae daemonum fraudes repelluntur."

3. Occultismum *religioni genuinae damnum* et plerumque perniciem inferre manifestum est. Contra ordinem enim a Deo constitutum arcana investigare et occultos effectus producere attentat et commercium illicitum cum spiritibus malis intendit. Praeterea neglecta vel contempta fide et magisterio Ecclesiae res spirituales et religiosas experientia immediata vel intuitione apprehendere conatur, miracula revelationesque spiritisticas, fidei saepe contrarias, veritatibus fidei aequales vel certiores habet itaque fidem christianam in mentibus restinguit ac delet. Quatenus denique commercio cum ordine superiore tantum ad curiosas notitias et spectacula procuranda utitur et responsis inanibus, scurrilibus 536*

et mendacibus continuo intendit, omnem reverentiam ordinis superioris pessumdat. Spiritismus gloriari solet, quod contra materialismum experimentaliter exsistentiam ordinis spiritualis demonstret. Revera autem omnem eius reverentiam subvertit. Qui denique doctrinam philosophicam occultismi, theosophismum, adoptat, genuinam religionem penitus abicit. Theosophistae et spiritistae initio doctrinam christianam simulare solent. Mox autem illis, qui paulatim contraria animadvertunt, dicunt, suam doctrinam esse profundiorem et esotericam religionem Jesu, Deum interpretantes ens absolutum theosophicum aliasque veritates christianas similiter in sensum theosophicum detorquentes.

Theosophismus ab Ecclesia damnatus est. Etiam sessionibus spiritisticis interesse Ecclesia vetat. S. Officium ad propositum dubium: „An liceat per Medium, ut vocant, vel sine Medio, adhibito vel non adhibito hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle" respondit: „Negative in omnibus." 24. Apr. 1917.

*Art. 4. **De aegrotationibus psychicis**

*537 Aegrotationes psychicae sunt stabiles alterationes psychicae sive deflexiones a normali vita psychica. Tales in singulis partibus psychicis solitariae inveniri possunt, una sine aliis, plerumque vero in aegrotationes compositas sociatae inveniuntur. Neque omnes stricte *aegrotatio mentis* sunt (Geisteskrankheit, maladie mentale), quae tantum adesse censetur, quando activitas intellectus vel voluntatis notabiliter laesa est. Multo minus omnes cum amentia coniunctae sunt, quae tantum locum habet, quando quis recti iudicii incapax est. Multae aegrotationes adesse possunt mente penitus intacta; aliae autem periculum amentiae afferunt saepeque cum amentia sociatae reperiuntur, quatenus vel causae amentiae vel eius effectus sunt vel utrumque simul.

Itaque apte distinguimus alterationes *partiales* et *compositas*. Inter alterationes compositas praecipua est amentia,

quae numquam adest, quin complures facultates psychicae alteratae inveniantur.

Quia anima corpori unita est, aegrotationes psychicae numquam in anima sola, sed in anima cum corpore coniuncta sunt; earum subiectum est natura ex anima et corpore coalescens. Id etiam ex eo sequitur, quod alterationes psychicae proxime in vita sensitiva insunt, unde in partem spiritualem transfunduntur; vita autem sensitiva organis animatis inhaeret. Propterea aegrotationes psychicae mutationes quoque corporales, motus coactivos, tetanos, torpores producere et e contrario per eventus pure corporales, ut laesiones cerebri, gigni queunt.

Causae aegrotationum psychicarum tum corporales tum 538*
psychicae sunt.

1. *Semper, saltem etiam, causae corporales adsunt,* vel ita ut causae proximae vel ut saltem causae remotae sint.

Saepe eventus corporales *proximae causae* sunt. Tales sunt concussio vel laesio cerebri, venena (alcoholica, syphilitica) in organismum recepta et in cerebrum transfusa, substantiae nocivae per vitiatam functionem vegetativam sanguini et per sanguinem cerebro immissae; e. g. morbus basedovianus inconstantiam emotionalem aliasve alterationes secum ferens vitio thyreoideae (Schilddrüse) producitur. Frequenter stabiles dispositiones corporales causae sunt, sive ex morbo vel pravo vivendi more acquisitae sive innatae. Innatae vel inde originem ducunt, quod organismus cellaeque germinales parentum syphili, veneno alcoholico vel aliter infectae fuerunt vel quod proles in vita foetali detrimentum passa est vel quod parentes suam propriam ingenitam indolem morbidam in prolem transfuderunt. Talis innata dispositio ad „constitutionem" pertinere dicitur.

Hae dispositiones corporales saepe tantummodo *causa remota* aegrotationum sunt, quatenus subiecto specialem patibilitatem ad eas accipiendas conferunt, dum aliae causae proxime aegrotationes inducunt et quidem vel ita, ut eas vere producant vel ut tantum ansa sint; e. g. ex dispositione epileptica ipse actualis morbus vel vehementi affectu

vel excessu alcoholico vel praegnatione induci potest. Plerumque accurate definiri nequit, e quibusnam condicionibus corporalibus morbi psychici orti sint; plerumque multae causae particulares (vel simul psychicae) concurrunt.

*539 2. *Saepissime causae psychicae* aegrotationes inducunt, ut vehemens terror, diuturni animi dolores, nimia indulgentia erga imaginationes et similia. Hic influxus multum a dispositione corporali pendet, velut a speciali nervorum infirmitate. Etiam per causam corporalem mediam agere potest; ita fortasse anxietas chemicam qualitatem sanguinis mutare, vehemens affectus operationem alicuius glandulae mutare potest, quo deinde vita psychica alteratur. Patet, etiam characterem psychologicum individualem, sexualem, diversum secundum vitae aetatem, ad originem qualitatemque aegrotationum modificandam multum valere.

Ante complura decennia alterationes psychicas ex sola fere cerebri et nervorum aegrotatione declarare et consequenter tantum mediis medicinalibus et somaticis sanare solebant, omisso accuratiore studio symptomatum psychicorum eorumque cum charactere personali nexu. Quod studium nunc magna cum industria instituitur.

Generatim aegrotationibus psychicis investigandis recentiore tempore magna diligentia adhibetur idque magna cum utilitate tum ad auxilium aegrotationi afferendum tum etiam propterea, quia sic de imputabilitate facinorum saepe rectius iudicium fieri potest. Homines enim psychice aegrotantes plerumque minorem, nonnumquam fere nullam libertatem habent. Sed notandum est, psychopathologos modernos talibus hominibus nimis facile omnem imputabilitatem denegare.

*§ 1. De aegrotationibus partialibus

*540 Iam ad considerandas singulas alterationes, primum ad partiales et deinde ad compositas accedentes animadvertimus, non esse nobis propositum, ut plane omnes, sed ut praecipuas tantum et celebriores nominemus.

Alterationes perceptionis sensitivae sunt a) *anaesthesia* sive carentia perfecta vel imperfecta sensibilitatis, qua v. g. fit, ut in aliqua parte nulli dolores sentiantur (analgesia) vel ut cibi nullum gustum producant; — b) *hyperaesthesia* seu supersensibilitas, maxime respectu doloris; — c) *paraesthesia* seu perversio sensibilitatis, praesertim internae, qua affectiones in corpore sentiuntur, quas alii non sentiunt, velut si affectio percipitur, acsi ignis membra pervadat, si dolor delectationem gignit, si res turpes cum delectatione comeduntur.

Anaesthesiae, maxime vero paraesthesiae, si mentis imbecillitas accedit, apprehensiones deliras producere solent. In talibus hominibus imaginatio oritur, se gallos, ursos factos vel in duas personas divisos esse, se habere corpus ferreum (insensibile) vel membrum sibi ablatum esse.

Alterationes phantasiae. Notissimae sunt *hallucinationes* et *graves illusiones,* quae in plerisque statibus amentiae frequentissimae sunt; de quibus iam supra dictum est (n. 165). Inveniuntur etiam *hallucinationes memoriales,* quae vocari possunt, quando factorum praeteritorum imaginationes tam vividae sunt, ut homines suggestibiles eas serio pro propriis recordationibus habeant itaque serio putent, se fecisse, quae numquam fecerunt.

In reproductione et associatione phantasmatum et idearum nonnumquam anormalis *tarditas* adest, v. g. in melancholia, in imbecillitate psychica; ex qua necessario tarditas vel defectio in cogitando oritur. Vicissim ex cerebri quadam excitatione saepe extraordinaria *acceleratio* phantasmatum et idearum oritur, velut in delirio, mania, ebrietate. Quamdiu intellectus non deficit et associationes regere potest, talis acceleratio activitatem intellectualem promovere potest. Sin autem deficit, decursus idearum non iam ordine logico et directione finali, sed solis affectionibus et legibus associationis, immo vocum similitudine regitur (Ideenflucht, Zerfahrenheit).

Memoria (sensitiva et intellectiva) magnam imbecillitatem 541*
pati potest, quatenus reproductiones cum magna tarditate fiunt vel res perceptae facile, immo fortasse statim oblivioni mandantur. Propter partiales laesiones cerebri interdum certarum rerum memoria perit, ut oriatur aphasia.

agraphia, alexia (n. 338 s.). Morbi acuti vel concussio cerebri subito vel omnem vel memoriam certi temporis (praesertim novissimi) delere vel aliquamdiu suspendere possunt.

Alterationes appetitus sensitivi, quae etiam appetitum rationalem secum trahere solent, pariter variae sunt. In aliis, praesertim si simul generali imbecillitate psychica laborant, vis appetitus multum debilitata est, ut abnormi apathia teneantur, sine amore et delectatione, sine affectu sint; in aliis, ut in hystericis, ingens est affectuum excitabilitas et mutabilitas. Melancholici magnam animi depressionem patiuntur; neurasthenici et epileptici ad anxietates propensi sunt; in aliis, ut in mania laborantibus vel in ebriis, in his quidem tantum initio, excitata hilaritas cum nisu loquendi et se movendi observatur.

Inveniuntur denique *perversiones* affectuum et nisuum, e. g. ut humus, vermes, immo excrementa propria comedantur. Impetus perversi sexuales, libidines modo extraordinario excitatae minime semper, at saepe fructus diuturnae consuetudinis malae sunt.

*542 **Alterationes intellectus et voluntatis.** Si activitas sensitiva graviter deficit vel turbata est, non possunt non ipsi etiam intellectus et voluntas similiter deficere, ligari et turbari. Quae defectio facultatum spiritualium non directa, sed indirecta est, sequens nimirum ex defectione sive turbatione vitae sensitivae; similis est defectioni utriusque facultatis in somno (n. 491).

1. Quod speciatim *intellectum* attinet, quando vita sensitiva graviter deficit, ea oritur intellectus debilitas, ut magis magisque deficiat eius vis et attentio ad apprehensiones rite formandas, comparandas, distinguendas, ad iudicia et ratiocinia recte instituenda, ad corrigendas sensuum deceptiones, ad errores declinandos, ad cogitationes recte in certos fines dirigendas. Quae imbecillitas si tanta est, ut, sicut fere in somno, incapacitas recti iudicii formandi adsit, amentia locum habet. In intellectu interdum etiam magna attentionis coarctatio oritur, e. g. in hystericis, ut, si unum attente tractant, alia activitas, e. g. rerum aliorum perceptio sive consideratio vel membrorum motio, modo insolito impediantur vel impossibiles evadant.

In *voluntate* similis apathia sicut in appetitu sensitivo oriri potest, ut ad sentimenta et appetitiones, nisi forte ad egoisticas, parum moveatur. Porro sicut vis voluntatis in somno fere omnis ligata est atque quiescit, ita etiam extra somnum multum remitti potest, ut in epilepticis, hystericis, neurasthenicis; immo fere penitus deficere potest, velut in dementia paralytica et senili. Etiam in hominibus intellegentia integra praeditis evenire potest, ut omnis fere vis voluntatis deficiat ad ea exsequenda, quae bona et necessaria esse iudicaverint; quae defectio abulia vocatur. Abulia autem non solum ex eo provenit, quod desunt affectus voluntatem inclinantes, nonnumquam enim adsunt, sed saepe ipsa potentia voluntatis ligata est.

2. Specialem mentionem merentur, utpote alterationes 543* frequentissimae, *ideae coactivae et impulsus coactivi,* qui in facultates quoque rationales, propter consortium cum corpore et vita sensitiva, redundant.

Ideae (imaginationes) *coactivae* (Zwangsvorstellungen) in homine ceteroquin intellegentia integra praedito contra voluntatem continuo se obtrudunt ideoque, quia intellectus et voluntas iis resistunt, inconvenientes et coactivae sentiuntur.[1]) Alii perpetuo cogitationibus blasphemis et fidei repugnantibus vexantur; aliis continuo anxia imaginatio venit, fortasse digitis suis ex rerum contactu venenum adhaerere, et propterea sine fine ad se lavandos impelluntur; scrupulis agitatus sempiterno timore vexatur, ne forte peccaverit vel peccata insufficienter exposuerit, quae anxietas eum ad perpetuas confessiones faciendas impellit; alii vexantur suspicione, se forte in computationibus vel litteris scribendis lapsus commisisse, et urgentur ad eas sine fine repetendas. Alii denique perpetuo ad currus et arbores numerandas, ad eas-

[1]) Ideae coactivae discernendae sunt ab ideis praevalentibus („überwertige Ideen"), quae, velut sollicitae curae, prae aliis se obtrudunt, attamen, ex propria hominis vita cogitativa et emotionali oriundae, non contra intellectus et voluntatis resistentiam adveniunt. Ab aliis ideis tantum eo differunt, quod maiore vi se obtrudunt.

dem actiones sine fine repetendas instigantur. Si his ideis resistere volunt, anxietas oritur; ut ab anxietate liberentur, faciunt, ad quod impelluntur. Huc etiam *angores coactivi* (Phobien) spectant, qui simili vi se obtrudunt, e. g. timor erubescendi, anxietas, qua multi vexantur, si per apertum forum eundum est (agoraphobia), et plurimi alii. Vis et constans reditus idearum coactivarum etiam multum ex metu derivatur, quo ideae ipsae vel earum molesta turbatio timentur, cui arcendae virtus deesse putatur. Eo fortiores evadunt, quo saepius recurrunt et praesertim quo quis saepius iis cedit et quo maior est timor earum; timor enim facit, ut saepius redeant maioremque potestatem obtineant. Si intellegentia laesa est, imaginationes coactivae convertuntur in deliras (Wahnideen), qua intellectus et voluntas iis non iam resistunt, sed consentiunt.

Impulsus coactivi ex abnormi impetu interno vel ex ideis coactivis proveniunt (ideae coactivae et impulsus plerumque vix separari possunt), et impellunt hos quidem ad certos motus corporis faciendos, alios ad verba blasphema proferenda, alios ad epistulas anonymas scribendas, alios ad furta (cleptomania) et incendia (pyromania) facienda; alii denique experiuntur impetum periodicum fere insuperabilem ad alcoholica bibenda (dipsomania). Ergo isti impulsus semper ita coactivi sunt, ut cum quadam coactione incitent; saepissime autem praeterea sic etiam coactivi sunt, ut propriae persuasioni et rationali voluntati contrariae sentiantur. Si homines faciunt, ad quae incitantur, relevationem sentiunt; sed plerumque brevem, mox enim remorsus conscientiae adest, si actio inhonesta fuit, vel nova iterum incitatio et anxietas venit. Eiusmodi impulsibus sine dubio libertas minuitur eoque magis, quo fortiores sunt, ut nonnumquam libertas ad graviter peccandum absit. Attamen penitus ablata non est, nisi aliae graves alterationes psychicae accedant, praesertim defectio intellectus. Homines honesti revera his impulsibus ad illicita sollicitantibus resistere solent.

De dementia morali („moral insanity") confer n. 431.

*§ 2. De aegrotationibus compositis

Alterationes partiales plerumque compositiones ineunt, sed tam varias et mutabiles, tam parum certis limitibus circumscriptas et inter se divisas, ut definitae earum descriptiones et distinctiones difficulter assignari possint. Nec parva hac in re sententiarum diversitas est. 544*

Olim usitata erat et adhuc interdum adhibetur divisio aegrotationum psychicarum in *exogenas* et *endogenas* sive extrinsecus et intrinsecus causatas. Quae tamen origines ita inter se discurrunt simulque concurrunt, ut divisio sustineri nequeat. Frequentior adhuc est divisio in aegrotationes *organicas* et *functionales*. Organicae dicuntur, quarum causa est notabilis laesio organorum (speciatim cerebri); quae igitur a normali indole psychica magno et praerupto discrimine distant, ut paralysis progressiva, dementia senilis, epilepsia. Aegrotationes functionales adesse dicuntur, ubi non notabilis laesio organorum, sed eorum mutata functio causa est, quales sunt hysteria, amentia manicodepressiva; hae alterationes a normali qualitate corporali et psychica non praerupto discrimine distant, sed per insensibiles differentias paulatim discedunt sive cohaerent. At neque hac ratione clara divisio supremorum generum fieri potest. Praetermissis igitur supremis divisionibus contenti sumus praecipua quaedam genera, quae communiter discerni solent, enumerare, primum leviora, deinde graviora.

Neurasthenia est nervorum infirmitas vel nativa vel tem- 545*
pore vitae orta simul sumpta cum effectibus psychicis, quales sunt magna excitabilitas affectuum, hyperaesthesia, autosuggestibilitas, inclinatio ad ideas coactivas, ad anxietates et morositatem, saepe cum defectu firmitatis constantiaeque voluntatis, denique magna fatigabilitas.

Psychasthenia, quae appellatur, a neurasthenia parum differt. Intellegitur illa fere infirmitas psychica, quae ex neurasthenica nervorum infirmitate oriri solet, speciatim inclinatio ad anxietates patiendas et debilitas ad dolores tolerandos.

Hysteria plerumque, sed non tantum in feminis invenitur et morbus tam multiformis est, ut exacta definitio vix con-

fici possit et apud psychopathologos non parva in ea declaranda diversitas inveniatur. Hysteriae maxime propria est intensa, valde excitabilis et mutabilis affectuum et imaginationis activitas coniuncta cum voluntatis et intellectus debilitate et attentionis arctitudine; cui quaedam alia phaenomena morbida accedunt. Idcirco hysterici valde suggestibiles sunt, imaginationibus et affectibus suis vehementibus atque mutabilibus reguntur, qui deinde hallucinationes et illusiones pariunt, ad apparentes vel veras fraudes, simulationes, mendacia inducunt, etiam anaesthesias (saltem apparentes, ex attentionis defectu provenientes), tetanos, torporem membrorum causant. Hysterici identidem incidunt in mentis obnubilationes, deliria hallucinatoria vel status somnambulismo similes. Si hysteria modica est, imputabilitas minuta, sed non sublata est.

*546 Neurasthenia, psychasthenia, hysteria, angores ideaeque coactivae, quae aegrotationes ceteroquin non semper satis discerni possunt et quae inter se copulari solent, saepe communi nomine *neuroses* sive, quia etiam neuroses organorum, cordis, stomachi habentur, psychoneuroses nominantur. Neuroses igitur illae aegrotationes psychicae sunt, quae vulgo „nerveae" appellantur. Causa earum fere semper specialis dispositio corporalis est sive nativa (constitutio „psychopathica") sive acquisita. (Ceterum etiam sani vehementi terrore in neurosim, saltem transitoriam, incidere possunt; tunc generalis infirmitas naturae humanae, cuius resistentia limitata est, ista corporalis dispositio est.) Ad hanc remotam causae proximae accedere et alterationes actu producere possunt, sive corporales, ut diuturna somni subtractio, sive psychicae, ut terror, diuturni animi dolores.

Personis psychoneuroticis propinqui sunt *„psychopathici"*. Hoc nomine plerumque illi appellantur, qui ex nativa constitutione in cogitando, volendo, in indole emotionali a modo normali deflectunt, sed ita, ut nondum expressa alteratio adsit, e. g. qui praeter communem modum excitabiles, mutabiles, mendaces, litigiosi, antisociales sunt.

Epileptici nervis habitualiter aegroti sunt. Si epilepsia 547*
iam diu durat, intellectus et voluntas debilitati apparent, magna adest irritabilitas, cui, praesertim si incursus epilepticus (grand mal) propinquus est, aliae alterationes accedunt, velut anxietates, anormales affectiones internae, hallucinationes. Praeter vehementes illos incursus, in quibus plena fere animi defectio accidit, epileptici identidem etiam minores mentis obnubilationes patiuntur.

Alteratio epileptica paulatim ingravescere et interdum in dementiam desinere solet. Eius radix plerumque hereditaria dispositio est, quae accedente aliquo terrore subitaneo vel alia commotione psychica in actum prodit. Sed etiam ex laesione cerebri, alcoholismo et similibus causis oriri potest.

Amentia generatim est status diuturnus incapacitatis recti 548*
iudicii formandi; intellectus ita ligatus est, ut sicut fere in somno aliquam quidem activitatem exercere possit, sed non eam perfectam et deliberatam, qua in rebus vulgaribus verum invenire tutoque falsum a vero distinguere possit. Amentia modo mera imbecillitas et incapacitas negativa est et dementia vocatur, modo coniuncta est cum perturbatione et erroribus incorrigibilibus, velut in mania, paranoia. Varii igitur status amentiae distingui possunt:

1. *Amentia manico-depressiva* est amentia, in qua mania vel gravis melancholia vel uterque status per vices (amentia circularis) accidit. Post aliquod tempus forte sanatur, sed saepe iterum periodice revertitur et in periodis quoque sanis aliqua aegrotantium alteratio, praesertim quoad *affectum*, observari solet. Plerumque ex hereditaria dispositione ortum habet, proinde in aliqua familia saepius inveniri solet.

Melancholia (gravis) plerumque perfecta amentia non est. Melancholici gravi *maestitia* premuntur, quae perceptiones, cogitationes, actiones regit. Si melancholiae intensitas minor est, impedit actionem mentis et apathiam causat; si vehementior est, attentionem vehementius ligat, excitabilitatem auget, illusiones parit, etiam furorem (raptum melancholicum) producit.

Maniae propria est e contrario magna affectus laetitia et *excitatio* cum agitata idearum associatione, quae omnes fere ad certas imaginationes fixas referuntur, cum impetu in loquendo et in motibus. Intensior gradus maniae est furor (Tobsucht, folie furieuse), in quo iam apparent plena idearum turbatio, clamores et interiectiones, hallucinationes, vehemens motuum agitatio.

2. *Paranoia* (Verrücktheit, folie) est amentia, in qua aliqua imaginatio delira, quam intellectus ligatus corrigere iam nequit, vitam regit, affectus determinat, perceptiones suo modo interpretatur, etiam hallucinationes producit. Imaginatio delira est talis apprehensio, quae communi hominum sensui serio contradicit et incorrigibilis est. Potissimum duplex talis imaginatio observari potest. Una est „depressiva" (Verfolgungswahn, délire de la persécution): amentes opinantur, se esse obiecta odii et persecutionis, ideo ubique insidias suspicantur, voces audiunt contumeliosas, vident inimicos, daemones. Altera est „expansiva" (Größenwahn, délire des grandeurs): somniantur, se esse reges, viros celebres, ditissimos, immo Deum. In rebus ab ideis suis remotis saepe initio recte ratiocinari possunt; attamen magis magisque ideae delirae totam mentis amplitudinem occupant. Etiam notandum est, ideas istas non affectibus vitiosis productas esse, ut accidere potest in melancholicis et mania laborantibus, sed proxime ex ligatione mentis oriri. Paranoia saepe paulatim in dementiam abit.

Melancholia, mania, paranoia etiam periodicae sunt.

*549 3. *Schizophrenia,* qua edicitur (σχίζω, scindere), frequens nec tam una certis lineis circumscripta aegrotatio quam potius complexio variarum alterationum est, quibus plus minusve haec symptomata communia sunt: defectus cohaerentiae in cogitando absque coniunctione logica et ordinata cogitationum associatione, imbecillitas iudicii, notabilis apathia affectus et infirmitas voluntatis, in cogitando et modo agendi magna cum mundo reali incongruentia; tales somniantibus similes sunt. Schizophrenia in nativa constitutione fundatur; videtur intoxicatione ex proprio organismo emanante causari. Iam in iuventute manifestari et, si non sistitur, in dementiam desinere solet. Ideo „dementia praecox" (a Kraepelin) vocata est. Attamen quia etiam in aetate demum provectiore manifesta fieri potest nec semper in dementiam abit, sed in diversis stadiis sistere, immo etiam interdum emendari potest, hoc nomen non satis aptum esse invenitur. Nunc (secundum Bleuler) plerumque schizophrenia, ab incohaerentia in cogitando, nominatur.

4. *Dementia* (démence) est mera intellectus defectio sine 550*
imaginationibus deliris. Dementia varia esse potest. Minor gradus *imbecillitas* (Schwachsinn) vocatur, maior vero *stupiditas* (Blödsinn). Dementia aliqua *transitoria* oriri potest ex temporaria cerebri laesione seu affectione morbida. Dementia *senilis* ex cerebri atrophia nascitur.

Dementia paralytica vel progressiva est gradus extremus defectionis psychicae cum ingenti memoriae et iudicii imbecillitate et apathia affectuum, atque paulatim progredi solet usque ad plenam intellegentiae, voluntatis omniumque actuum psychicorum exstinctionem, ut tantum functiones vegetativae remaneant. In dementia paralytica fit in cerebro extensa cellarum et fibrarum corruptio, ut eius volumen in angustum contrahatur. Praecipue oritur ex infectione syphilitica (post elapsos annos 5–10); immo recentissima psychiatria tantum dementiam illam paralyticam nominare solet, quae ex syphili oritur.

Idiotismus illa imbecillitas sive stupiditas vocatur, quae ex impedita evolutione organorum psychicorum orta est et quidem vel iam ab origine, e. g. quia parentes consanguinei, epileptici, ebrietati dediti fuerunt, vel a prima infantia ex morbo nerveo. Idiotismus vocatur *cretinismus*, si coniunctus est cum deformatione corporis, e. g. cum microcephalia, deformatione capitis et turgido gutture, orto ex degeneratione thyreoideae (Schilddrüse).

*§ 3. Appendix. De Psychoanalysi

De alterationibus psychicis, de charactere atque de in- 551*
tegra vita psychica nunc etiam singularis quaedam doctrina

longe divulgata agit, ab aliis celebrata, ab aliis repudiata, cuius iam mentionem facere oportet, psychoanalysis a *S. Freud* Viennensi composita. Psychoanalysis, si tantum vis vocis spectatur, analysim sive resolutionem vitae internae psychicae designat in hunc finem institutam, ut occultae causae phaenomenorum psychicorum, praesertim alterationum inveniantur. Psychoanalysis ita generice accepta sine dubio approbanda est. Sed doctrina freudiana est psychoanalysis specialis cum certis sententiis de natura morborum psychicorum totiusque vitae psychicae, immo cum nova mundi vitaeque conceptione philosophica. Circa a. 1900 orta paulatim per omnes gentes cultas propagata est. Licet a plerisque viris scientificis impugnata sit et adhuc impugnetur et schola freudiana doctrinas magistri fideliter retinens parva sit, tamen variae eius ideae psychologicae, psychiatricae, morales, sexuales plurimorum mentes ingressae sunt. Primum igitur expositionem, deinde diiudicationem doctrinae, sicut a Freud eiusque schola tenetur, exhibebimus, praetermissis minoribus correctionibus, quas Freud postmodum inseruit, quae ab aliis vix receptae sunt nec generalem doctrinae indolem mutarunt.[1])

*552 I. **Expositio doctrinae.** *Generalis vitae psychicae conceptio* haec est: Vita hominis non ultimo per liberam voluntatem cum conscientia movetur ac regitur, sed per impulsus sensitivos libertate destitutos et imprimis per instinctum sexualem, idque ita, ut pars maxima et dirigens vitae psychicae penitus inconscia sit. Impetus sexualis sive „libido" iam infantem implere dicitur; cuius vix non omnes actiones, si ubera sugit, digitos lambit, urinam emittit, libidinem indicare dicuntur. Praesertim vero infans affectum libidinosum erga parentes, puer erga matrem, puella erga patrem et praeterea uterque inimicam aemulationem contra alteram parentum partem habere affirmantur („Ödipuskomplex"). Eadem libido adultum implet, cuius omnis amor ex libidine

[1]) Cf. plura in auctoris libro: Über Psychoanalyse und Individualpsychologie (1932).

emanat.[1]) Isti nisus, libidinosi maxime, deinceps integram vitam, anormalem et sanam, regere dicuntur.

Neuroses (cf. n. 546) ex affectibus suppressis oriuntur: homines saepe affectus (libidinosos) supprimunt („Verdrängung"), quia opinionibus ex educatione, conscientia, religione acceptis contrariae sunt („Zensur"). Affectus autem ita suppressi non exstinguuntur, sed integri manent, tantum inconscii evadunt et efficaciam nunc ita exercent, ut modo inconscio impulsus coactivos, phobias aliaque phaenomena neurotica gignant.[2]) *Somnia* fere omnia similibus desideriis inspirantur: sub somnio manifesto occulta cupido latet, quae illud tamquam sui symbolum modo inconscio, saepe cum ingeniosa arte producit; e. g. si quis de itinere vel morte patris somniatur, subest inconscium desiderium, ut pater aemulus moriatur. Ad quam sententiam demonstrandam arbitraria et dissoluta somniorum interpretatio adhibetur. Etiam *actiones vulgares* affectibus inconsciis determinantur: amissio rei ex inconscio eius fastidio, desiderium itinerum ex suppressa libidine oritur. Aspirationes autem et *actiones ideales,* religiosae, morales, aestheticae, sociales ex inconscia „sublimatione" libidinis gignuntur, quatenus proprio eius obiecto sublimius substituitur: amicitia, amor socialis, oboedientia, complacentia pulchri, affectus religiosi, etiam occupationes scientificae et poeticae potissimum e radice libidinosa efflorescunt.

[1]) „Den Kern des von uns Liebe Geheißenen bildet natürlich, was man gemeinhin Liebe nennt und was die Dichter besingen, die Geschlechtsliebe mit dem Ziel der geschlechtlichen Vereinigung. Aber wir trennen davon nicht ab, was auch sonst an dem Namen Liebe Anteil hat, einerseits die Selbstliebe, andererseits die Eltern- und Kindesliebe, die Freundschaft und die allgemeine Menschenliebe, auch nicht die Hingebung an konkrete Gegenstände und abstrakte Ideen. Unsere Rechtfertigung liegt darin, daß die psychoanalytische Untersuchung uns gelehrt hat, alle diese Strebungen seien der Ausdruck der nämlichen Triebregungen, die zwischen den Geschlechtern zur geschlechtlichen Vereinigung hindrängen." Massenpsychologie und Ich-Analyse² (1923) 36 s. — [2]) Freud behauptet: „daß die Psychoneurosen, soweit meine Erfahrungen reichen, auf sexuellen Triebkräften beruhen" (Sexualtheorie⁶ [1926] 36). „daß die Menschen neurotisch erkranken, wenn ihnen die Möglichkeit genommen ist, ihre Libido zu befriedigen, also an ‚Versagung'" (Vorlesungen z. Einführg. i. d. Psychoan. 45. Tausend [1930] 350).

*553 II. **Iudicium** de doctrina psychoanalytica.

1. *Psychologia* eius a) *generatim crassus materialismus* est. Animam substantialem non novit, hominem facit ens ex nisibus animalibus et potissimum sexualibus compositum iisque in omnibus cum necessitate inconscia motum et directum.[1]) Sexualis conceptio hominis praecipue ex eo infertur, quod instinctus sexualis iam in infante manifestus sit, cuius asserti demonstratio tantummodo in interpretatione actionum infantilium arbitraria et sensui humano contraria consistit; quare etiam universim recusatur.

b) *Neuroses* interdum quidem, praesertim in psychopathologicis, ex violenta affectuum suppressione oriri possunt. Sed falsum est, omnes neuroses ex suppressione affectuum, libidinosorum maxime, originem ducere. Plurimi angores coactivos patiuntur, non quia molestas repraesentationes supprimunt, sed quia eas supprimere non valent; terror tremorem et cordis neurosim producit absque ulla affectuum suppressione. Multi vitam a libidine puram agunt, tamen neuroses patiuntur, alii, qui propter abstinentiam multas suppressiones faciunt, in nullam neurosim incidunt. — *Therapia psychoanalytica* in eo consistit, quod medicus affectum illum, cuius suppressio causa neurosis fuisse putatur, inquisitione analytica ex statu inconscio aegroti eruere et deinde vitiosam eius suppressionem retractare et sanare studet. Inquisitio autem plerumque in eo versatur, quod medicus, quae in aegroto se detegere putat, in suam sententiam interpretatur, conatus vero sanandi in hoc, quod aegroto suadet, ut suppressae libidini satisfaciat vel affectum in sublimius obiectum dirigat. Successus huis methodi iam propterea magnus esse nequit, quia in falsa neurosium explicatione fundatur. Gravia vero damna aegroti puritati et psychicae sanitati inferuntur, quatenus impudica inquisitio sexualis per menses continuatur, vita interna perscrutatione violenta agitatur, vulnera psychica iam sanata refricantur, aegroto perpetuo affectus inconscii, qui in eius

[1]) „Gelebt von unbekannten, unbeherrschbaren Mächten." Das Ich und das Es (1923) 25.

anima dominentur, suggeruntur; quod medici periti passim testantur.

c) *Somnia* interdum quidem desideriis inspirantur, e. g. 554*
si sitiens aquam bibere somniatur. At minime semper; praesertim somnia anxia talia non sunt. Multo minus asseri potest, somniis fere semper desideria erotica subesse, quae, saepe cum ingeniosa arte, in imagines somniales transferantur. Huius asserti demonstratio fere tantum haec est, quod vix non omnes res in somnio apparentes, domus, vestes, instrumenta, arbores, animalia, fructus interpretatione indomita pro symbolis rerum eroticarum sumuntur. Porro somnium generatim lusus phantasmatum, non vero operatio intellectus, nedum ingeniosa est.

d) *Actus psychici inconscii* eorumque dominatio caput praecipuum psychoanalysis est. Merito quidem ostendit, eventus psychicos semiconscios et ea, quae modo inconscio in memoria latent indeque identidem reproducuntur, magnam vim habere ad vitam internam atque etiam ad alterationes determinandas. Sed actus penitus inconscii non exsistunt. Multo minus ita exsistunt, sicut doctrina asserit: ut, etsi ceteroquin omnis affectus paulatim mitigatur, affectus suppressi per totam fere vitam vim retineant et sine intermissione, etiam in somno, vitam consciam agitent, ut persona in duas partes scindatur, unam consciam, alteram inconsciam, quae posterior illam perpetuo infestat, ut homo vix non in omnibus, quin sciat, libertate erepta his inconsciis affectibus et quidem infimis in modum obsessionis subiugetur.

2. *Religioni* locus non relinquitur. Anima immortalis non 555*
agnoscitur, sententiae actusque religiosi nihil sunt nisi sublimationes eroticae et effectus infirmitatis infantilis, potissimum ex instinctu oedipodiano derivati.

3. *Praecepta moralia* purae fictioni infantili ascribuntur: pueri, ita origo conscientiae declaratur, auctoritatem et praecepta parentum, quibus subiecti sunt quibusque simul affectu oedipodiano adhaerent, in se recipiunt et tamquam potestatem superiorem in se ipsis constituunt (als „Über-Ich"), quae nunc tamquam „conscientia" homini per to-

tam vitam dominari eumque cum tyrannica vexatione regere pergit. Praecepta autem honestatis sexualis perpetuo impugnantur, quod naturae adversentur, instinctum legemque maxime naturalem et a prima infantia homini insitam damnent, hominis felicitatem impediant, neuroses producant, vim humanam debilitent. Huic opinioni magna ex parte praxis medica conformis est. Scripta autem scholae psychoanalyticae maximam partem sola forma scientifica a pornographia differunt.

*556 Doctrina psychoanalytica merita habet. Non amplius, sicut in psychologia experimentali diu mos fuit, tantum discretas particulas psychicas, sed integrum hominem, eius evolutionem et praesertim infantiam considerare et ex hac tota inspectione particulares qualitates, difficultates, alterationes diudicare et tractare conatur atque attente in reconditam vitam internam penetrare studet. Speciatim momentum factorum inconsciorum (in quantum admittenda sunt) inculcat. Etiam ostendit, causas eroticas uberius fortasse, quam adhuc putabatur, in neuroses producendas influere. Denique exemplo suo ad psychotherapiam uberius usurpandam contulit. Attamen secundum integram doctrinam spectata indignissima materialismi species est, quae omne, quod in homine vere humanum et sublime est, audacter conculcat idque ea methodo scientifica, quae maxima ex parte indemonstratis affirmationibus et arbitrariis interpretationibus continetur.

*557 **De „Psychologia individuali".** Psychoanalysi aliquatenus similis est, at simul multum ab ea differt „Psychologia individualis" (Individualpsychologie) ab *A. Adler,* medico Viennensi, olim discipulo et deinde adversario Freudii, proposita et studiose propagata, quae parum quidem a medicis, magis vero et interdum multum a paedagogis adhibetur.

I. Expositio doctrinae. Psychologia individualis vult individualem singulorum indolem psychicam inquirere et secundum eam homines tractare. Quod laudabile est. Sed specialem doctrinam de vita psychica proponit, quae magna ex parte reprobanda est. Asserit, characterem individualem nulla ratione constitutione nativa, sed tantummodo *fine vitae* (Lebensziel) determinari et effici, quem quilibet atque iam puer quinque annorum, obscure saltem, sibi proponat quemque per totam vitam immutabiliter sequatur; hunc finem modo conscio et inconscio omnes cogitationes, emotiones, intentiones atque ipsa somnia regere et in strictam unitatem constringere.[1])

Duo autem hunc finem homini ingerunt. Primum est *studium potestatis* sive desiderium praevalentiae (Geltungsstreben), quod hominis principalis tendentia esse dicitur. Alterum est *sensus socialis* (Gemeinschaftsgefühl), qui in bonum commune fertur itaque studio potestatis egoistico se opponit. Studium autem potestatis vehementer incitatur per *„sensum inferioritatis"* (Minderwertigkeitsgefühl). Qui ex eo laborant et praesertim pueruli, percipientes defectus suos potestatem assequendam impedientes, hoc sensu impelluntur ad „compensationes" quaerendas et quidem saepissime ad vitiosas et sensui sociali contrarias: ad contumaciam, lites, simulationes, mendacia, denique ad omnia declinanda, quamquam ex officio sociali debita, quae eorum inferioritatem manifestare possint. Ex vario harum causarum concursu variae vitae et characteris differentiae efficiuntur.

II. Iudicium. Psychologia individualis complures *veritates* 558* *utiles* continet, quas non quidem invenit, attamen sedulo pertractat. Merito potestatis studio magnam vim tribuit et erudite eius manifestationes describit. Merito momentum inculcat, quod sensui inferioritatis, maxime in aetate puerili, inest et a pusillanimitate producenda dehortatur. Utilia documenta particularia paedagogica praebet. Laudabiliter quoque studium amoris et iustitiae socialis urget. Sed etiam *graves defectus* continet. Principalia perstringamus.

1. *De praecipuis doctrinae capitibus.* Veritati contradicit, 559* quod asserit, nullas qualitates characteriologicas innatas, sed

[1]) „Wir stellen demnach die Behauptung auf, daß, unbekümmert um Anlage, Milieu und Erlebnisse, alle psychischen Kräfte im Banne einer richtenden Idee stehen und daß alle Ausdrucksbewegungen, das Fühlen, Denken, Wollen, Handeln, Träumen und die psychopathologischen Phänomene von einem einheitlichen Lebensplan durchzogen sind." Adler, Praxis und Theorie der Individualpsych. (1924) 4.

omnes tantum per finis vitae intentionem et per consuetudinem acquisitas esse, etiam ipsas sexus diversitates psychicas, quas solum effectus condicionis socialis esse dicit; etiam inclinationes malas homini ex natura inesse negat. Studium potestatis vehemens quidem in homine est, sed minime, ut doctrina affirmat, tam principale, ut vix non omnis appetitio ex eo prodeat.[1]) Appetitus in omne bonum, fertur; appetitio cibi, sanitatis, pulchritudinis, puritatis, desiderium Dei et aeternitatis sane non sunt studium potestatis. Neque incredibiles, quas facit, interpretationes actionum humanarum huic sententiae speciem veritatis afferre possunt. Pariter amplitudinem et momentum sensus inferioritatis ultra modum exaggerat. Sensus socialis autem, cui spectata morali dignitate primum locum assignat, tum ambiguitate laborat, quia modo ut inclinatio psychica, modo ut officium morale, modo aliter sumitur, tum hoc errore inficitur, quod semper tacite vel expresse communitas humana et bonum sociale (secundum sententiam socialisticam) tamquam bonum summum et finis supremus proponitur, a quo vitae omnis valor et dignitas adveniat.[2]) Ita in locum Dei et religionis communitas humana substituitur, individuum societati subiugatur eiusque propria cultura personalis neglegitur vel despicitur. Revera huius doctrinae defensores studium perfectionis personalis, sanctitatis, desiderium caeli fere tantum pro reprehensibili studio potestatis habent. Etiam communitas ipsa, quam singuli promovere obligantur, modo socialistico describitur: sine proprietate privata, sine classium discrimine, cum absoluta omnium, etiam utriusque sexus, aequalitate, cum transmutatione hodiernae familiae in socialisticam.

[1]) „Alle seelischen Vorgänge laufen von vornherein auf ein Ziel der Erhöhung der Persönlichkeit los . . Für das menschliche Seelenleben gilt unverbrüchlich: Jede seelische Situation mit allen ihren Eindrücken und Empfindungen erhält ihren Rang, ihren Wert und ihre Bedeutung innerhalb eines Bezugssystems und entsprechend demselben, welches sich unter der Diktatur des Geltungsstrebens entwickelt hat. (Fundamentalsatz der Individualpsychologie.)“ Adler, Zsch. d. Individualps. 3 (1925) 1. — [2]) „Wir heben immer hervor, daß es keine wertvolle Leistung gibt, die aus einem andern Grunde wertvoll wäre, als weil sie für die Allgemeinheit nützlich wäre.“ Adler, l. c. 222.

2. *Usus practicus doctrinae* duplex est, therapeuticus et paedagogicus. 560*

a) *Usus therapeuticus* neuroses sanandas spectat. Neuroses in eo tantum consistere dicuntur, quod quis gravi inferioritatis sensu laborans sinistro nisu potestatem assequi conatur phaenomena neurotica arte producens („Arrangement“), ut aliis superior appareat, aliorum servitium extorqueat, omnia declinare queat, quae defectus suos manifestare possent: agoraphobiam prae se fert, ut domi manere possit, scrupulositatem, ut sanctus videatur et alios sibi opitulari faciat, carentiam somni, ut examen evitet. Idcirco therapia in eo reponitur, quod „aegroto“ haec sinistra agendi ratio eiusque infelices effectus declarantur; hanc manifestationem putant non posse non efficere, ut ille vitiosus agendi modus omittatur. Cum haec neurosium conceptio, generatim saltem, falsa sit, etiam talis methodus sanandi in universum inefficax sit oportet. Inter medicos revera in parvo honore habetur.

b) *Usus paedagogicus* notabilior est. Psychologia individualis sedulo particulares res paedagogicas inquirit, errata aperit, utilia monita dat. Attamen in universum spectata erroneam methodum praebet. Bonum commune et quidem terrenum et temporale supremum hominis finem itaque etiam supremum finem paedagogicum constituit vel certe finem superiorem penitus ignorat, ideoque ex se educationem irreligiosam reddit et ad neglegendam personalem honestatem et culturam inducit. Ingenitas inclinationes malas negat et hominem natura sua bonum existimat ideoque puerum propriae naturae ductui committendum esse docet. Unicum fere impedimentum sensum inferioritatis novit, ex quo omnia vitia, etiam contumacia, petulantia, lascivia, furta, flagitia proveniant. Quapropter praecipuum et unicum fere munus educandi hoc esse ponit, ut aetati iuvenili animus addatur et omnia removeantur, quae hunc sensum augere queant, reprehensiones, humiliationes, immo omnis poena et omnis auctoritatis usus.[1])

[1]) „Verzicht auf jede Autorität“ ist der erste Punkt im Erziehungsschema. Adler, Heilen u. Bilden[3] (1908) 144. „Wir lehnen es ab, durch

Hanc methodum perpetuae traditioni paedagogicae contradicere et educationem omni efficacia et effectu privare manifestum est.

Caput VIII

De anima humana

561 Cum psychologiae propositum sit de vita psychica tractare idque philosophice, exponendo eius remotas rationes et principia, sine dubio potissima eius tractatio de anima esse debet, quippe quae ab omnibus praecipuum vitae psychicae principium habetur. Antea autem opus fuit de singulis vitae actibus et potentiis agere. Etenim ea est condicio intellectus nostri, ut ex cognitis accidentibus et effectibus ad cgnoscendas substantias et causas progrediatur. Iam igitur inquirere licet, quae sit natura et indoles animae nostrae.

Anima in genere spectata, qualis homini cum animalibus et plantis communis est, secundum universalem hominum sententiam intellegitur *primum a materia diversum principium vitae in viventibus corporeis.* Dicitur principium primum seu substantiale, ut distinguatur a potentiis, quae animae inhaerent et etiam principia vitae sunt, sed tamquam animae qualitates et instrumenta concipiuntur, quibus in exercendis actionibus vitalibus utitur. Additur ‚a materia diversum', ut simulatio materialistarum excludatur, qui saepe animam admittunt, sed hoc nomine tantum materiam appellant, quatenus integram vitam psychicam producat. Denique anima dicitur primum principium vitae in viventibus ‚corporeis'. Nam anima essentialem respectum ad corpus includit, quod vivificat. Ideo angeli spiritus quidem sunt, sed animae minime dici possunt.

Strafe oder Drohung unser Ziel erreichen zu wollen. Auf den Einfluß der Autorität, des Respekts, auf die Anwendung der Gewalt verzichten wir leichten Herzens." Idem, Handbuch d. Individualps. Vorrede. „So ergibt sich der einzig gangbare Weg, der der autoritäts- und straflosen kameradschaftlichen Führung." Idem, Zsch. f. Ips. 33, 129.

Haec est definitio in philosophia peripatetico-scholastica communiter recepta. „Anima", ait s. *Thomas*, „dicitur esse primum principium vitae in his, quae apud nos vivunt [in viventibus corporeis]; animata enim viventia dicimus, res vero inanimatas vita carentes . . Primum principium vitae dicimus esse animam."[1]) Idem *Aristoteles* docet: „Anima est actus primus [forma substantialis] corporis physici potestate vitam habentis"; est „id, quo primo vivimus, sentimus, loco movemur et intellegimus."[2])

Iam igitur ex ordine investigandum est, num revera homo animam habeat, qualis sit anima in se spectata, qualem relationem ad corpus habeat, denique quae sint eius duratio atque ortus.

Th. 29. **Homo habet animam a corpore essentialiter diversam.**

Declar. Etsi veritas asserta iis iam, quae antea tracta- 562
vimus, demonstrata censenda est, tamen eam denuo explicite menti proponere iuvat, quia in se fundamentalis est et quia materialistae omnem animam, proinde etiam humanam negant sive vocem quidem animae usurpant, sed hac voce tantum materiam designant, quatenus etiam vitae psychicae principium sit. Animam autem intellegimus secundum definitionem supra statutam, interim quaestionem omittentes, sitne anima humana etiam spiritualis, an fortasse sicut anima bruti a materia quidem diversa, attamen ab ea pendens.

Demonst. Vita hominis non a sola materia procedit, sed 563
praeterea aliud principium substantiale a materia essentialiter diversum postulat. Atqui hoc principium anima dicitur. Ergo vita hominis animam a materia essentialiter diversam postulat, proinde homo eam habet.

Demonst. mai. a) Vita *sensitiva* hominis non a sola materia, sed etiam ab alio principio essentialiter diverso, nempe anima, procedit, ut Th. 1 demonstratum est (n. 81).

---

[1]) 1 q. 75 a. 1. — [2]) „Ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος"; „τοῦτο, ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα καὶ διανούμεθα πρώτως." Περὶ ψυχῆς II 1 (412 a 27); ib. 2 (414 a 12).

b) Pariter vita *vegetativa* hominis non a solo corpore procedit, sed etiam ab alio principio essentialiter diverso. In cosmologia enim ostenditur, vitam vegetativam plantarum principium substantiale a materia essentialiter diversum postulare propter essentiale discrimen, quod inter plantam viventem et corpora anorganica intercedit. Multo magis igitur vita vegetativa hominis perfectior tale principium sive animam requirit.

c) Vita *intellectualis* omnino non a materia procedit, sed tantum ab alio principio essentialiter diverso, anima. Demonstravimus enim, actus intellectus et voluntatis spirituales esse (n. 181 359).

Art. 1. **De anima in se spectata**

Th. 30. **Absonum est negare, hominem habere animam substantialem.**

564 **Declar.** Antea demonstrantes, hominem animam habere, nempe primum principium vitae, implicite quidem simul ostendimus, hanc animam substantialem esse. Tamen explicite et uberius id ostendere oportet. Non propterea, quod homini falsis doctrinis non irretito dubium hac de re esse possit, sed quia haec evidens veritas a plerisque philosophis modernis usque ad recentissimum tempus expresse negatur, non tam a materialistis, qui animam penitus negant, quam potius ab aliis, qui vitam psychicam a materia diversam et saepe etiam expresse animam admittunt, attamen mutata vocis significatione animam tantum intellegunt *complexum actuum psychicorum* in aliquo individuo exsistentium (doctrina actualitatis). Admittunt tantum actus, subiectum autem substantiale, in quo sint quodque maneat, dum actus adveniunt et recedunt, negant. Quo errore nihil peius est. Hac enim ratione non solum psychologia sine ψυχή construitur, sed etiam omnis religio, maxime christiana, vana redditur; tollitur enim immortalitas, tolluntur caelum et infernus, nullus est valor redemptionis, superflua evadit cura salutis animae.

Adversus hunc errorem, saltem tempore praeterito usque ad novissimum late diffusum, asserimus, animam esse ens

in se et permanens subiectum actuum psychicorum, quibus tamquam suis accidentibus intrinsecus afficiatur et se manifestet.

Recenti aetate late vulgata est doctrina a Locke et Hume inaugurata, quae generatim negat vel in dubium vocat, substantias esse, tantum phaenomena, energias, actiones in rerum natura admittens.[1]) Praesertim autem animam substantialem negant. 565

Hac in re iam aliquo modo praeivit *Descartes* docens, essentiam animae esse „cogitationem solam". Cum immoderatione *Hume* loquitur; secundum quem anima est „fasciculus sive collectio diversarum perceptionum in perpetuo fluxu et motu".[2]) *Kant* empiristas anglicos sequens pariter docet, experientiam tantummodo actus psychicos ostendere ideoque animam substantialem demonstrari non posse; sed eam postulatum rationis practicae esse affirmat. Secundum *Condillac* sensistam Ego „est collectio sensationum, quas experitur, et earum, quas ei memoria revocat".[3])

Qui doctrinam actualitatis adoptant, sic fere disserunt: „Cum Fechner et Wundt persuasum mihi est, hanc ideam [animae substantialis] non esse probabilem neque etiam possibilem."[4]) „Metaphysica vel theologia probent, animam exsistere; pro psychologia hypothesis talis substantialis principii unitatis superflua est." „Cogitationes ipsae sunt subiecta cogitantia."[5]) „Psychologia, qualis a nobis concipitur, eatenus est ‚psychologia absque anima', quatenus . . nihil de eo enuntiat, exsistatne tale ens absolutum."[6]) „Psychologus renuntiat hypothesi de immutabili, substantiali spiritu. Res permanentes et substantiae non pertinent ad obiecta scientiae, sive physicae sive psychologiae . . Possumus dicere, animam esse complexum phaenomenorum psychicorum."[7]) „Anima non est ens, quod remaneat demptis omnibus suis actibus vitalibus . ., sed est tantum complexus copiosae vitae, quam de ea praedicamus."[8]) Anima est „complexio phaenomenorum psychicorum"[9]), „series eventuum"[10]).

---

[1]) Confer *Ontologiam*, De substantia. — [2]) „A bundle or collection of different perceptions in a perpetual flux and movement." Treatise on Human Nature IV § 6. — [3]) „N'est que la collection des sensations qu'elle éprouve et de celles que la mémoire lui rapelle." Traité des sensations 1 chap. 6. — [4]) *F. Paulsen:* „Mit Fechner und Wundt bin ich der Überzeugung, daß dies keine haltbare oder auch nur mögliche Vorstellung ist." Einleitung in d. Philosophie[35] (1920) 144. — [5]) *W. James:* „Metaphysics or theology may prove the Soul to exist; but for psychology the hypothesis of such a substantial principle of unity is superfluous." „The thoughts themselves are the thinkers." Psychology ch. 12. — [6]) *Höffding*, Psykologi. Ed. germ.[4] (1908) 19 s. — [7]) *Titchener*, Textbook of Psychology (1910) § 5. — [8]) *Ebbinghaus:* „Die Seele ist nichts außer der Gesamtheit eben dieser Inhalte und Betätigungen; nicht ein Wesen, das übrig bliebe, wenn man von allen seinen Erlebnissen absieht . ., sondern wiederum lediglich der Inbegriff alles des reichen Lebens, das man von ihr auszusagen Veranlassung hat." Abriß d. Psychologie[6] (1919) 41. — [9]) *Jodl:* Seele ist „die Totalität dessen, was in den Bewußtseinserscheinungen selbst gegeben ist." Psychologie[3] I (1908) 38. — [10]) *H. Taine:* „une série d'événements". Intelligence I.

„Ego empiricum idem est ac summa functionum nostrarum psychicarum. ‚Subiectum substantiale' instar permanentis et simplicis ego conceptum nullibi psychologice demonstrari potest."[1]) Confer n. 4.

Multi ad sententiam actualitatis defendendam moventur falsa sua animae substantialis notione, qua iam Locke et Kant decepti sunt. *Locke* actus psychicos non concipit ut internas affectiones et manifestationes animae ex ea egredientes eamque intrinsecus perficientes, sed ferme instar entium in se. Eorum complexum ego vocat eosque arbitratur ab anima substantiali tantum extrinsecus, sicut fere libros a mensa, portari; immo fieri posse ait, ut iidem actus seu idem ego a variis substantiis portetur, e. g. memoriam actionum praeteritarum ab una substantia posse in aliam transferri.[2]) *Kant* fere eandem a Locke conceptionem recepit.[3]) Qui tali opinione imbutus est, iam existimare potest, animam substantialem superfluam esse et aliquid nobis penitus ignotum manere, cum actus non iam eius affectiones et manifestationes sint.

566 Sed iam sunt eorumque numerus crescit, qui non quidem expressis verbis animam substantialem defendunt, cuius clara notione carent, attamen huic sententiae prope accedunt. Quam sententiae mutationem duo praesertim effecerunt: consideratio unitatis vitae psychicae, quae sine communi subiecto permanente explicari nequit, et necessitas stabilium dispositionum ex actibus relictarum, quae modo inconscio in nobis permanent. Sic iam ex complurium sententia „anima est permanens fundamentum unitatis omnis psychicae"[4]), „subiectum constantium spiritualium essendi modorum", „subiectum spirituale tamquam aliqua essentia"[5]), „illud arcanum, quod his statibus [psychicis] et functionibus subest et cuius status et functiones illi processus sunt"[6]).

567 **Demonst.** 1. *Ex necessitate subiecti actuum.* Actus psychici teste conscientia sunt et ab omnibus dicuntur perceptiones, sensationes, cogitationes, volitiones, generatim actiones, affectiones et modi se habendi. Atqui evidens est, tales supponere subiectum substantiale, in quo sint et a quo procedant. Nam absonum est concipere, cogitationem vel volitionem in se subsistere et quasi in aere haerere, cogitationem esse sine cogitante, volitionem sine volente, affectiones et modos se habendi sine aliquo, qui afficiatur et sic se habeat. Subiectum autem actuum psychicorum non est corpus solum, quod etiam ipsi adversarii, contra quos agitur, expresse concedunt. Ergo evidens est, in nobis esse animam substantialem, ideoque absonum est eam negare.

———

[1]) *Ziehen:* „Das empirische Ich ist mit der Gesamtheit unserer psychischen Prozesse identisch. Ein sogenannter ‚substantieller Träger' in Gestalt eines einfachen, beharrlichen Ich ist nirgends psychologisch nachweisbar." Leitfaden der physiol. Psychologie[11] (1920) 458. — [2]) An Essay concerning Human Understanding II 27 § 10. — [3]) Kritik d. r. V. Elementarlehre 2. Teil 2. Abt. 2, 1. — [4]) *H. Driesch:* „Die Seele ist die beharrliche Einheit, der beharrliche Einheitsgrund alles Erleben- und Ordnenkönnens", eine „ganzmachende Seele", „die dynamische Seele ist immer ganz am Werk; ihre nicht raumhafte Organisation ist ganz, und ein neues Ganze bildet sie aus allen Materialien, welche sie erwirbt und durch die Fähigkeit des Gedächtnisses bewahrt." Grundprobleme d. Psychologie (1926) 62 75 119. — [5]) *E. Spranger:* „als Träger von konstanten geistigen Verhaltungsweisen", „das geistige Subjekt als ein ‚Wesen'" Lebensformen[4] (1924) 4. — [6]) *Österreich:* „Es ist eben das diesen Zuständen und Funktionen zugrunde liegende rätselhafte Etwas, dessen Zustand oder Funktionen jene Prozesse sind." Die Phänomenologie des Ich (1910) 226.

2. *Ex conscientia nostri ego.* Conscientia teste ego nostrum substantia est. Atqui ego comprehendit potissimum animam. Ergo anima substantia est. 568

Demonst. mai. Cum evidentia percipimus ego tamquam *subiectum,* quod unum idemque omnes actus psychicos ut suos habeat tum praesentes tum praeteritos; id enuntiant iudicia ‚ego habeo dolorem, ego delibero, ego tristor'. Haec evidens autem perceptio, qua nulla alia clarior et magis immediata magisque continua est, error esse nequit. Atqui hoc subiectum est substantia, non vero complexus actuum. Nam

a) Experimur, ego esse reale subiectum actuum, actus habens et ponens, proinde *ab actibus distinctum.* Certe complexus actuum non est subiectum actuum; iudicium ‚ego gaudium habeo de accepto nuntio' non significat: ‚complexus actuum gaudium habet'. Praeterea experimur, ego unum et idem esse et manere sub actibus, dum actus mutantur: idem ego, quod cogitat, etiam vult, et quod vult, audit, et quod hodie haec audit et videt et cogitat, heri et antea alia audivit, vidit, cogitavit; summa vero actuum non eadem singulis actibus subest, sed in momenta multoque magis in menses et annos mutatur.

b) Conscientia *immediate* percipimus, ego nostrum integrum esse substantiam. Experimur enim clare, totum id, quod ego vocamus, esse ens in se vel tale ens, quale per terminum scientificum ‚ens in se' exprimitur, non vero ens, quod in alio inhaereat tamquam eius affectio, modus sive actio.

Demonst. min. Corpus vel nullo modo vel saltem non solum est subiectum actuum psychicorum. Quod neque ad-

versarii negant, nisi ad materialismum declinare velint. Ergo ad ego potissimum anima pertinet.

569 3. Nisi anima substantialis admittitur, *plurimi eventus vitae psychicae, maxime eius unitas,* intellegi nequeunt. Ergo anima substantialis admittenda est. — Demonst. ant. his:

a) Declarari nequit *facultas reproducendi* habitas sensationes et cognitiones intellectuales, nisi admittuntur species memoriales. Quae in solo corpore esse nequeunt, non enim solum corpus sensationes vel immo intellectiones reproducendo elicit; proinde in anima substantiali sint oportet. Minus etiam leges *associationis idearum* declarantur, nisi adest commune subiectum, in quo et per quod ideae permanentem conexionem inter se conservent. Et impossibile est declarare *reminiscentiam,* qua actus tamquam prius habitos recordamur. Nam quia actus sensitivi non in solo corpore, spirituales autem nullo modo in corpore sunt, anima substantiali negata non iam subiectum adest, quod idem nunc sit et simul actus praeteritos, praesertim spirituales, habuerit et recordari possit, se iam antea de hac re cogitasse, complacentiam vel gaudium habuisse.

Aliter. Multi vel plerique actualistae concedere coguntur, ex actibus repetitis permanentes dispositiones relinqui, quibus ego nostrum psychicum (quod animam appellant) habile redditur ad eosdem reproducendos. Ita vero expresse concedunt, animam non solum transitoriis actualitatibus constitui, sed simul quiddam permanens esse.

b) Non explicatur *conspiratio et influxus actuum.* Non intellegitur, cur actus phantasiae et intellectus illico consentaneos actus voluntatis excitent, si non ex eadem anima substantiali exsurgunt; non intellegitur, cur hilaritas promoveat, tristitia vero impediat vitam internam, cur tristitia lacrimas, gaudium vero risum excitet, sapor dulcis hunc, acidus alium vultum moveat, si non exsistit inter haec coniunctio per unam animam substantialem corpori unitam.

c) Non possunt explicari *operationes compositae* intellectus. Impossibile est ratiocinium, nisi adest una anima, in qua maior, minor et consequens insunt; multo magis im-

possibile est texere longiorem demonstrationem sive orationem logice cohaerentem vel in legendo libro per dies unam materiam prosequi, si non unum subiectum cogitans, sed tantum series actuum adest, quorum posterior nescit, quae prior cogitavit.

4. Quod denique *vitam practicam* attinet, anima substantiali sublata tollitur imputabilitas moralis, quia nullum subiectum est, quod dolere debeat de peccatis a se commissis, quod puniri vel laudari possit propter actiones suas. Tollitur instructio et educatio, si non est subiectum, in quo scientiae vel bonae consuetudines acquisitae maneant. Tollitur vita post mortem et sanctio. Et sequitur necessario materialismus; si enim anima aufertur, expresse vel tacite corpus subiectum omnium actuum statuitur. Atqui haec consectaria absurda sunt. Ergo absonum est negare animam substantialem. 570

De Ego humano. Experientia ego nostri ad animam substantialem et alias praecipuas veritates psychologicas demonstrandas multum valet. Praeterea disputationes hodiernae de anima eiusque natura et permanentia sub nomine „ego" humani tractari solent. Quare paulo uberius exponendum est. 571

1. *Quid sit.* Ego, sicut experientia interna exhibetur, est proprium subiectum actuum psychicorum se ipsum percipiens. Ego enim non aliter nisi actibus affectum percipimus. Proinde nihil aliud est quam propria substantia, quatenus se ipsam ut actibus affectum percipit. Ergo in ego distingui potest subiectum ipsum sive *ego ontologicum* et *conscientia* sui. Scimus autem, subiectum actuum sensitivorum esse compositum ex corpore et anima, subiectum vero actuum spiritualium animam solam esse. Itaque ego totale ontologicum corpus et animam comprehendit. Anima quidem pars eius praecipua est, sed secundum se solam spectata non est ego totale.

Porro ego ontologicum spectari potest secundum solam substantiam vel quatenus simul accidentalibus determinationibus affectum est. Illud *purum,* hoc *concretum* vocari

potest. Ego purum animam et corpus comprehendit, ego concretum praeterea totum statum accidentalem internum et externum, actus, dispositiones, nomen, munus aliasque relationes sociales complectitur.

572 2. *Mutatio ego nostri* vel ego ontologicum vel conscientiam eius spectare potest. Quod illud attinet, ego concretum utique spectatis accidentibus perpetuo mutatur; modo vigilat, modo dormit, aliter in sanitate, aliter in morbo, in iuventute et senectute se habet. Ego purum mutatur in corpore, cuius continuo partes separantur et aliis locum cedunt, attamen ita, ut singulis momentis pars corporis manens longe maior sit parte recedente et proinde corpus moraliter idem permaneat, nempe secundum existimationem, attamen cum fundamento reali. Anima vero simplex semper substantialiter eadem permanet. Itaque identitas permanens proprii ego ontologici, quam per totam vitam experimur, solum ad eius substantiam referenda est et quidem stricte solum ad animam. De mutatione apparente ego nostri, quae ex defectu conscientiae oriri potest, in Obiectionibus agetur.

573 3. *De sententiis hodiernis.* Psychologi in explicando ego, in quo perpetuo actus inesse percipimus, multum laborant. Perceptio ipsa tam evidens est, ut saltem prudentiores omnes eam concedant.

a) Aliqui hac experientia moti *quandam substantialitatem animae,* plerumque confuse conceptam, admittunt (n. 566).

b) *Actualistae* vero eam recusant. At difficultatem in explicanda constanti eiusdem ego perceptione sentiunt. Plerumque eam inde provenire existimant, quod adsit quaedam unitas inter omnes actus. Quam iterum varie concipiunt. Plerique eam „conexionem" vocant (Zusammenhang, Verknüpfung), quatenus vel actus inter se influant sive idem obiectum respiciant vel quatenus semper omnium conscientia adsit. Sed haec non sufficiunt. Ego non percipitur tamquam conexio actuum qualiscumque, sed ut subiectum, in quo omnes et singuli insint. Praeterea etsi unus tantum actus adest sine multorum conexione, tamen idem ego sentitur.

Non mirum igitur, quod ipse *Hume* fateri cogitur, „omnem spem [identitatis personae explicandae] evanescere, quando causas assignare velit, quibus perceptiones nostrae successivae in unitatem conscientiae uniantur."[1])

Specialem sententiam *W. James* statuit. Provocans ad Kant, qui[2]) similia profert, affirmat, unitatem vitae psychicae per hoc adesse, quod semper actus posterior priorem cognoscat itaque in se recipiat et quasi „adoptet", sicut fere unus globulus motum ab alio acceptum vel heres possessionem defuncti recipiat.[3]) Sed hoc manifesto conscientiae adversatur, quae minime manifestat, meum praesentem actum omnia continere, quae umquam didici, et quae etiam clare testatur, unionem actuum non hanc esse, quod unus alium contineat, sed quod in eodem subiecto sint.

Alii denique, ut Ribot, A. Lehmann nullam aliam explicationem invenientes asserunt actus propterea in unitatem eiusdem ego uniri, quod omnes in *eodem corpore* sint. Sic iam ad materialismum devenitur, neque perpetua identitas nostri ego explicatur, quia partes corporis diversae sunt et totum corpus paulatim mutatur.

Obiectiones. 1. Substantia animae est ignotum X, quo admisso nihil explicatur. — *Resp.* N. Anima cognoscitur ex actibus, qui eius actiones et conaturales determinationes internae sunt, quibus igitur natura animae manifestatur. 574

2. Animam non percipimus, sed tantum ratiocinando inferimus. Ergo multo minus animam substantialem esse percipimus. — *Resp.* D. ant. non percipimus id, quod est anima, nempe proprium ego, in quo anima includitur N. non percipimus eam ut animam, diversam a corpore et spiritualem C. Cd. cons. non percipimus, id, quod est anima (ego), esse substantiam N. animam ut talem apprehensam Sd. non immediate id percipimus C. non mediate cognoscimus N.

3. Anima est aliquid, quod post functiones iacet. Atqui nihil tale percipimus. — *Resp.* D. mai. i. e. est distincta a functionibus C. non simul cum iis percipitur N.

4. Ex hoc, quod ego sive anima percipitur esse subiectum actuum, non sequitur, eam esse substantiam ab actibus distinctam. Nam etiam complexus actuum dici potest subiectum singulorum actuum. Arbor nihil est nisi complexus suarum partium et tamen subiectum earum vocatur; dicitur habere radices, ramos, folia. [Ebbinghaus[4])]. — *Resp.* N. ego ut complexum actuum dici posse subiectum singulorum actuum. Ad exemplum N. par. Partes arboris sunt res substantiales, quae subiecto inhaesionis non indigent, actus autem accidentia sunt, quae sine

---

[1]) Treatise on Human Nature I. Germ. vertit Th Lipps ([3]1912) Anhang 363. — [2]) Loco n. 565 citato. — [3]) Psychology ch. 12. — [4]) *Ebbinghaus:* „Wie es sein kann, daß etwas nicht für sich und selbständig in der Welt existiert, sondern an einem Träger haftet, ohne daß doch zugleich dieser Träger als ein besonderes Wesen im metaphysischen Sinne außerhalb des Getragenen und neben ihm vorhanden ist, lehre ein einfaches Beispiel. Man sehe die Pflanze. Sie hat Wurzeln, Zweige, Blätter, Zellen, trägt Blüten, Früchte, eine Krone usw." Grundzüge d. Psychologie I[4] (1919) 12.

tali subiecto esse nequeunt. Vel D. arbor habet partes tamquam subiectum reale inhaesionis N. tamquam subiectum logicae praedicationis C.

575 5. Accidit in somnio et somnambulismo, in hypnotisatis, amentibus, hystericis aliisque aegrotis, ut identitas eiusdem ego pereat. Somniantur enim, se alios esse, quam reapse sunt, vel existimant, pristinam suam personam non iam vivere, sed aliam adesse, vel duplicem personam in se apprehendunt. — *Resp.* D. in his eventibus propter impedimenta clara conscientia identitatis ego proprii deficit ideoque falsum iudicium oritur C. identitas ipsius ego ontologici perit Sd. ego puri sive substantialis N. concreti, cuius status mutatus illusionibus illis ansam dat C. Cf. de ego duplicato n. 317.

6. In ego sive anima observatur multiplicitas et mobilitas. Atqui in substantia permanente non potest esse multiplicitas et mobilitas. Ergo ego sive anima non est substantia.[1] — *Resp.* D. mai. multiplicitas et mutatio accidentalis, quoad actus sive habitus C. substantialis N.

Th. 31. Unica est in homine anima, quae simul vitae rationalis, sensitivae, vegetativae principium est.

576 **Declar.** Thesis iis opponitur, qui complures animas in homine admittunt. Celebris hac in re est trichotomia Platonis, qui, saltem in libris posterioribus, triplicem animam distinguit, rationalem (τὸ λογιστικόν), irascibilem (τὸ θυμοειδές), concupiscibilem (τὸ ἐπιθυμητικόν), primam in capite collocans, alteram in pectore et corde, in ventre tertiam. Etiam Aristoteles, hac in re doctrina Platonis inspiratus, de compluribus animae partibus loqui solet et quidem de anima vegetativo-sensitiva et de rationali (νοῦς) ita, ut utriusque identitas realis vix iam servetur (cf. nn. 18 240). Trichotomiam platonicam etiam Philo adoptat. Inter scholasticos antiquiores scholae augustinianae etiam quidam aliquam divisionem animae in tres partes, vegetativam, sensitivam et intellectualem, admiserunt, inter quos Petrus Jo. Olivi († 1297) commemorandus est. Manichaei autem animam bonam et malam admiserunt, Apollinaristae haeretici sensitivam et rationalem, in cuius locum in Christo Verbum intrasse dixerunt. Ad quem eundem fere Apollinaris errorem saeculo elapso Günther relapsus est.

[1] „Les analyses psychologues contemporains, celles de W. James et de M. Bergson notamment, nous ont montré que la vie psychique présente aussi un autre aspect, qui lui est tout aussi essentiel: la multiplicité et la mobilité perpétuelle; et de ce second aspect le substantialisme ne rend pas compte." A. Cuvillier, Manuel de philosophie I[2] (1933) 698.

Itaque asserimus, etsi distinctio rationis inter animam rationalem, sensitivam, vegetativam fieri possit, tamen *realiter* unam tantum animam esse, quae eadem triplicis vitae principium sit, ita nempe, ut vitae rationalis ipsa sola, vitae vero sensitivae et vegetativae anima una cum corpore principium sit.

Eadem est doctrina catholica. Pius IX. ad episc. Wratislav. 1860 haec scripsit: „Sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei ecclesia esse communissimam atque doctoribus plerisque, et probatissimis quidem maxime, cum ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio nec proinde sine errore in fide possit negari."

Demonst. 1. *Ea est inter triplicem vitam conexio*, mutua dependentia, influxus, ut tantum explicari possit, si una eademque anima simul huius triplicis vitae principium est. Ergo unica est in homine anima, quae simul vitae rationalis, sensitivae et vegetativae principium est. 577

Demonst. ant. a) In *morte* ita simul ex corpore evanescit vita rationalis, sensitiva et vegetativa cum facultate se movendi, ut concludendum sit, omnem hanc vitam ab una anima provenire. Si enim complures essent animae, non appareret sufficiens ratio, cur cum una necessario simul reliquae egrediantur.

b) Est continuus *triplicis vitae influxus* mutuus, mutua dependentia, iuvamen, impeditio, quae sine unitate animae explicari nequit. Activitas sensitiva (ideoque etiam rationalis) eodem fere gradu evolvitur, postea exercetur, in senectute deficit, quo activitas vegetativa initio evolvitur, postea exercetur, in senectute decrescit. Activitas vegetativa ita dirigitur, ut non solum organa vegetativa, sed etiam et potissimum sensitiva efformet et quidem eo iam tempore, quo sensationes nondum adesse possunt, et postmodum ea perpetuo nutrit, reficit, conservat; vicissim vita sensitiva vegetationi inservit nutrimenta quaerens et discernens, damna fugiens, generationem procurans, prolem nutriens. Porro

si intenditur operatio vegetativa e. g. in digestione, impeditur studium mentis et elanguet phantasia; morbi statim afficiunt sensum et mentem, motus et labores corporales impediunt laborem mentis. E contrario si operationes rationales et sensitivae nimis intenduntur, activitas vegetativa impeditur et grave nocumentum pati potest; maeror nutritionem impedit, aspectus rei sordidae vomitum provocat; affectus causant lacrimas, tremorem. Haec et alia apte explicari tantum possunt, *si una anima* triplicis vitae principium est. Sic enim bene explicatur, cur variae operationes in communem finem ordinentur itaque se iuvent, inter se pendeant atque etiam se invicem impediant, quatenus nempe anima virtute finita praedita, si in uno genere multum operatur, in alio deficit. Sin autem variae operationes per complures animas divisae sunt, non elucet, cur ita inter se conectantur, in communem finem tendant, cur, si una anima plus laboret, alia deficiat. „Diversae vires, quae non radicantur in uno principio, non impediunt se invicem in agendo, nisi forte earum actiones essent contrariae, quod in proposito non contingit."[1])

c) Talis est *speciatim inter rationalem et sensitivam* vitam conspiratio et influxus, ut tantum explicari possit, si eadem anima utriusque principium est. Intellectus ideas per sensus acquirit, quatenus sensatio intellectum ad similem ideam producendam excitat, nullus est actus intellectus, quem non statim phantasia comitetur, neque ullus fere est actus in uno appetitu, qui non confestim in alterum redundet similem actum excitando; iam vero haec continua actuum sensitivorum et rationalium mutua similitudo, concomitantia, excitatio explicari non potest nisi ex radicatione utriusque vitae in eadem anima. Experimur etiam saepe luctam inter appetitum sensitivum et rationalem, quatenus per unum in delectationem sensibilem trahimur, per alterum vero eidem resistimus; iam vero non possemus sentire, nos eosdem ita in varias partes trahi, si inclinationes in duabus animis

[1]) C. gent. II 58.

essent, sic enim una anima in hanc, altera in aliam partem traheretur.

2. Cum evidentia experimur, *idem ego* nostrum actus vitae rationalis et sensitivae habere. Sicut enim dicimus ‚ego cogito, decerno', ita similiter experimur ‚ego oculis cerno, ego famem sentio'. Atqui hanc identitatem tantum ideo percipere possumus, quod anima rationalis etiam principium et subiectum vitae sensitivae est. Si enim anima sensitiva alia esset ac rationalis, in principio vitae rationalis et sensitivae nihil commune esset: non anima, ut supponitur, non corpus, quia corpus principium vitae rationalis non est. Ergo eadem anima principium vitae rationalis et sensitivae est. 578

Obiectiones. 1. Quae specie differunt, non sunt idem. Atqui anima vegetativa, sensitiva, rationalis specie differunt. Ergo. — *Resp.* C. mai. D. min. si tantum ratione differunt N. si realiter C. Vel D. anima pure vegetativa et pure sensitiva et pure rationalis specie differunt C. aliter N. 579

2. Eadem anima non potest oppositas inclinationes habere; atqui tales in nobis sunt. — *Resp.* D. mai. non inclinationes stricte oppositas i. e. tales, quae ad idem obiectum sub eodem respectu referuntur simulque efficaces sunt C. late oppositas N. Christus Dom. a passione tamquam a re acerbissima vehementem aversionem (inefficacem) habuit simulque eandem tamquam a Patre mandatam efficaciter voluit.

3. Anima rationalis est incorruptibilis, sensitiva vero corruptibilis. Ergo non possunt esse eadem anima. — *Resp.* D. ant. anima sensitiva, quae simul rationalis est, corruptibilis est N. aliter C.

4. Anima sensitiva et vegetativa a corpore pendent, rationalis autem non pendet. Atqui non potest eadem anima simul pendere et non pendere. Ergo. — *Resp.* D. mai. anima pure sensitiva et vegetativa a corpore pendet et quidem intrinsecus C. sensitiva, quae simul rationalis est N.

De unitate individuali animae. Non est opus multis demonstrare, animam humanam in singulis hominibus exsistentem esse individualem, individualiter diversam in diversis hominibus, non vero unam eandemque animam in omnibus esse. Philosophi arabici opinati sunt, in omnibus hominibus unam tantum animam spiritualem (νοῦς) inesse; quos veteres scholastici impugnare solent. Similiter monistae pantheistici existimant, singulas animas solum esse diversos modos seu phaenomena eiusdem entis absoluti. Hae doctrinae vehementer conscientiae repugnant, qua nullam identitatem ego nostri aliis cum hominibus apprehendimus, sed e contrario clare percipimus, nostrum subiectum cogitans et volens seu nostrum ego tantum subiectum esse nostrorum, non vero simul aliorum actuum, quos a nostris diversos nostrisque oppositos observamus. 580

De principio individuationis animae et de inaequalitate animarum in Ontologia, De unitate, disputatur.

Th. 32. Anima humana est substantia spiritualis.

581 **Declar. 1.** Nomine spiritus usu communissimo substantiam significamus, quae ordinem corporeum essentia sua transgreditur seu quae immaterialis est. Ut idem distinctiore definitione exprimamus, spiritus seu substantia spiritualis illa dicitur substantia, quae *simplex est neque a materia pendet.* Itaque

a) Substantia spiritualis sive incorporea *simplex est,* i. e. non habet dimensiones quantitativas seu non componitur ex partibus integralibus naturaliter in spatio extensis, sicut materia. — Attamen id non sufficit; etiam animae brutorum a multis simplices esse dicuntur, non tamen spirituales sunt.

b) Substantia spiritualis etiam *a materia independens* sit oportet in essendo et operando. In *essendo* sit independens; potest quidem naturalem destinationem ad unionem cum materia habere, sed postulatur, ne pendeat a sustentatione materiae, ut aliter esse non posset. Quod enim ita in essendo a corpore pendet, ordini materiali adnumeratur ideoque spirituale non dicitur. Cum independentia in essendo necessario independentia in *operando* coniuncta est. Quale enim est esse sive essentia rei, talis est eius operatio, quia operatio ex esse fluit ideoque ei similis est. Itaque substantia spiritualis in operatione sua rationali, quae ei ab omnibus ut propria attribuitur, a materia non pendet.

Sed notandum est, tantum dependentiam in operando *internam* excludi seu dependentiam a concausa, non vero externam, a condicione; in actibus enim intellectus anima revera a cerebro tamquam a condicione pendet, quod eius spiritualitati non obstat. Neque etiam postulatur, ut substantia spiritualis in omnibus actionibus a materia intrinsecus independens sit, sed tantum, ut *aliquam* operationem, nempe rationalem, sibi maxime propriam, per se solam exerceat. Seu aliis verbis, necessarium quidem est, substantiam

spiritualem actiones spirituales solam exercere, sed nihil obstat, quominus praeter spirituales etiam alias exerceat, quae simul a corpore procedant, si forte corpore unita est. Anima revera tantum actus intellectus et voluntatis sola sine corpore ut concausa elicit; in activitate vero sensitiva et vegetativa a corpore intrinsecus pendet, cum utraque vita simul a corpore et anima in unam naturam coniunctis procedat.

Anima igitur bruti, quae in essendo et operando a corpore pendet, comparari potest cum flamma, quae neque esse neque lucere et calefacere potest independenter a cereo, in quo accensa est, anima vero humana cum luce solis in crystallum translucidum incidente, quae *in* crystallo quidem est, attamen ita independenter ab eo exsistit et lucet, ut etiam eo subtracto esse et operari queat.

c) Porro spiritui etiam tamquam maxime proprium tribuitur, ut *vita rationali,* intellectu et voluntate, praeditus sit. Quae tamen nota in definitione allata implicite continetur, quatenus spiritui operationem a materia independentem asserit, quae alia esse nequit nisi rationalis.

Anima verus quidem spiritus, at non spiritus purus, sed 582
spiritus corpori unitus est. Ut id exprimatur, potius *substantia spiritualis* vocari solet, etsi etiam et merito spiritus nominatur.

Itaque invicem correspondent substantia spiritualis, potentia spiritualis, actio spiritualis. Unaquaeque per oppositionem ad materiam exprimitur. Substantia spiritualis ea est, quae non est materia extensa (sed simplex) neque a materia pendet. Potentia spiritualis illa dicitur, quae non est facultas materiae, sed substantiae immaterialis. Actio denique spiritualis illa est, quae non est actio materiae, sed solius substantiae immaterialis.

2. Spiritualitatem animae inter antiquos praecipue Plato 583
et Aristoteles (de quo cf. n. 18), aetate autem christiana Patres et scholastici communiter defendunt. *Adversantur* autem imprimis materialistae; de quibus iam antea diximus (nn. 82 182). Sed praeterea permulti alii saltem ea ra-

tione contradicunt, quod negant posse esse vitam psychicam, quae a corpore nervisque ita independens sit, ut extra corpus exerceri queat, „quoniam nulla experientia talem vitam psychicam ostendat".

584 Cum spiritualitatem animae defendimus, longe absumus a statuendo *spiritualismo immoderato*, tum illo Platonis et Cartesii, qui nimiam separationem inter animam rationalem et corpus in homine inducunt, tum etiam longius a spiritualismo illorum, qui contendunt, naturam omnium rerum esse spiritualem, ut Berkeley, Lotze, Schopenhauer, Wundt, Hartmann, Ward, Vacherot, Lachelier, Fouillée aliique multi, maxime qui pantheismo addicti sunt; qui supponunt, corporeitatem mundi non esse realem, sed tantum apparentiam sensibilem entium spiritualium sive entis absoluti spiritualis.

585 **Demonst.** *1. Arg. Activitas, quam anima per intellectum* exercet, spiritualis est, i. e. non producitur, nec solum nec etiam, a materia sive substantia extensa, sed a sola anima essentialiter diversa. Ergo haec anima, principium horum actuum, a) non est substantia extensa, sed simplex; b) neque pendet in hac activitate a materia ut concausa sive intrinsecus, quia scilicet materia non simul actum producit; sin autem anima in hac operatione a materia independens est, etiam in essendo independens est, quia operatio non potest esse perfectior quam essentia animae. Ergo anima humana substantia spiritualis est.

Demonst. ant. (cf. n. 185 ss.) 1) In activitate intellectus apparet magna *spontaneitas* in hoc sita, quod intellectus obiecta non simpliciter ita repraesentat, sicut iis determinatur, tantum quasi passive et cum plena dependentia huic determinationi respondendo, sicut in sensationibus observamus, sed quod cum independentia et propria activitate extra et ultra determinationem in cognoscendo progreditur: abstractionem exercet, ex apprehensionibus ad iudicia, ratiocinia et scientias, ex accidentibus et effectibus ad causas, ex praesentibus sensu oblatis ad praeterita et futura et ultra fines loci et temporis progreditur et internum mundum intellectualem sibi efformat in eoque meditando immoratur. *Atqui* actus tali spontaneitate praediti non possunt a principio materiali produci. Id elucet ex organis sensitivis corporalibus, in quorum actibus numquam talis

spontaneitas inest, et ex eo, quod omne principium materiale passivitati et inertiae subiectum i. e. plene ab externa determinatione dependens esse conspicitur.

2) Actibus intellectus *immaterialia* cognoscimus et qui- 586
dem ita, ut continuo et facile in ordine veritatis spiritualis, religiosi, moralis versemur et omnes ideae nostrae universalissimae ac principales, ut esse, posse, necessitas, substantia, ratio et similes ab omni materialitate denudatae sint. *Atqui* cognitiones immaterialium a principio materiali procedere non possunt. Quod primum iterum ex organis materialibus sensitivis elucet, quae numquam talium cognitionum capacia sunt, et praeterea ex eo, quod principio materiali proprium esse nequit, ut sic perpetuo in activitate suum ordinem superet longeque excedat.

3) Anima per cognitionem intellectualem *omne ens* cognoscere potest. Atqui cognitio tam nobilis et ampla a principio materiali procedere nequit, quia inter huius exiguam perfectionem et obiectum tam nobile proportio non esset.

2. Arg. Activitas, quam anima per voluntatem exercet, 587
spiritualis est seu non producitur a substantia materiali vel extenso. Ergo anima, principium horum actuum, a) ipsa non est substantia extensa, sed simplex; b) neque pendet in hac activitate a materia ut concausa, proinde etiam in esse suo a materia independens est.

Demonst. ant. (cf. n. 359). 1) Anima per voluntatem etiam *supersensibilia* ac spiritualia appetit et vi insuperabili in haec obiecta fertur, in Deum, aeternitatem, virtutem, veritatem et alia. Immo saepe omnia bona sensibilia maximeque delectabilia spernit iisque spiritualia praefert. Atqui talis tendentia nequit esse propria principio materiali, quippe quod nequit magna vi in illa bona tamquam sua, sibi convenientia, ad se pertinentia ferri, quae ei minime consanguinea sunt; multo minus bona sui ordinis spernere potest, ut ea praeferat, quae ab eo aliena sunt.[1])

---

[1]) „Animus noster", inquit Suarez, „spiritualibus rebus maxime delectatur et quasi pascitur et nutritur. Ergo signum est, animum spiritualem esse; nam unumquodque vivens cibis similibus et proportiona-

Haec ratio confirmatur communi *iudicio de hominis perfectione.* Homo certe eo perfectior habetur, quo magis voluntas eius in bona supersensibilia et spiritualia dirigitur et in materialia eatenus, quatenus sunt media ad illa; eo autem vilior existimatur, quo magis voluntas in bona sensibilia conversa est in iisque quiescit. Haec est omnium bonorum persuasio, cui neque materialistae obloqui audebunt. Iam vero omne ens eo perfectius est, quo plura habet bona suae naturae convenientia. Cum igitur homo praeter sensibilia etiam supersensibilia et spiritualia appetat et acquirat eoque perfectior esse censeatur, quo plura bona supersensibilia acquirit et quo magis sensibilia in supersensibilia dirigit, praeter partem sensibilem etiam supersensibilem habeat oportet, animam videlicet spiritualem, cui pars sensibilis inservire debet.

2) Principium materiale, quod vel materia est vel a materia pendet, subest legi inertiae et necessitatis omni enti materiali propriae; ideo solum agit, quando impellitur, et in tantum agit, in quantum impellitur. Atqui anima spectata voluntate non subest huic legi, sed *libera* est: potest resistere omnibus bonis finitis, potest ex multis reicere, quod fortius allicit, et praeferre, quod minus trahit, potest singulis momentis ab actu cessare. Ergo anima neque est materia extensa neque corpus socium in producendis actibus voluntatis habet ideoque spiritualis est.

588 *3. Arg.* Anima per separationem a corpore perire nequit, sed *immortalis* est, i. e. separata a corpore exsistere et operationes suas intellectuales exercere perget; quod infra demonstrabitur. Atqui anima, quae sine corpore exsistit et operari potest, spiritualis est. Ergo anima substantia spiritualis est.[1])

4. Arg. Multas sensationes percipimus per partes corporis extensas esse atque etiam in diversis partibus corporis inter se distantibus in-

---

tis maxime gaudet." De anima l. 1 c. 9. n. 18. Quae argumentatio Platoni et aliis spiritualitatis defensoribus semper familiaris fuit.

[1]) Spiritualitatem animae ex eius immortalitate inferre licet, quatenus haec non iterum ex spiritualitate, sed per alias rationes demonstratur, quae infra exponentur

esse, nihilominus omnes et singulas in eodem subiecto, ego, percipimus. Atqui has ita percipere non possemus, nisi anima, quae in hoc ego includitur, simplex esset. Si enim ex partibus componeretur et per corpus extenderetur, nihil adesset, quod stricte idem in omnibus illis actibus eorumque partibus subesset (cf. n. 87). — Sed hoc argumentum tantum simplicitatem, qualem etiam animae brutorum perfectiorum habere videntur, non vero plenam spiritualitatem demonstrat.

Nota. Simplicitas, quam argumenta pro spiritualitate allata demonstrant, opponitur extensioni materiae et excludit compositionem ex partibus integralibus seu quantitativis. Duplex enim compositio distinguitur: compositio ex partibus essentialibus, quae constituunt essentiam, velut corpus et anima in homine, et compositio ex partibus integralibus, quae eiusdem rationis cum toto sunt tantumque faciunt, ut substantia sit extensa. 589

Antiqua schola franciscana cum s. Bonaventura et Scoto docuit, provocans ad Augustinum, qui etiam nonnumquam hoc modo loquitur, animam non quidem ex partibus integralibus, attamen ex duabus essentialibus compositam esse, ex una parte determinabili seu „materia" quadam spirituali et ex altera parte determinante seu „forma". — Sed a) nulla solida ratio pro hac sententia adest, quare merito neglegitur. b) Anima est ipsa iam forma (corporis), ideo certe non iterum ex materia et forma constat, nisi compositiones formarum in infinitum statuere velimus. c) Ex s. 16. haec sententia etiam a schola franciscana relicta est.

Obiectiones. 1. Actus intellectus a cerebro pendent. Ergo non sunt spirituales ideoque ex iis animae spiritualitas inferri nequit. — *Resp.* D. ant. pendent intrinsecus N. extrinsecus C. Cf. de his n. 200. 590

2. Spiritum concipere non possumus, ergo neque affirmare possumus. Nam conceptus spiritus pure negativus est. Immaterialitas enim, simplicitas sive compositionis negatio, independentia a materia tantum negationes sunt, quae aliquid denegant, nihil autem tribuunt. — *Resp.* D. conceptus spiritus negativus est secundum id, quod concipitur N. secundum modum, quo concipitur Sd. spectata notione generica („ens, substantia") N. spectata differentia Sd. quatenus dicitur simplex, independens C. quatenus simul concipi potest praedita vita rationali N.

3. Spiritus etiam propterea a nobis concipi nequit, quia notiones substantia vel ens et similes materiam exprimunt. Ita interdum opponitur. — *Resp.* N. ad rat. N. Absurdum est confundere ens et substantiam cum materia. Habemus reapse conceptum spiritus, loquimur enim de eo, attamen non intuitivum et proprium, sed analogum et imperfectum, qui nobis obscuritates in concipiendis proprietatibus spiritus relinquit. Sed etiam conceptus corporis intricatas affert difficultates, neque ulla est vis sive eventus naturae, qui diligentius inquirenti non appareat obscuritate offusus.

4. Substantia, quae complures actus habet, est composita; ergo etiam anima (Wundt). — *Resp.* D. ant. si actus instar partium substantialium constituerent animam C. si tantum ut accidentia ei insunt N. vel Sd. substantia est composita in se ipsa N. actus ei inhaerentes inter se compositionem faciunt C.

5. Anima in essendo et operando a corpore pendet. Non enim exsistit, antequam corpori infunditur, neque quidquam independenter a corpore operatur. — *Resp.* D. 1. p. pendet in essendo a corpore ut a causa materiali sive sustentante N. ut a condicione et quidem initio, quatenus Deus eam non vult creare nisi in corpore C. — D. 2. p. pendet in operatione sensitiva et vegetativa et quidem intrinsecus C. in intellectuali Sd. intrinsecus N. extrinsecus C.

6. Anima sana est in sano corpore, aegrotat cum aegroto, cum senescente senescit. Atqui talis anima spiritualis non est. — *Resp.* D. mai. spectata substantia ita mutatur N. spectatis operationibus suis, quae deficiente corpore deficiunt Sd. spectatis operationibus vegetativis et sensitivis, quae intrinsecus pendent a corporis cooperatione C. spectatis rationalibus Sd. quatenus a corpore intrinsecus pendeant N. extrinsecus C.

7. Quod experientiae contradicit, admittendum non est. Atqui vita psychica, quae non cerebro et nervis causaliter alligata sit, sed ex se sine corpore exerceri possit, experientiae contradicit; etenim numquam talis in experientia apparet. — *Resp.* C. mai. N. min. Ad rat. i. e. experientia ostendit, talem vitam psychicam non esse, ergo eius admissio experientiae contradicit N. experientia non ostendit talem vitam Sd. haec vita non immediate ut talis percipitur C. non mediate ex experientia (interna) concludi potest N.

Art. 2. **De unione animae cum corpore**

§ 1. Vera sententia

591 Apud omnes constat, animam corpori unitam esse et hac unione hominem oriri. Iam modus huius unionis accuratius describendus est.

Haec quaestio, una ex principalioribus, a philosophis semper studiose disputata est, sed vario cum effectu. *Plato* tantum unionem accidentalem novit, animam rationalem affirmans in corpore tamquam carcere habitare corpusque regere, sicut nauta regat navim; ita vero hominem in duas partes scindit. Auctoritas Platonis multos, antiquo praesertim tempore, ad idem fere sentiendum attraxit. *Aristoteles* autem et philosophi *scholastici,* suffragante etiam doctrina fidei, unionem substantialem docent asserentes, animam et corpus essentialiter ad unam naturam uniri seu animam esse formam corporis. Sed Aristoteles tantum animam vegetativo-sensitivam corporis formam esse docet, non vero intellectualem; et quatenus insuper huius cum illa identitatem realem vel negat vel dubiam relinquit, unitatem

humanae naturae in periculum adducit (cf. n. 18). Philosophia recens eandem quaestionem iterum examini subiecit. Praeivit *Cartesius,* qui in exaggeratum dualismum recidit docens, animam et corpus solum mutuo influxu coniuncta esse. Sed quia huic opinioni aliae eius sententiae repugnabant, Cartesiani postmodum ad alias opiniones deflectebant, Malebranche ad occasionalismum, Spinoza ad parallelismum.

Psychologi *hodierni* a materialismo, aperto saltem, abstinentes discrimen inter partem physicam et psychicam admittunt, sed in eius unione declaranda in duas potissimum opposítas sententias discedunt. Multa parallelismo psychophysico adhaerentes inter corpus et animam, quam substantialem esse negant tantumque complexum actuum intellegunt, nihil nisi actionum parallelismum admittunt. Alii unionem in actione mutua collocant, quatenus corpus animam ad sentiendum determinet, anima vero corpus moveat et regat; quae sententia maiorem speciem veri habet, ut serio tantum inter hanc et doctrinam peripateticam electio fieri possit.

Primum igitur veram doctrinam proponemus, deinde in luce veritatis de falsis sententiis iudicium feremus.

Th. 33. **Anima cum corpore unitur ad unam substantiam sive naturam.**

Declar. Corpus et animam ad unam substantiam uniri 592
significat, animam et corpus unione entitativa ad unum novum esse substantiale coalescere, quod novas qualitates et vires a viribus singularum partium diversas habet, nempe ad hominem, seu, aliis verbis, animam et corpus tamquam *substantias incompletas* ad unam novam substantiam completam uniri.

Ut notiones huc spectantes declaremus, nota imprimis est divisio substantiae in completam et incompletam. Substantia completa, e. g. arbor, non ordinatur ex natura sua ad compositionem cum alia substantia, sed in perfectione specifica completa est. Substantia incompleta vero seu pars substantialis ex natura sua ordinatur ad unionem cum alia

substantia pariter incompleta, ut cum ea ad unam per se substantiam seu naturam completam coalescat; tales sunt rami arboris. Unum autem per se illud est, quod est stricte seu simpliciter unum, non plura entia. Si igitur unum per se compositum est, ex talibus partibus coalescit, quae non unione accidentali, sed essentiali uniuntur, quatenus ex natura sua ad unionem ordinantur, quia ex se incompletae sunt, unione invicem in essendo et consequenter in operando complentes. Porro substantia est idem ac natura; tantum haec distinctio observatur, quod natura dicitur substantia, quatenus est principium agendi certis viribus ad agendum instructum.

Iam igitur asserimus, animam, principium vitae, et corpus non tantum unione accidentali uniri, e. g. unione locali, quatenus anima tantum in corpore habitet, vel unione pure dynamica, quatenus anima et corpus solum in invicem agant, sicut duo manus conserentes. Talis unio certe non sufficit, ut ex corpore et anima una natura humana fiat; homo enim et cubiculum, in quo habitat, vel duo manus conserentes non fiunt propter talem unionem una natura. Sed animam et corpus ita uniri asserimus, ut tamquam partes ad unam substantiam completam unione interna vel entitativa coalescant et concrescant, ex utriusque unione oriatur non corpus *et* anima divisa, sed *indivisus homo*, unum novum esse substantiale. Haec nova substantia simul novum principium operandi est, quia subiectum novarum virium fit, quae neque corpori soli neque animae soli, sed composito humano insunt; et sub hoc respectu natura dicitur. Istae vires sunt vegetativae et sensitivae, non vero rationales, quippe quae in sola anima manent.

Formula, quae animam et corpus ad unam substantiam uniri asserit, tantum supremis lineis hanc unionem describere et a falsis sententiis discernere, non autem illam arcanam entis spiritualis cum materia coniunctionem et mirabile utriusque commercium clara luce illustrare intendit, quippe quod nobis semper obscurum manebit.

Demonst. 1. Anima et corpus ita uniuntur, ut fiant com- 593
mune *subiectum et principium earundem actionum* vitalium. Atqui quae sunt commune subiectum et principium earundem actionum vitalium, una substantia sive natura sunt. Nam non posset una eademque actio eaque vitalis a duabus partibus egredi, si non antea unum esse substantiale, sed duae substantiae divisae essent; duae substantiae divisae tantum sic agere possunt, ut divisim duplex actio ab iis egrediatur, velut si duo idem onus portant vel in eadem veste conficienda collaborant. Aliter: non possent duae partes esse subiectum eorundem accidentium, nempe actuum, nisi essent unum subiectum. Ergo anima et corpus uniuntur ad unam substantiam sive naturam.

Demonst. mai. a) *Sensationes* simul ab anima et corpore tamquam communi principio producuntur, ut Th. 1 demonstratum est.

b) *Operationes vegetativae* pariter simul a corpore et anima ut communi principio producuntur. A corpore producuntur, quia actiones corporales, nempe motus et processus chemicales et physicales sunt. Attamen quia simul essentialiter aliae et sublimiores sunt quam reliquae actiones corporales, iam in planta multoque magis in homine praeterea aliud principium essentialiter altius postulant, animam.

2. Teste clara experientia *ego* nostrum est una per se substantia sive natura. Nam id, quod ut ego experimur, tamquam stricte unum, non ut duo divisa experimur. Atqui ego complete spectatum componitur ex corpore et anima ut partibus. Ergo corpus et anima componuntur ad unam substantiam sive naturam.

Demonst. min. Sicut dicimus et percipimus ‚ego intellego, volo', ita etiam ‚ego dolorem sentio in capite, fatigor pedibus, moveor brachiis'. Priores actiones in sola anima, aliae etiam in corpore sunt. Cum igitur utrumque genus in ego ut subiecto inesse percipiamus, clarum est, ego tum corpus tum animam complecti.

Idem confirmatur diverso modo loquendi, quando agitur de rebus nobiscum quidem aliquo modo, sed non ad unam substantiam coniunctis, e. g. de vestibus; dicimus quidem ‚ego sum parvus', si corpus parvum est, at minime, si tan-

tum vestis parva est. Ergo quae ad substantiam nostram non pertinent, minime ad ego nostrum spectare sentimus; si igitur corpus et animam ad nostrum ego spectare percipimus, sequitur, ea vere ut partes ad unam naturam coniungi.

594 3. Denique, ut eadem gravis veritas novo modo demonstretur et illustretur, hoc argumentum adiungimus. Si anima et corpus non ad unam substantiam uniuntur, non potest alia unio inveniri nisi haec, ut mutuo *influxu activo* uniri dicantur, quatenus excitationes sensoriae vel operationes vegetativae corporis in animam agant et vicissim anima eiusque actus psychici in corpus agant determinando vel producendo in eo motus, actiones cordis, processus nerveos et vegetativos. *Atqui* unio animae et corporis non potest in tali influxu activo consistere. Ergo consistit in unione ad unam substantiam. — Minor ita demonstratur:

a) *Unio in influxu activo consistere nequit.* Si anima et corpus tantum actione mutua inter se agunt, ut pueri manus conserentes, non propterea unum per se, unum ego evadunt, sed duae substantiae divisae manent. Praeterea influxus talis constans iam supponit unionem, quae proinde alia esse nequit nisi substantialis. Etenim si nondum supponitur unio vere substantialis, non apparet, cur anima nexu tam constanti corpori alligetur, ut iste perpetuus influxus locum habeat, non autem anima e corpore egredi vel ab agendo in corpus desistere possit, sicut homo e cubiculo egredi vel a movendo alio desistere potest. Neque apparet, cur anima non simili modo in corpus alterius hominis agere queat; nam corpus alterius corpori proprio omnino simile est neque anima corpori proprio magis realiter unita esset quam alieno.

b) *Influxus ille in se spectatus admitti nequit.* Ut spiritus in corpus agat, ex se possibile est; Deus perpetuo in mundum agit. Sed materiam naturaliter et ordinarie in spiritum agere concedi nequit.[1]) Nam spiritus subtilior esse videtur, quam ut corpore attingi, affici, attrectari queat. Seu, aliis verbis, quod corpus in spiritu produceret, accidens materiale esset, proinde conaturaliter a spiritu recipi non posset. — Ceterum quidquid de hac mutua actione abstracte spectata dicendum est, certe in homine admitti nequit, quamdiu unus indivisus concipitur, ut oportet. Quae enim transeunter inter se agunt, divisa sunt. Anima et corpus non possunt concipi inter se transeunter agere, nisi ex unione sua egrediantur et tamquam duo divisa ad invicem se convertant.

[1]) Absoluta impossibilitas affirmari non potest. Ex verbo Dei revelato concludendum est, in inferno et purgatorio spiritus puros et animas a corpore separatas igne materiali torqueri. Sed theologi in eo explicando multum laborant et plerumque asserunt, id per extraordinariam virtutem Dei effici.

Sin autem anima et corpus ad unam substantiam uniuntur, bene intellegitur mutuus utriusque influxus, qui non 595
iam activus, sed *substantivus* est. I. e. quia corpus et anima in unam substantiam confluunt et se invicem pervadunt, necessario, si una pars afficitur, etiam altera afficitur et una in altera correspondentes actiones determinat: excitationes sensoriae in corpore receptae eo ipso, quod corpus cum anima substantialiter unitum est, etiam animam afficiunt et ad sentiendum determinant, operationes vegetativae pariter in corpore animae unito stantes etiam animam eiusque operationes psychicas afficiunt, vicissim actus psychici mutationes respondentes cerebri, cordis, respirationis excitant, imperium voluntatis motus in corpore determinat.

Ergo ex anima et corpore una persona oritur. Nam sub- 596
stantia humana persona est. Persona enim est hypostasis rationalis. Iam vero natura humana est rationalis et est hypostasis seu substantia singularis, completa, tota in se. (Una excipitur natura humana Christi, quae, utpote Verbo communicata, hypostasis non est.)

Quia igitur hypostasis vel persona *ultimum subiectum et principium* est, quod habet esse et operari, idcirco homini tamquam ultimo subiecto tribuuntur non solum anima et corpus, sed etiam omnes actiones, qualitates, modi se habendi tum spirituales tum organici tum mere corporales. Itaque (philosophice loquendo) melius homo quam anima

dicitur habere cogitationem, dolorem, gratiam, melius homo quam corpus dicitur aegrotare, habere parvam staturam, vestem, rectius homo quam intellectus et manus intellegere et scribere dicuntur.

Th. 34. **Anima rationalis est forma substantialis corporis.**

597 **Declar.** Quod thesis enuntiat, nihil aliud est nisi doctrina thesi praecedente proposita, sed in distinctam formulam redacta, quae in philosphia peripatetica, immo etiam in doctrina fidei de homine sollemnis est. Formula ex systemate peripatetico de constitutione corporum in cosmologia exposito desumpta est.

Forma substantialis dicitur substantia incompleta, quae materiam determinat in esse substantiali specifico, seu aliter: est pars substantialis cum materia ad unam substantiam completam ita coalescens, ut ipsa sit pars determinans seu actus, materia vero pars determinabilis seu potentia recipiens. Sicut marmor per formam, quam accipit, determinatur, ut sit haec statua, ita forma substantialis materiam determinat, ut oriatur substantia completa certae speciei. Itaque thesis affirmat, etiam animam esse eiusmodi substantiam incompletam, quae cum corpore unione entitativa sic ad substantiam completam, hominem, coalescat, ut sit radix eius specificae perfectionis, nempe vitae humanae.

598 *Vires* igitur vegetativae et sensitivae toti substantiae completae communes sunt.[1]) „Quaedam operationes sunt animae, quae exercentur sine organo corporali, ut intellegere et velle. Unde potentiae, quae sunt harum operationum principia, sunt in anima sicut in subiecto. Quaedam vero operationes sunt animae, quae exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem; et simile est de omnibus aliis operationibus nutritivae et sensitivae partis. Et ideo potentiae, quae sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto et non

[1]) Vires sive potentiae a scholasticis plerumque ut accidentia a substantia sua realiter distincta concipiuntur. Cf. n. 78.

in anima sola."[1]) *Radix* autem earum anima est, quia materiam ex se vitae imparem ad vitam habendam complet et elevat. Ideo non solum spirituales, sed etiam organicae potentiae speciatim *ex anima emanare* dicuntur. Potentiae enim proprietates substantiae sunt. Proprietates autem ex substantia emanant. Quia igitur anima illa pars substantiae est, quae vitam tribuit, etiam potentiae organicae speciatim ex anima emanare dicuntur. Sic, etsi in composito inhaerent, nihilominus saepe simpliciter *potentiae animae* esse dicuntur, quia anima earum peculiare principium emanativum est. „Omnes potentiae dicuntur esse animae, non sicut subiecti, sed sicut principii, quia per animam coniunctum [i. e. totum compositum] habet, quod tales operationes operari possit." „Omnes huiusmodi potentiae per prius sunt in anima quam in coniuncto, non sicut in subiecto, sed sicut in principio."[2]) Sed quia vires organicae totum compositum ut subiectum postulant, ex anima non emanant, nisi quando corpori unita est; separata eas non formaliter, sed tantum radicaliter retinet, quatenus exigentiam habet, ut, si quando corpori unitur, eas actu possideat corporique communicet. „Destructo subiecto non potest accidens remanere. Unde corrupto coniuncto non manent huiusmodi potentiae actu, sed virtute tantum manent in anima sicut in principio vel radice."[3])

Non supponimus hoc loco determinatam doctrinam de *corpore,* cui anima ut forma vivificans accedit; de qua re infra separatim quaedam dicemus. Ergo, quod thesim ipsam attinet, nihil interest, sive quis corpus secundum placita atomismi cuiusdam moderati declarat (dummodo unionem internam atomorum cum anima admittat) sive secundum systema peripateticum materiam primam defendit. Veritas enim thesi statuta debet esse communis omnibus, quamcumque sen-

[1]) 1 q. 77 a. 5. Non pauci scholastici cum Suarez docent, potentias organicas in materia sola ut subiecto inesse, attamen sic, ut ab anima corpori communicentur et anima simul cum corpore agat. Sed haec sententia ob complures rationes admodum difficilis est ad intellegendum. Cf. *Suarez,* De anima II 3 n. 3; *Urráburu,* Cosmol. 1125. — [2]) Ib. ad 1 et 2. — [3]) 1 q. 77 a. 8.

tentiam de constitutione corporum profitentur, neque, utpote omnino certa, dependens facienda est a sententiis cosmologicis minus certis.

599 **Demonst.** Forma substantialis est substantia incompleta, quae cum materia ita entitative unitur, ut eam determinando compleat in esse substantiali. Atqui talis est anima humana rationalis respectu corporis. Nam cum corpore unitur ad unam substantiam, quod thesi praecedenti demonstratum est; proinde est substantia incompleta entitative cum materia unita, cum ea hominem constituens. Et quidem sic cum corpore hominem constituit, ut sit pars determinans, quia est radix vitae humanae, vitam organicam communicans cum corpore, rationalem per se solam in corpore exercens. Ergo anima rationalis est forma substantialis corporis.

Itaque anima ex natura sua ad unionem cum corpore ordinatur. Nam est substantia incompleta et pars substantialis in radice continens vires organicas, quas actu habere et exercere non potest sine corpore.

600 **Obiectiones.** 1. Inter potentiam et actum proportio necessaria est. Atqui inter corpus et animam spiritualem nulla est proportio. — *Resp.* C. mai. et N. min. Vel D. mai. necessaria est proportio aequalitatis in entitate N. proportio habitudinis mutuae C.

2. Ex anima et corpore unum esse fieret. Atqui id impossibile est. — *Resp.* D. mai. unum esse compositum per unionem utriusque sine *divisione* C. per identitatem utriusque sine *distinctione* partium N.

3. Posita tali unione anima participaret esse materiale et materia esse spirituale. Atqui id fieri nequit. — *Resp.* D. mai. participaret per identitatem N. per unionem C. Cd. min.

4. Cuius totum esse communicatur corpori, eius etiam omnis virtus communicatur. Atqui totum esse animae communicatur corpori. Ergo etiam opus esset, ut tota virtus, rationalis quoque, corpori communicaretur. — *Resp.* D. mai. si totum esse communicatur corpori simulque a corpore pendet C. si unitur quidem, attamen non pendet N. Si anima exsistere non posset sine corpore, nec quidquam sine eo operari posset; contra, si non ita in exsistendo pendet.

5. Anima non communicat cum corpore rationalitatem. Ergo saltem anima ut rationalis non est forma corporis. — *Resp.* C. ant. D. cons. non est ita forma, ut tamquam rationalis cum corpore hominem rationalem constituat, homini tribuens rationalitatem N. non ita, ut corpus rationale faciat, ipsi tribuens rationalitatem C. Unione fit, ut oriatur homo habens rationalitatem; ad hoc non requiritur, ut etiam corpus

eam habeat. Ceterum notandum est, animam in hac vita etiam ad rationalitatem exercendam exigere sensationes et unionem cum corpore et proinde rationalitatem hac unione perfici.

6. Secundum hypothesim atomicam etiam in organismo vivo moleculae et atomi divisae manent. Ergo ex unione animae et corporis non oritur una per se substantia, sed tantum aggregatum molecularum, unum per accidens. — *Resp.* D. ant. ita tamen, ut moleculae cum eadem anima entitative unitae sint et sic ad unum per se coniungantur C. aliter N. 601

7. Elementa et composita chemica, quibus anima vivificans advenire dicitur, sunt substantiae completae certae speciei chemicae, e. g. oxygenium, certae species sacchari, adipis, albuminii. Ergo non sunt substantiae incompletae cum alia parte ad unam substantiam unitae. — *Resp.* D. ant. sunt substantiae completae, si spectantur iam cum anima unitae et per eam intrinsecus vivificatae N. (sed iam dicendae sunt partes integrantes hominis, elevatae ad altiorem speciem); si seorsum ab anima spectantur Sd. sunt completae secundum quid, in suo ordine seu usque ad certum gradum perfectionis corporalis, ita tamen ut ulterius compleri possint usque ad gradum naturae viventis C. sunt completae absolute, ut ulterius compleri nequeant N. Similes fere sunt simplici delineationi; etiam simplex delineatio rosarum imago completa earum vocari potest, sed secundum quid, quia ulterius compleri potest superveniente coloratione.[1])

8. Unio cum corpore nequit esse *naturalis* animae, quia animam in activitate rationali impedit. — *Resp.* N. ant. Haec res uberius explicatur infra, De immortalitate animae.

***De constitutione corporis humani.** In thesibus modo expositis tantum relationem animae ut vitae principii ad corpus vivificandum definivimus, abstractionem facientes ab ulteriore quaestione de constitutione *corporis*, quod per animam vivificatur. Nam haec quaestio potius cosmologica quam psychologica est et veritas certa omnibusque catholicis cum quaestione minus certa et controversa miscenda non videtur. 602*

Ut autem de hac quaestione, quae dicenda sint, breviter proponamus[2]), imprimis tenenda videtur *hypothesis atomica*, utpote plurimis factis physicis et chemicis probata et a peritis communiter recepta, quae asserit, omne corpus ideoque etiam humanum ex moleculis et atomis (et subatomis)

---

[1]) Ceterum si quis asserit, animam esse unicam formam corporis immediate materiam primam informantem, dicere debet, animam non accedere ad chemica elementa et compositiones, sed eas intrinsecus constituere iis etiam proprietates chemicas dando. — [2]) Confer *Cosmologiam*, De constitutione corporum.

divisis compositum esse. Quod ulterius internam atomorum et molecularum constitutionem attinet, complures sententiae spectandae sunt.

*603 I. **Atomismus philosophicus** (moderatus), quod hominem attinet, affirmat, subatomos non ulterius ex materia prima et forma compositas esse, informari autem per animam (et quidem vel sine mediis et subordinatis formis materialibus vel ita, ut primum subatomi ad varias atomos et moleculas, ad oxygenium, nitrogenium, adipem, saccharum, albuminium formis materialibus determinentur et tunc demum per animam ulterius ad corpus vivum compleantur).

*604 II. **Sententia peripatetica** docet, omnia corpora ex materia prima et forma substantiali composita esse. Quae doctrina, quod viventia attinet, iterum duplici modo defendi potest.

1) Asseri potest, atomis (subatomis) materiam primam ita inesse, ut non una tantum, sed compluribus formis invicem subordinatis informetur, quatenus primum per formas materiales ad diversas atomos et compositiones chemicas usque perfectiores determinetur, tunc demum ulterius per supervenientem animam informetur vitaque donetur. Huc etiam vetus sententia scotistica referenda est, quae in corporibus viventibus duplicem formam admittit, unam subordinatam sive „formam corporeitatis", quae conferat materiae primae illam perfectionem *corporalem,* quae ad animam recipiendam supponatur, i. e. fere illam perfectionem, quae in corpore statim post egressum animae remanet, et praeterea formam alteram, animam, quae corpori *vitam* tribuat. Eandem sententiam, multitudinem formarum statuens, quae ante Thomam fere communis fuit, posteriore tempore et nunc permulti defendunt.

2) S. Thomas autem, schola thomistica, Suarez et magna pars scholasticorum in quolibet corpore sive anorganico sive vivente unam tantum formam admittit, a qua materiae primae tota specificatio adveniat. Secundum hanc sententiam in homine non prius per alias formas materia prima hic ad nervum, ibi ad os, carnem, pedem, caput determinatur et tunc demum per animam haec omnia vitam ac-

cipiunt, sed per unam animam rationalem hoc totum tribuitur, tum ut materia prima evadat tale *corpus,* tum ut fiat corpus *vivens.* Anima hoc ideo dicitur praestare posse, quod perfectionem formarum inferiorum in se contineat.

Sententia complures formas admittens probabilior est. Nam 605*
opinio opposita una ex parte parum demonstratur, altera ex parte magnas patitur difficultates.

1. *Sententia opposita parum demonstratur.* Rationes omnes non ex experientia haustae, sed a priori ex notionibus derivatae sunt.

Praecipua ratio haec est: „Si qua daretur eiusmodi forma corporeitatis, anima superveniens nullatenus posset esse forma substantialis, sed esset accidentalis." Nam „quidquid supervenit substantiae in actu completo constitutae, substantiale non est, sed accidentale. Atqui per scotistarum formam corporeitatis constituitur substantia reapse in actu completo."[1]) Idem fere haec dicunt: „Forma substantialis dat esse simpliciter . . Si igitur praeexsisteret quaecumque alia forma substantialis in materia . ., sequeretur, quod anima non daret esse simpliciter." 1 q. 76 a. 4. „Forma substantialis in hoc differt ab accidentali, quia forma substantialis facit esse hoc aliquid simpliciter; forma autem accidentalis advenit ei, quod iam est hoc aliquid, et facit ipsum esse quale vel quantum vel qualiter se habens. Si igitur plures formae substantiales sunt unius et eiusdem rei, aut prima earum facit hoc aliquid aut non. Si autem facit hoc aliquid, ergo omnes formae consequentes adveniunt ei, quod iam est hoc aliquid." Comp. theol. c. 90. — *Resp.* potest: N. ant. Ad rat. D. mai. quidquid supervenit substantiae absolute completae, ut ulterioris complementi et elevationis in altiorem ordinem incapax sit C. quod supervenit substantiae relative tantum seu in suo ordine completae, ulterioris autem completionis capaci N. Cd. min. constituitur in actu absolute completo ulterioris complementi incapaci N. complementi capaci C.

Idem etiam sic proponitur: „Non potest una et eadem substantia essentialiter et per se constitui in duabus speciebus ultimis, sed per quamcumque formam . . constituitur in propria et completa specie substantiae."[2]) — *Resp.* D. constituitur in completa specie, si forma est incapax recipiendae ulterioris formae ac perfectionis C. si est capax Sd. substantia constituitur per illam formam subordinatam in completa specie, quamdiu superiori formae substat N. (saccharum animae unitum non ita saccharum, quam potius pars hominis viventis dicendum est). Quamdiu sine ea est Sd. constituitur in specie completa in suo ordine C. in specie completa absolute, ut incapax sit ulterioris complementi N.

---

[1]) *Urráburu,* Psychol. I 109 s. — [2]) *Suarez,* Disp. met. d. 13 s. 3 n. 10.

*606 2. *Sententia opposita magnis difficultatibus premitur*, praecipue:

a) Si anima unica forma est, *in morte* loco animae egredientis, cum non remaneat pura materia prima, sed cadaver ex organis humanis compositum, necesse est subito novam formam in materiam primam ingredi, quam veteres formam cadavericam appellarunt, sive haec dicitur esse una sive potius collectio formarum diversis partibus cadaveris propriarum. Atqui praeterquam quod nullum signum talis eventus apparet, non potest causa sufficiens huius novae formae inveniri. Dicitur causa esse illa, quae mortem adducit. Sed causa mortis, velut ictus fulminis vel gladii, suffocatio, abscissio capitis, impeditio affluxus sanguinis in cerebrum ad illum effectum producendum, plerumque saltem, insufficiens est. E. g. gladius cor scindit itaque facit, ut subito functiones vitales cessent. Sed cessatio functionum non est productio novae formae, quae igitur novam causam postulat; gladius ferreus iam propterea talis causa esse nequit, quia certe non virtualiter in se omnes illas formas et qualitates physicas et chemicas cadaveris continet, quas producere debet. Minus etiam fieri potest, ut pura subtractio condicionis vitae, e. g. impeditio affluxus sanguinis, causa horum effectuum sit. (Nec responderi potest, immediatam causam formarum et qualitatum cadaveris esse qualitates internas morbidas, quas gladium, fulmen, morbus in organismum induxerit; per hos qualitates illas formas animae contrarias produci. Sed cum istae qualitates accidentia sint, non tam ipsae, quam potius anima, quae unica forma substantialis esse dicitur, per istas qualitates formas cadavericas produceret; repugnat autem animam formas sibi ipsi contrarias producere ac se ipsam expellere.)

Veteres hanc difficultatem agnoscentes, quam productio formae cadaveris parat, vel semper vel saltem in multis casibus ad concursum alicuius causae „universalis", scilicet ad influxum astrorum et concursum Dei confugiebant. „Saepe vix invenitur", docent, „causa particularis, quae possit formam cadaveris inducere, et ad universales interdum confugimus, quae illam efficiant ob rationem universalem, scilicet ne materia maneat sine forma."[1] „Causa principalis [formae cadaveris] est causa prima, cui incumbit materiam dispositam complere, quando deest causa secunda proportionata."[2] „Necesse est asserere, in morte viventis formam gigni cadavericam. Quodsi nulla reapse daretur causa naturalis eam producere valens, ad Deum, causam universalem, esset confugiendum, cuius est defectus secundarum causarum, ubi opus est, supplere."[3] — Sed tale responsum potius difficultatis gravitatem, quam solutionem indicat.

*607 b) Nunc, multo magis quam antiquitus, constat, generatim in composito chemico *elementa naturam specificam non amittere* et speciatim qualitates elementorum et compositorum chemicorum extrinsecus in organismum receptorum in eo absque magno discrimine manere. Ideo videmus, functiones diversarum particularum

[1]) *Suarez*, Disp. met. d. 14 s. 3 n. 21. — [2]) *Lossada*, Phys. tr. 1 d. 5 c. 1 n. 44. — [3]) *Urráburu*, Compend. IV 35.

corporis humani diversam esse secundum diversam chemicam compositionem et medicamentis diverse affici secundum diversam suam indolem chemicam. Neque sufficienter intellegitur, si ex nutrimento tantum eius materia prima, formis propriis abiectis, in organismum assumitur et anima ei omnem determinationem dat, cur tantum certa alimenta certo modo chemice composita nutriendo apta, alia vero inepta et nociva sint[1]), et pariter, si ex acceptis medicamentis iterum sola materia prima assumitur, cur tantum quaedam medicamenta salutifera, alia vero nociva vel mortifera sint.

c) Anima *corpori unitur iam praedito certis qualitatibus* certaque organisatione. Nam ex hac unione oriuntur individua praedita diversis qualitatibus sexus, rassae aliisque proprietatibus a parentibus hereditate acceptis, quae ab anima venire nequeunt, quippe quae in omnibus similis est.

d) Porro difficile est ad intellegendum, *animam spiritualem* non solum corpori vitam dare, sed etiam ipsum esse corporale ut tale constituere seu corpori sua realitate communicanda tribuere omnes illas determinationes et qualitates pure materiales, quas oxygenium, hydrogenium, aqua, ferrum aliaque elementa et composita in organismum recepta habent. Neque simpliciter supponi potest, omnem formam superiorem continere perfectionem formarum inferiorum ideoque superfluum esse praeter animam alias formas admittere. Anima humana certe non continet omnem perfectionem animae aquilae, leonis, rosae neque anima passeris perfectionem formae auri; ergo neque supponi potest, animam perfectionem formarum elementorum chemicorum habere.

e) *Historiam quaestionis* quod attinet, sententia complures formas in homine admittens ante Thomam omnibus scholasticis communis fuit, ut initio opposita doctrina vehementer impugnaretur. 608* Deinde autem auctoritate Angelici effectum est, ut eius opposita doctrina primum a suo ordine religioso reciperetur et a capitulo generali praescriberetur, deinde usque ad hodiernum tempus multos alios defensores nacta sit. Etiam Suarez permultum ad eam divulgandam contulit. Attamen antiqua sententia etiam post s. Thomam semper permansit et haud pauciores asseclas usque ad nostrum tempus habuit. „Doctores scholae augustinianae communi consensu unam vel plures formas substantiales praeter animam, formam vitae, admiserunt . . Neque in hac re scholam antiquam cedere novamque vincere videmus. Sententia veterum doctorum de pluribus formis substantialibus in homine etiam subsequente tempore extra scholas doctrinae s. Thomae stricte obligatas communior mansit."[2]) Saec. 18. de eadem sententia simile testimonium

[1]) *Suarez* et alii affirmant, omnes qualitates corporum inhaerere in sola materia prima ideoque etiam manere, si una forma abscedente altera sequatur. Hac ratione quidem difficultas modo indicata aliquatenus evitatur, attamen materia prima ita omnibus qualitatibus specificis instruitur, ut iam vix materia prima vocari possit. — [2]) *Card. Ehrle:* „Die Lehrer der augustinischen Schule waren einig in der An-

legimus: „Haec sententia apud recentiores est omnino communis, ut extra scholam thomisticam multo pauciores oppositam doceant."[1])

*609 **De definitione Concilii Viennensis.** Animam rationalem formam corporis humani esse, in definitione Concilii Viennensis (a. 1311) continetur. Definit enim: „quod, quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus." Similiter Conc. Later. V. docet, quod anima „vere per se et essentialiter humani corporis forma exsistat". De mente Concilii Viennensis aliqua controversia orta est. Alii, ut Palmieri, putarunt, Concilium voluisse tantum multiplicitatem animarum damnare, alii autem, ut Zigliara, arbitrati sunt, modum unionis animae cum corpore definitum esse, quem thomistae asserunt.

Apud omnes constat, Concilium voluisse errorem *Petri Joannis Olivi* O. F. M. († 1297 Narbone in Gallia) de natura compositi humani damnare. Proinde mens definitionis ex eius doctrina interpretanda est. Olivi autem docuit[2]), animam humanam componi ex materia spirituali et triplici parte eam informante, vegetativa, sensitiva, intellectiva, quae tres partes solum communi materia spirituali coniunctae sint. Haec tripartitio autem non est huic auctori propria, sed illo tempore etiam ab aliis defendebatur. At Olivi praeterea docet, tantum partem vegetativam et sensitivam corpus informare, intellectivam autem non esse formam corporis per se ratione sui, sed tantum mediante vegetativa et sensitiva, quacum per materiam spiritualem unita sit. Cum insuper affirmet, intellectivam partem vegetativam ac sensitivam tantum influxu activo instar motoris regere, ut fere Plato arbitratus est, nulla iam in eius doctrina unio entitativa animae intellectivae cum corpore remanet, sed tantum dynamica, atque unitas naturae humanae scinditur. Concilium igitur hunc errorem damnans verbis „anima intellectiva est forma corporis per se et essentialiter" duo docere intendit, animam per se ipsam, non per mediam alteram animam formam esse, praeterea per suam essentiam sive substantiam formam esse, non per actionem tantum uniri.

Simul perspicitur, a mente Concilii alienum fuisse aliquid definire de corpore ipso, quod informari dicitur: neque proinde definitum esse vel corpus ex materia prima constare vel hanc materiam primam immediate per animam informari multitudine formarum reiecta.

---

nahme von einer oder mehreren Wesensformen neben der einen geistigen Lebensform der Seele. Und im Gegensatz zu den andern bisher erwähnten Lehrmeinungen sehen wir in diesem Punkte die alte Schule nicht weichen und die neue nicht siegen. Der Satz der älteren Lehrer von der Mehrheit der Wesensformen im Menschen blieb auch in der Folgezeit außerhalb der in unbedingter Weise auf die Lehre des hl. Thomas verpflichteten Ordensschulen die allgemeinere." Archiv f. Literatur- und Kirchengeschichte d. Mittelalters V (1889) 635.

[1]) *A. Mayr,* Philos. peripat. (1739) IV d. 1 q. 1 a. 5. — [2]) Vide *B. Jansen,* Fr. Petrus Joannis Olivi O. F. M., Quaestiones in secundum librum sententiarum (1922—24); praesertim qq. 51 54 59.

Th. 35. Anima est in toto corpore et quidem ita, ut sit tota in qualibet parte.

Declar. Quia anima corpori entitative unita est, sponte 610
quaestio se offert, ubinam in corpore sedem habeat. Respondetur, id quod iam facile elucet, eam in omnibus corporis partibus esse et quidem in singulis totam, ut in toto corpore non plus animae sit quam in una parte. Non tamen propterea anima etiam in quavis corporis parte omnes suas vires habet et exercet. Potentiae enim organicae etiam in corpore sunt, sed, ut manifestum est, in illis tantum partibus, quae earum operationum capaces sunt, quae igitur ea indole et structura praeditae sunt, quam diversae operationes requirunt. Ita vis sentiendi generatim in nervis, vires digestivae et respiratoriae in diversis organis vegetativis insunt. „Anima," inquit Angelicus, „est tota in qualibet parte corporis secundum totalitatem perfectionis et essentiae, non autem secundum totalitatem virtutis."[1])

Porro affirmationem, qua animam spectata entitate in toto corpore esse dicimus, tantum ad *partes primarias* corporis referimus i. e. ad illas, quae ad unitatem substantiae corporis viventis pertinent, quales sunt nervi, musculi, ossa, venae, tendines, epithelium. Sed assertionem non ad secundarias partes referimus, quae vel vitam non habent, ut saliva, lacrimae, vel, si aliquam vitam habent, saltem non ad unitatem ipsius corporis viventis pertinent, licet, utpote corpori necessariae, ei coniunctae sint et ad integritatem eius spectent, velut sanguis. De partibus secundariis pauca in fine dicentur.

Inter physiologos et psychologos modernos opinio vulgaris est, sedem animae esse in *cerebro.* Solent enim tantum actus psychicos et determinationes motuum spontaneorum animae ascribere; immo plerumque simpliciter affirmant, animam nihil esse nisi complexum harum operationum. Actus autem psychicos et determinationes motuum spontaneorum existimant omnes in cerebro fieri.

Saec. 17. et postea etiam *punctum* illud cerebri invenire voluerunt, in quo anima resideat. Descartes asseruit, animam in epiphysi (Zirbel-

---

[1]) 1 q. 76 a. 8.

drüse) sedem, praecipuam saltem, habere. Lotze eam in corpore calloso (Balken), alii in aliis partibus collocarunt. Modo istae inquisitiones relictae sunt.

Antiqui philosophi graeci de sede animae diversas opiniones habuerunt. Alii opinati sunt, animam esse in capite, alii in corde, in sanguine alii.

611 **Demonst.** Anima ibi est, ubi exercet munus *formae* seu ubi corpori unita est. Atqui in toto corpore et in qualibet parte (primaria) munus formae exercet. Nam totum corpus et quaelibet pars vivit vita sensitiva vel saltem vegetativa. Imprimis in omnibus fere partibus sensus est, tactus, sensus organicus, sensus temperaturae vel alius; iam vero nullus sensus, ubi non est anima. Praeterea in omnibus partibus constanter processus vegetativi fiunt, tum assimilationes tum dissimilationes; iam vero ubi constanter processus vegetativi fiunt, ibi influxus animae est. Ergo anima in toto corpore est.

Ubi autem anima est, ibi *tota* est, quia partes non habet; aliis verbis: anima, utpote spiritualis et inextensa, non habet praesentiam circumscriptivam, sed definitivam. Ergo anima ita est in toto corpore, ut in qualibet parte tota sint.

Aliter. Qui asserunt animam esse tantum in cerebro, non possunt affirmare, eam esse formam corporis, et dicere coguntur, vitam vegetativam, cum in toto corpore peragatur, solis viribus corporis sine anima produci; iam vero haec certis veritatibus contradicunt. Praeterea vitam sensitivam ad solum cerebrum coarctare debent contra conscientiae testimonium, quae testatur, in toto corpore perceptiones sensitivas fieri.

612 **Obiectiones.** 1. Si anima in qualibet parte est tota, unaquaeque pars est homo. — *Resp.* N. Homo est compositum ex anima et corpore, non parte corporis.

2. Si anima ubique esset, crescente corpore cresceret et corpore minuto minueretur. — *Resp.* D. cresceret et minueretur eius praesentia et corporis informatio C. eius entitas N.

3. Anima esset replicata, quia simul esset in multis partibus spatii. — *Resp.* N. ad rat. D. et hae partes simul sumptae sunt locus adaequatus animae C. singulae sunt locus adaequatus, id quod ad replicationem requiritur N.

4. Si anima tota est in oculo, non iam potest esse extra oculum. — *Resp.* D. si ibi tota est totalitate praesentiae C. si tantum totalitate

entitatis N. Tota entitas animae in oculo est, sed eius praesentia per hoc non exhauritur.

5. Sic dicendum esset, animam esse pluries in corpore. — *Resp.* D. pluries pluralitate entitatis N. praesentiae Sd. praesentiae totalis, quae tantum una est N. praesentiae partialis, quatenus tota praesentia partes habet C.

6. Si anima praesens est in loco extenso, est ipsa extensa. (Ita saepe arguunt moderni.) — *Resp.* N. vel. D. si praesens est circumscriptive C. si definitive N.

7. Si anima esset in pede, etiam intellectus ibi esset. — *Resp.* Non est absonum dicere, facultates spirituales animam in omnem partem corporis comitari, praesertim si forte ab anima tantum ratione distinctae sint, vel actus spirituales non esse certo loco alligatos. Si nihilominus experiri nobis videmur, operationes intellectus in capite esse, hoc ideo accidit, quia ibi actus phantasiae sunt, qui operationem intellectus comitantur.

***De informatione partium secundariarum corporis.** Defendimus 613* antum, animam informare partes primarias corporis. Non idem statuimus de partibus secundariis seu illis, quae vel nullam vitam habent vel saltem non cum corpore coalescunt.

1. Sine dubio informata non sunt saliva, sucus stomachi, bilis, lacrimae, cibi nondum plene digesti neque acidum carbonicum vel vapor aquaeus ex organismo egredientia. Haec enim vitam non habent. Ceterum accurate definiri nequit, ubi et quando in his et similibus partibus immediatus contactus cum anima incipiat sive desinat, e. g. quando materia nutritiva per processum assimilationis cum anima uniatur.

2. Celebris controversia in scholis veteribus fuit, sitne *sanguis* ab anima humana informatus necne. Alii, maxime thomistae, affirmarunt, alii non pauci negarunt.[1])

Sanguis potissimum ex duabus partibus componitur; una est liquida et sufflava, nempe plasma, quod materias nutritivas vel corruptas per corpus transvehit, altera pars sunt globuli sanguinei, rubri et albi (leucocyti; n. 66). In globulis, praesertim in albis, processus vegetativi apparent: re-

[1]) Haec controversia separanda est ab alia quaestione theologica, sitne sanguis corporis Christi hypostatice assumptus a Verbo. Est assumptus et quidem ideo, quia sanguis ad integritatem corporis pertinet. Sed sanguis ad corporis integritatem pertinere potest, etiamsi ab anima rationali informatus non sit.

cipiunt nutrimentum, exercent quandam respirationem, qua O recipiunt et C_2O emittunt, calorem producunt, motus exercent; quas actiones etiam aliquamdiu continuant, cum iam e corpore egressi sunt.

Quaestio de informatione sanguinis tantum ad globulos referri potest, in quibus nimirum vita observatur. Sed etiam facta hac restrictione *negandum* esse videtur, quod quaeritur. Nam

a) Sanguis et globuli, qui per cor, arterias et venas fluunt, non sufficienter cohaerent cum reliquo organismo informato, sed per venas sicut aqua per canalem fluunt et, quando e corpore egrediuntur, nulla eorum mutatio observatur.

b) Non videtur necessaria esse haec informatio. Nam processus vegetativi, qui in sanguine observantur, satis declarari videntur per remotum influxum animae in sanguinem. Vegetativi enim processus animam quidem postulant, non tamen semper immediatam eius praesentiam in illa parte requirere videntur, in qua fiunt. Saepe enim per animam sive per animatas partes corporis determinari et inchoari, deinde vero, prima directione ab anima accepta, per puras vires physicas et chemicas ulterius continuari ac perfici videntur. — Hac ratione etiam illud factum declarari potest, quod capilli vel ungues in cadaveribus crescere inveniuntur. Hic pariter videtur effectus esse ab anima remote causatus.

3. Similiter necessarium non est affirmare, capillos, barbam, ungues, dentes per totam suam extensionem anima informari. Sufficit ut anima radices informet, a quibus incrementum proficiscitur.

§ 2. De falsis sententiis unionem spectantibus

Doctrinae falsae de natura compositi humani apte ad duo genera revocari possunt, ad monismum psychologicum et falsum dualismum.

614 **I. Monismus psychologicus** negat, animam et corpus esse duas realitates essentialiter diversas. Varias formas induit, prout vel animae vel corporis realitatem negat.

1. *Spiritualismus idealisticus* (Berkeley, Leibniz, Maine de Biran, Ravaisson, Vacherot, Renouvier, Lachelier, Lotze, Wundt, alii) affirmat, solam animam vel spiritum habere realitatem propriam, corpus vero tantummodo subiectivum phaenomenon sive animae repraesentationem esse. Hic spiritualismus non tantum nulla ratione demonstratur, sed etiam experientiae externae et internae contradicit, qua percipimus, corpora extra nos esse nosque ipsos corpus et mutationes corporales habere.

2. *Materialismus* tantum materiam eiusque functiones et qualitates admittit ideoque etiam animam substantialem a corpore diversam negat (nn. 79 82 182 553).

II. Falsus dualismus psychologicus. Hoc nomine omnem 615
doctrinam denotamus, quae quidem admittit, animam et corpus diversa esse, sed coniunctionem eorum ad unam naturam humanam tollit.

1. *Doctrina purae assistentiae* animam et corpus substantias completas habet praeter localem assistentiam nulla alia vera unione coniunctas. Quae sententia iam antiquata est.

Huc spectat immoderatus dualismus, quem Cartesius proponit, secundum quem corpus et anima substantiae penitus heterogeneae vel immo oppositae (corpus „extensio", anima „res cogitans") nec ullo communi activitatis consortio unitae sunt.

Huc etiam referenda est sententia *occasionalismi* (Geulincx † 1669, Malebranche † 1715) aliquatenus e dualismo cartesiano orta, quae unionem fere tantum in eo collocat, quod Deus in anima et corpore correspondentes effectus producat.[1])

Praeterea huc referendum est systema *harmoniae praestabilitae* a Leibniz constructum: in anima una est series affectionum, in corpore altera correspondens, quae duae series inter se nullum influxum exercent, consentiunt autem per harmoniam, quam Deus auctor naturae ab initio praestabilivit. Quae doctrina iam parallelismo psychophysico propinqua est.

---

[1]) „Il n'y a point de rapport nécessaire entre les deux substances dont nous sommes composés . . . Il n'y a nul rapport de causalité d'un corps à un esprit. Il n'y en a aucun d'un esprit à un corps." „Dieu a voulu que j'eusse certains sentiments, certaines émotions, quand il y aurait dans mon cerveau certaines traces, certains ébranlements d'esprit. Il a voulu, en un mot, et il veut sans cesse que modalités de l'esprit et du corps fussent réciproques. Voilà l'union et la dépendance des deux parties dont nous sommes composés." Entretiens sur la métaph. IV 11, VII 13.

2. *Parallelismus psychophysicus* docet, facta physica et psychica (animam substantialem negat) differre quidem inter se, attamen perpetuo parallelismo et simultaneitate esse coniuncta, sed ita, ut nullus influxus mutuus intercedat. De eo statim plura dicentur; est enim doctrina recenti tempore celebrata.

3. *Doctrina influxus activi* (Wechselwirkung; interaction) inter animam et corpus unionem realem admittit, attamen non entitativam seu essentialem, sed tantum dynamicam et accidentalem in hoc sitam, quod corpus actione transeunte in animam agat, potissimum excitando eam ad sensationes, et vicissim anima in corpus agat movendo membra et excitando alios processus physicos psychicis respondentes. Nunc huic doctrinae fere omnes adhaerent, qui parallelismo psychophysico addicti non sunt. Ignorantes enim vel neglegentes doctrinam peripateticam putant, optionem tantum esse inter parallelismum et hanc doctrinam ideoque illo reiecto necessario sequi veritatem alterius.

Cum igitur nunc omnes fere philosophiam peripateticam non sequentes vel parallelismum vel doctrinam influxus activi defendant, utraque doctrina paulo diligentius examinanda est. Ceterum, quae de posteriore doctrina dicenda sunt, iam supra breviter indicavimus (n. 594).

*Th. 36. **Parallelismo psychophysico absurditatis nota tribuenda est (1. p.). Propius ad veritatem accedit doctrina influxus activi, sed eam minime attingit (2. p.).**

*616 **Declar. 1. p.** 1. Parallelismus psychophysicus docet, facta physica et psychica in homine (et animali) cum constanti parallelismo invicem harmonice comitari, sed ita, ut nullus inter ea mutuus influxus intercedat.

Itaque defensores huius sententiae supponunt, facta physica corporis ab actibus psychicis differre; quia animam substantialem negant, tantum actus psychicos admittunt. Porro inter facta physica et actus psychicos constantem parallelismum admittunt asserentes, quando in organo corporali certa mutatio physica vel chemica fiat, simul correspondentem sensationem oriri, quando imperium voluntatis adsit, in membris corporis motus incipere, quando exercitetur ira, simul in facie apparere consentaneum vultum. Attamen tantum parallelismum admittunt, non autem ullum influxum mutuum, qui causa huius parallelismi sit. Ergo simul duae series eventuum currunt, physica et psychica, una iuxta aliam, una alteri accurate respondens, et in singulis seriebus unus eventus causat alterum; sed ex una serie in alteram nulla transit „psychophysica" causalitas.

2. Parallelismus praeter haec essentialia omnibus com- 617*
munia apud diversos defensores diversas *speciales formas* induere solet.

a) Plerumque doctrina *identitatis psychophysicae* adiungitur. Dicunt, physica et psychica propterea sine influxu et tamen cum constanti parallelismo invicem comitari, quod sint duo diversa phaenomena seu apparentiae eiusdem ignotae realitatis, una eademque realitas, quae per internam conscientiam aspecta appareat aliquid psychicum, amor, ratiocinium, extrinsecus autem sensibus apprehensa appareat aliquid physicum, velut motus. Hanc doctrinam primus Fechner excogitavit eamque alii assumunt (n. 84).

b) Plerique, praesertim modo indicati defensores identitatis psychophysicae, parallelismum in *spiritualismum idealisticum* convertunt, affirmantes, tantum seriem psychicam vere realem, physicam vero tantum apparentiam seriei psychicae esse repraesentatione sensitiva productam. Nihilominus iterum de duplici serie ita disputant, quasi utraque sit vere realis, ut hac ratione quidem parallelistis adnumerandi sint, revera autem, si suis principiis starent, non parallelistae, sed monistae dicendi essent.

c) Parallelismus nonnullorum occultatus *materialismus* est, quatenus facta psychica mutationibus physicis fere ad modum appendicis, phaenomeni secundarii sive umbrae concomitantis associat. Haec species igitur potius physiologismus quam parallelismus est.

d) Apud multos et certe omnes, qui principiis suis constare volunt, parallelismus plane universalis evadit, qui af-

firmat, non solum in homine et animali, sed in omnibus plane rebus et omnibus atomis cum eventibus physicis actus psychicos coniunctos esse *(Panpsychismus)*.

Parallelistae *debent* ad panpsychismum progredi. Nam a) non apparet, cur tantum cum systemate nerveo vita psychica coniuncta inveniatur; nervi enim secundum parallelismum non sunt causa actuum psychicorum. b) Declarari non potest, cur e. g. acus pungendo in digito dolorem efficiat. Acus enim, quatenus corpus physicum est, secundum principia parallelismi causa doloris esse nequit; quare nihil relinquitur, nisi ut in acu similiter ordo physicus et psychicus coniunctus admittatur et ille digitum laedat, hic vero dolorem eius causet.

Parallelismus universalis saepe cum *pantheismo* sociatur, quatenus natura corporea manifestatio spiritus absoluti habetur, qui per naturam se manifestet.

*618 3. *Rationes,* quae multos in parallelismi ineptias impellunt, potissimum duae sunt: a) Experientia docet, esse in homine eventus duplicis generis, corporeos et psychicos, qui apte inter se conspirent. Sed parallelistae animam substantialem negant. Sic iam nullus iis relinquitur influxus, qui facta physica et psychica colliget. Nam influxum substantivum non habent, quia animam auferunt. Influxum vero activum admittere nolunt potissimum ob duo principia, „principium causalitatis naturalis clausae"[1]), quod negat, causam non materialem in materialia („naturalia") agere posse, et principium constantiae energiae, quo iterum prohiberi existimant, ne causa spiritualis in corpora agat. — b) Parallelismus ideo commodus apparet, quia una ex parte bonam pacem offert cum principiis modernae scientiae naturalis, quae nullum influxum entis spiritualis in materialia, nec Dei in mundum nec animae in corpus, admittit, tamen altera ex parte viam ostendit, qua nihilominus inhonestus materialismus evitetur. Secundum parallelismum enim ordo spiritualis cum suis idealibus manet, nullus tamen influxus ab aliquo ente huius ordinis in mundum timendus est itaque mundus corporeus suis tantum legibus naturalibus regitur iisque inquirendis scientia naturalis iam secure operam dare potest sine „miraculorum" timore.

[1]) Prinzip d. geschlossenen Naturkausalität; de quo cf. *Ontologiam.*

4. Parallelismus iam apud *Spinoza* pantheistam invenitur. Secundum 619*
eius mentem corpus et spiritus, i. e. (ut dicit) extensio et cogitatio, attributa entis absoluti sunt, ergo „una eademque res secundum duos modos expressa"; ideo „nec corpus mentem ad cogitandum nec mens corpus ad motum neque ad quietem nec ad aliquid aliud determinare potest"[1]). Etiam doctrina *harmoniae praestabilitae* (n. 615) parallelismo valde propinqua est. In recentiorem philosophiam *Fechner* parallelismum induxit. Ante pauca decennia sententia a multis et forte plerisque psychologis, praesertim experimentalibus, recepta erat, nunc vero honor eius paulatim minuitur.

Eius defensores suam sententiam ita describere solent: „Nostra propria assertio fuit, animam et corpus . . tantum duo latera eiusdem realitatis experimentalis esse. Non possunt inter se invicem agere, quia non sunt res separatae et independentes. Ob eandem autem rationem, ubi utrumque latus apparet, mutatio unius cum mutatione correspondenti alterius coniuncta est."[2]) „Membra utriusque seriei [physicae et psychicae] sine mutua causalitate manent. Nihilominus per omnia membra arctissime invicem iuncta sunt; invicem parallela sunt, ut improprie dicitur, nam potius spectata propria sua natura plane idem sunt."[3]) „Descriptio physiologica et psychologica eiusdem status sive eventus conscii in organismo vivo sunt duae diversae, sed vi et ratione identicae expressiones eiusdem facti, i. e. eventus psychophysici: sunt idem argumentum duabus linguis diversis expressum, eadem res, sed modo intrinsecus, modo extrinsecus aspecta."[4]) „Mundus realis duo latera nobis convertit, extrinsecus perceptus sensibilitati ut mundus corporeus apparet, in conscientia intrinsecus aspectus ut vita psychico-spiritualis patefit."[5]) Eventus psychicus est „pars interior, facies interna" processus physici seu chemici.[6]) Asseritur, „in cognitione immediata tantum psychica exhiberi et id, quod materiam vocamus, solum aspectum eiusdem facti ex alia parte, nihil vero a psychico essentialiter diversum

[1]) Ethica II III. — [2]) *Titchener,* Textbook of Psychology (1910) § 4. — [3]) *Ebbinghaus:* „Die Glieder beider Reihen rufen einander nicht hervor, noch greifen sie ineinander ein; sie bleiben einander in ihrer Kausalverkettung völlig fremd. Dennoch gehören sie zugleich Glied für Glied aufs engste zusammen; sie sind einander parallel, wie man uneigentlich sagt, denn sie sind vielmehr ihrem eigentlichen Wesen nach durchaus dasselbe." Abriß d. Psychologie[6] (1919) 46. — [4]) *Jodl:* „Die physiologische und die psychologische Beschreibung eines und des nämlichen bewußten Zustandes oder Vorganges im lebendigen Organismus stellen demgemäß zwei verschieden geformte, aber dem Sinn und Wesen nach identische Ausdrücke für denselben Vorgang, d. h. ein psychophysisches Ereignis, dar; den nämlichen Inhalt in zwei verschiedenen Sprachen ausgedrückt; die nämliche Sache, aber das eine Mal von innen, das andere Mal von außen gesehen." Psychologie[3] I (1908) 98. — [5]) *F. Paulsen:* „Die Wirklichkeit wendet uns zwei Seiten zu; von außen gesehen stellt sie sich der Sinnlichkeit als Körperwelt dar, im Selbstbewußtsein von innen gesehen, offenbart sie sich als seelisch—geistiges Leben." Ethik[10] I (1913) 219. — [6]) *Taine:* Le psychique est „le dedans, la face interne" d'un processus physique. De l'intelligence l. IV. ch. 4.

esse."[1]) „Inquisitio factorum, quae in iis videre cavet, quod in iis non inest, . . cum ineluctabili necessitate ad afffrmandam identitatem inter animam et certas functiones cerebri ducit." „Psychicum et eius parallelus eventus physicus sunt aspectus eiusdem rei, intrinsecus et extrinsecus spectatae."[2]) E quibus testimoniis etiam perspicitur, parallelistas plerumque identitatis psychophysicae defensores esse.

*620 **Demonst. 1. p.** 1. Parallelismus *negat animam* substantialem. Sic autem non solum doctrinam perniciosam statuit, sed etiam omnibus absurditatibus se implicat, quas supra actualismum refutantes notavimus.

2. *Negat omnem influxum inter corpus et animam.*

a) Ita certe *experentiae contradicit,* quae ostendit, nos voluntate manum ad scribendum et pedem ad ambulandum movere, excitationem physiologicam in nervis receptam animam ad sentiendum determinare.

b) Sine influxu *non declaratur parallelismus* inter partem physicam et psychicam hominis: cur cum excitatione in organo iungatur sensatio et cum imperio voluntatis motus membrorum, cur cum gaudio semper risus, non fletus iungatur. Saepe respondent, hoc ideo fieri, quod physicum et psychicum sint *eadem realitas* ex duplici parte spectata. Sed tale responsum tantum ostendit, quantopere falsis speculationibus mens naturali sua claritate privari possit. Quid magis absurdum, quam processum chemicum et affectum amoris, motum nervorum et ratiocinium idem esse.

c) *Absurditates* consequuntur, quae modum excedunt. Sic iam homines non ideo ambulant, quod ambulare volunt, non ideo loquuntur, quod cogitationes exprimere volunt,

---

[1]) *E. Kretschmer:* „Eine Weltanschauung, die weiß, daß uns in unserer Erkenntnis unmittelbar nur Seelisches gegeben ist, und annimmt, daß das, was wir Materie nennen, nur eine eigenartige Anschauungsform innerhalb des Seelischen bzw. eine Betrachtung desselben Tatbestandes von einer anderen Seite, aber nichts vom Seelischen grundsätzlich Getrenntes darstellt." Medizinische Psychologie[4] (1930) 14. — [2]) *E. Bleuler:* „Eine Untersuchung der Tatsachen, die sich hütet, etwas darin zu sehen, was nicht darin ist . . führt mit zwingender Notwendigkeit zu der Annahme der Identität der Psyche mit gewissen Hirnfunktionen." „Engramme sind sowohl ein hirnphysiologischer wie ein psychischer Begriff und ihre Eigenschaften sind mit ein Beweis, daß das Psychische und dessen physischer ‚Parallelvorgang' Aspekte des nämlichen Dinges sind, von innen und von außen gesehen." Naturgeschichte der Seele[2] (1932) VI s.

non ideo libros doctos scribunt, quia cogitationes manus regunt, sed, quidquid in mundo fit, sine influxu cuiusvis cogitationis vel actus volendi fit; et si nemo in mundo videret, cogitaret, vellet, tamen omnia in ordine physico eodem modo ac nunc peragerentur. Non ideo Napoleon apud Austerlitz hostes vicit, quia per intellegentiam milites rexit; non ideo examinandus interroganti recte respondet, quia quaestiones intellegit et responsa scit, sed haec omnia solis causis physicis producuntur: afferuntur extrinsecus motus in corpus hominis, currunt per nervos ad cerebrum, a cerebro in os, in brachia, pedes, quae incipiunt agere, loqui, apprehendere, ambulare.

d) Denique si cogitationes tantum latus internum motuum atomorum sunt, quivis homo quovis momento eam cogitationem habet, quae motui respondet, qui tunc in cerebro est, ut igitur ad iudicia non veritate determinemur, sed legibus mechanicis motuum. Similiter non cognita bonitate divina ad amorem Dei, apprehensis poenis ad odium peccati determinemur, sed motibus atomorum. Ita leges logicae et morales in leges physico-chemicas convertuntur et vita spiritualis omni sua proprietate privatur in eiusque locum brutus mechanismus subintrat.

Ergo parallelismus, quod vitam psychicam attinet, recta ducit ad extremum *associationismum* (nn. 173 s.), qui est atomismus mechanicus in vitam psychicam translatus.

Declar. 2. p. Doctrina influxus activi animam et corpus realiter uniri admittit, attamen non unione entitativa et substantiali, sed solum dynamica et accidentali in hoc sita, quod actionibus transeuntibus invicem afficiant, corpus potissimum excitando animam ad sentiendum, anima vero movendo corpus et in eo alias mutationes physicas psychicis respondentes producendo, e. g. processus materiales in cerebro vel affectiones in corde. Antiquiores huius sententiae assertores animam substantialem admiserunt, etiam aliqui ex hodiernis principium psychicum permanens admittunt, sed minime omnes, qui sic doctrinam multo difficiliorem reddunt. 621*

Doctrinam influxus activi propterea multi sibi persuadent, quia tum unio realis tum influxus mutuus inter corpus et animam intercedit, neglecta autem unione substantiali alia unio praeter hunc influxum non relinquitur. Et imprimis omnes, qui animam et corpus instar substantiarum com-

pletarum concipiunt, aliam unionem rationabiliter statuere nequeunt. Iam *Plato* huius sententiae fuit docens, animam rationalem habitare in corpore (tamquam in carcere) eamque corpus sicut nautam navim regere. Quae opinio postea non paucos defensores nacta est. Recentiore tempore *Cartesius* similem dualismum docuit. Nunc omnes fere, qui parallelismum non adoptant, hanc unionem pure activam defendunt.

*622 **Demonst. 2. p. A.** *Doctrina influxus activi propius ad veritatem accedit* quam ineptus parallelismus. Nam a) animam substantialem, saltem interdum aliquatenus, admittit, b) aliquem influxum mutuum animae et corporis et c) aliquam realem utriusque unionem recipit.

*623 **B.** *Sed veritatem minime assequitur.* Quod his potissimum rationibus, supra iam indicatis (n. 594), demonstratur:

1. Animae et corporis *unio in influxu activo consistere nequit.* Nam a) sic non oritur una natura et persona, qualem conscientia testatur et omnium persuasio tenet, sed manent duae substantiae completae solum accidentaliter unitae sicut duo homines manus conserentes vel corpora cosmica invicem agentia. — b) Influxus mutuus supponit unionem, quae proinde alia esse nequit nisi substantialis. Non supposita enim unione substantiali non apparet, cur anima tam constanter corpori alligetur, ut iste perpetuus influxus adsit, non autem anima ex corpore egredi vel ab agendo desistere possit; neque ratio apparet, cur non simili modo in alterius corpus agere queat, quia alterius corpus corpori proprio simile est neque proprium corpus cum anima magis realiter unitum esset quam alienum. — c) Cum sic anima et corpus non iam unum commune principium agendi sint, concludendum est, animam solam sentire et actiones vegetativas similiter vel a sola anima vel a solo corpore produci.

*624 2. Naturalis *influxus activus in se tam difficilis* apparet, praesertim influxus corporis in spiritum, ut, nisi certo demonstretur, ponendus esse non videatur. Nam spiritus naturae tam sublimis et subtilis est, ut non appareat, quo-

modo corpore attingi queat. Seu, aliis verbis, corpus in spiritum agendo aliquid materiale produceret, spiritus autem non videtur naturaliter subiectum accidentis materialis esse posse. — Quidquid autem de abstracta possibilitate dicitur, in composito humano talis influxus activus admitti nequit. Quaecumque enim actione mutua inter se agunt, divisa sunt, ergo corpus et anima, quae una natura sunt, talem actionem exercere nequeunt.

Non igitur alius influxus inter animam et corpus admittendus esse videtur quam *substantivus* in eo positus, quod, quia anima et corpus substantialiter uniti sunt, necessario, si una pars afficitur, etiam altera afficitur et una in altera correspondentes actiones determinat.

Ex his colligitur, quomodo solvenda sit quaestio nunc disputata, num et quomodo „*causalitas psychophysica*" inter ens psychicum et ens physicum, in homine igitur inter animam et corpus, possibilis sit. Parallelistae omnem talem causalitatem et influxum impugnant et quidem potissimum ob duas rationes, principium causalitatis naturalis et legem constantiae energiae, ut statim dicetur.

Obiectiones. 1. Tenendum est principium causalitatis naturalis clausae: in ordinem naturalem sive physicum ordo psychicus sive spiritualis nullum influxum exercere potest nec vicissim, propterea praesertim, quia inter ens psychicum et physicum plena est disparitas. Atqui tali influxu excluso tantum parallelismus relinquitur. Ergo. — 625*
Resp. D. mai. nullus influxus substantivus exerceri potest N. nullus activus Sd. non in homine, in quo anima et corpus unam naturam constituunt C. generatim impossibilis est Tr. (vel Sd. impossibilis est actio spiritus in materiam N. impossibilis vel saltem admodum difficilis est actio corporis in spiritum C.) Ad rat. D. est talis disparitas, ut unionem substantialem animae et corporis et proinde influxum substantivum excludat N. ut influxum activum excludat, qui in homine locum non habet Tr. (vel Sd. disparitas excludit actionem spiritus in corpus N. valde difficilem reddit actionem corporis in spiritum C.)

2. Certa est lex constantiae sive aequivalentiae energiae. Atqui haec lex violatur posita causalitate psychophysica. Sic enim anima in corpore motum producens energiam augeret et vicissim corpus processu physiologico sensationem determinans energiam corporalem consumeret, in cuius locum non alia aequalis subintraret. — *Resp.* C. mai. vel secundum alios D. mai. lex certa est, in quantum agitur de viribus pure materialibus inter se agentibus C. in quantum agitur de operationibus vegetativis et sensitivis, ut non permittatur in his parva energiae mu-

tatio N.[1]) D. min. lex constantiae violatur per influxum substantivum, in quo nulla est actio ex uno in alterum N. violaretur per causalitatem activam, quae in homine locum non habet Tr. Fortasse etiam in sententia influxus activi violatio negari et haec declaratio dari possit: excitatio sensoria in nervo facta determinat actum psychicum, sed simul etiam novam mutationem physicam in cerebro producit (omnem enim actum psychicum mutatio physica comitari videtur), quo supposito lex constantiae servari potest; anima autem in corpus agit non augendo energiam, sed tantum dirigendo transmutationem energiarum in certos fines, directio autem energiae videtur adesse posse sine auctione energiae (sicut docti physici, ut Hertz, E. Mach, Boltzmann, O. Lodge, Becher putant).

*626 3. Defensores identitatis psychophysicae doctrinam suam exemplis, praesertim a Fechner sumptis, demonstrare sive eius repugnantiam obtegere conantur, velut his: a) Physicum et psychicum in homine se habent sicut „latus concavum et convexum circuli", „tantum duo diversi aspectus eiusdem rei ex duplici loco sunt"; duo latera autem lineae circularis eadem res sunt.[2]) — *Resp.* D. duo latera lineae circularis sunt duae res realiter et essentialiter diversae (sicut cogitatio et motus) N. sunt eadem res, tantum duobus inadaequatis conceptibus apprehensae, quatenus nunc secundum distantiam a punctis dexteris, deinde a sinistris apprehenditur C.

b) „Systema solare ex sole aspectum omnino aliter apparet quam a terra aspectum. Ibi apparet mundus copernicanus, hic vero ptolemaeus."[3]) — *Resp.* D. systema solare est realiter hic duplex mundus oppositus N. tantum adest duplex externa apparentia in sensu C.

Art. 3. De immortalitate animae

Generi humano naturali lumine rationis illustrato semper persuasum fuit, animam post mortem superstitem manere. Quae veritas fundamentum religionis est, quia, ubi persuasio de futura sanctione non adest, neque religio diu sustineri potest. Sed speculatio philosophica non cum eadem constantia hanc veritatem semper professa est.

627 **Historia quaestionis.** Philosophi Platone antiquiores de immortalitate vix tractarunt. *Plato* autem immortalitatem ani-

[1]) In activitate vegetativa, etsi pariter simul ab anima producitur, videtur lex constantiae servari, si credere licet experimentis a *Rubner*, *Laulanie* et *Atwater* institutis (quae tamen non omne dubium excludunt). Ex hoc aliqui inferunt, legem etiam in activitate sensitiva servari. — [2]) Nach *Fechner* sind „die geistige und leibliche Seite des Menschen" „wie die konkave und konvexe Seite des Kreises", die „im Grunde nur zwei verschiedene Erscheinungsweisen derselben Sache von verschiedenen Standpunkten sind." Elemente d. Psychophysik I (1860) 2 s. — [3]) „Das Sonnensystem bietet von der Sonne aus einen ganz andern Anblick dar, als von der Erde aus. Dort ist es die kopernikanische, hier die ptolemäische Welt." L. c.

mae intellectualis studiose defendit, varias ad eam demonstrandam (praesertim in dialogis Phaidon, Politeia, Phaidros) rationes afferens; cum immortalitate simul pythagoream migrationem animarum coniungit. *Aristoteles* pariter animam spiritualem et immortalem esse docet, sed tantum animam rationalem (νοῦς) et quidem illam, quae v. θεωρητικός sive ποιητικός dicitur (cf. n. 18); cuius identitas realis cum reliquis animae partibus in eius doctrina dubia relinquitur. Inter philosophos posteriores fere tantum *Plotinus* Platonem sequens animae perennitatem clare defendit. *Patres* et *scholasticos* immortalitatem professos esse liquet. Etiam argumenta ad eam demonstrandam cum aliqua diligentia ex saec. 12. (Dom. Gundissalinus, Guil. de Auvergne, Io. de Rupella) et maiore cum studio deinceps a philosophiae scholasticae ducibus Al. Halensi, Bonaventura, Alberto M., Thoma exculta sunt. Attamen generatim non cum ea diligentia tractata sunt, qualem nunc adhibere debemus. Postea etiam a nonnullis de philosophica immortalitatis demonstratione dubia excitata sunt; hoc assertum, sicut Scotus ait, „esse potius creditum quam scitum, neque posse ad id confirmandum afferri rationes demonstrativas necessarias, sed solum probabiles". Attamen a saec. 16. communis omnium scholasticorum sententia est, immortalitatem etiam ratione cum certitudine demonstrari posse.[1])

Inter philosophos recentes immortalitas diu retenta est (a Descartes, Leibniz, Wolff, Berkeley). Deinceps vero dubitatio vel negatio praevaluerunt.

Aetate *recentissima* plerique, qui extra scholas catholicas philosophantur, animam individualem morti superstitem manere negant vel saltem pro re indemonstrata habent; atque id consequenter quidem. Nam qui animam substantialem non admittunt, qui materialismo adhaerent vel ob alias rationes spiritualitatem animae non concedunt, qui 628

[1]) „Hac saltem aetate", iam Conimbricenses scribunt, „ita celebre est, animae immortalitatem demonstrari, ut iure temerarius habeatur, qui nostrae assertioni refragetur." De an. separ. d. 1 a. 3. Urráburu, Psych. II 2 637.

pantheismo addicti animam solummodo modum transeuntem entis absoluti esse existimant, sane immortalitati animae individualis locum concedere non possunt. Alii plurimi, etiam theologi protestantici, eam saltem philosophice incertam habent, quod homo res tales supersensibiles intellectu certo cognoscere nequeat. Quibus *Kant* praeivit, qui immortalitatem plane indemonstrabilem habet. Nihilominus eam admittit, sed tantum ut postulatum rationis practicae; hominem, ait, lege morali rationis practicae obligari ad perfectionem moralem, sed ab ea assequenda in hac vita sensualitate impediri, ideo eadem lege vitam futuram postulari, in qua anima ulteriore et indefinito progressu ad perfectionem paulatim accedat.[1]) (Sed hanc veram demonstrationem intellectualem esse negat.) In qua dubitatione nunc plerique haerent.

629 **Immortalitas ficta.** Qui negant, animam corpori superstitem fore, nihilominus, plenam immortalitatis negationem impiam sentientes, aliquam immortalitatem concedere vel etiam celebrare solent. Sed falsam.

Plerique eam in *perenni duratione generis humani* reponunt, in qua etiam defuncti ulterius vivant, idque diversis modis: vel quatenus in procreatis filiis et posterioribus generationibus, in populo sive rassa sua etiam ipsi permaneant, vel quatenus in memoria amicorum et historiae vivere pergant, vel, id quod frequentissime auditur, quatenus cultura humana, opera artis, scientiae, technicae, ideae et veritates, valores morales in aevum permaneant et in iis omnes, qui ad hos effectus aliquando cooperati sint. „In perpetua cultura", „in perennitate historica", „in immortali vita universali", „in perenni valore bonorum mentalium et moralium", „in mente obiectiva"[1]) singuli immortali vita frui dicuntur.

[1]) „Dieser unendliche Progressus ist aber nur unter Voraussetzung einer ins Unendliche fortdauernden Existenz und Persönlichkeit desselben vernünftigen Wesens (welche man die Unsterblichkeit der Seele nennt) möglich. Also ist das höchste Gut, praktisch, nur unter der Voraussetzung der Unsterblichkeit der Seele möglich; mithin diese, als unzertrennlich mit dem moralischen Gesetz verbunden, ein Postulat der reinen praktischen Vernunft." Kritik d. prakt. Vernunft 1. T. 2. B. 2. H. IV.

Monistae loqui solent de sempiterna singulorum permanentia in „uno infinito", „in ente superindividuali, superpersonali", „in vita et ente universali", in quod singuli propria individuali exsistentia exstincta recipiantur et diffluant, in quo ad „unitatem ineffabilem, superpersonalem" congrediantur.[2])

Manifestum est, talem „immortalitatem" esse *inanem et fraudulentam compensationem* pro immortalitate personali. Non est vera hominis individualis permanentia, quae desideratur, sed eius plena exstinctio. Homines, exceptis paucis harum idearum laudatoribus, ex tali duratione „in perpetua cultura", „in superpersonali vita" nullam satisfactionem hauriunt, vix umquam de his cogitant. Praeterea talis immortalitas, qualiscumque est, a paucissimis obtineri potest; plerique ad progressum culturae nihil notatu dignum conferunt nec ullam in monumentis historicis mentionem sperare possunt. In se autem spectata res admodum dubia et instabilis est et certe non perpetua est: amici et filii mox moriuntur, populi eorumque cultura deflorescunt, perennitas et iustitia memoriae historicae incertae sunt, denique omnis cultura atque ipsum genus humanum aliquando in perpetuum delebitur; secundum leges naturae totus mundus in perpetuum rigorem abibit et terrae multo prius excidium parabitur.

Th. 37. Anima immortalis est.

Declar. Immortalitas animae in hoc consistit, quod eius 630
exsistentia seu vita numquam finem habere potest. Ergo non tantum in eo sita est, quod anima in morte hominis non perit eiusque duratio ulterius extenditur, quae immortalitas *imperfecta* vocari potest; sed quod in perpetuum vivet. Sine negotio immortalitas imperfecta effici potest; et hoc

[1]) „Im objektiven Geist" (Hegel). — [2]) *Materialistae* interdum etiam immortalitatem in ore habent, „immortalitatem substantiae", nempe materiae.

spectatis hodiernis adversariis praecipuum est, quippe qui potissimum negant animam a corpore separari posse. Paulo difficilius *aeterna* duratio demonstratur. Sed dicendum videtur, argumenta philosophica, saltem si omnia simul sumuntur, plenam certitudinem etiam de perpetua duratione, sin minus fortasse damnatorum, at certe eorum, qui beatitudinem adepti sunt, gignere. Porro asserimus, immortalitatem animae esse *naturalem* sive per eius naturam exigi, non tantum gratuitam esse, qualis illa immortalitas corporalis fuisset, quae primis parentibus praeter exigentiam naturae a Deo promissa erat. Non enim aliter philosophice immortalitatem demonstrare possumus nisi ex natura animae.

631 **Demonst. 1.** *Arg. metaphysicum* (quod semper adhibitum est, aliquo modo iam a Platone et Aristotele, magis dein et communiter a scholasticis). Anima habet naturalem aptitudinem et exigentiam, ut in perpetuum permaneat. Atqui hac supposita fieri nequit, ut anima umquam pereat. Ergo anima numquam perire potest seu immortalis est.

Demonst. mai. 1) Anima est substantia *spiritualis.* Atqui substantia spiritualis aptitudinem et exigentiam habet, ut in perpetuum permaneat.

Aptitudinem ad esse perpetuum substantia spiritualis habet. Nam nec ipsa corrumpi nec per causam creatam interfici potest; incorruptibilis et indestructibilis est. a) Ipsa *corrumpi nequit.* Corrumperetur vel per se vel per accidens. Non potest corrumpi per se i. e. per dissolutionem in suas partes, sicut pleraque corporalia pereunt; nam anima partes non habet. Neque corrumpi potest per accidens seu propter separationem ab alio, a quo pendeat, sicut anima beluina soluta a corpore perit; nam anima humana spiritualis a corpore non pendet. b) Per causam creatam *destrui nequit,* quia creata causa non aliter id efficere posset nisi animam in partes scindendo, quales non habet. Penitus enim annihilare animam non potest; nam annihilatio, cuius effectus nihil est, numquam actione positiva effici potest (qualis omnis actio creaturae est), quippe quae semper aliquid positivum producit, non vero nihil; sed tantum subtractione actionis, nempe conservationis ex parte Dei produci potest. Iam vero anima, quae neque ex se corrumpi neque a causa creata destrui potest, eo ipso aptitudinem habet ad perpetuo exsistendum.

Haec naturalis aptitudo autem est simul *naturalis ordinatio et proinde exigentia* ad perpetuo exsistendum, sicut aptitudo manus ad laborandum est naturalis destinatio eius ad laborandum et vis plantae ad producendos flores est naturalis ordinatio et exigentia ad florendum. „Exigentia" igitur, quam asserimus, non est moralis sive iuridica, sed ontologica, in eo sita, quod obiectum exigentiae ad naturalem rei perfectionem requiritur, ut res sine eo essentialiter manca et incompleta esset; simili fere ratione substantia suam proprietatem „exigere" dicitur.

2) Eadem exigentia ex naturali *desiderio* colligitur, quo homo in esse perpetuum fertur. Naturaliter enim et vehementer iam a morte abhorret, etsi non putetur esse perfecta exstinctio; multo intolerabilior autem apparet cogitatio perpetuae et absolutae destructionis. Atque etiam in damnatis hoc desiderium adest, licet vincatur maiore desiderio emergendi ex summa infelicitate. (Cf. n. 633.)

Demonst. min. Anima tantum annihilatione ex parte Dei perire posset. Ex naturali autem aptitudine et exigentia animae ad esse perpetuum sequitur, Deum eam *numquam annihilaturum* esse.

1) Repugnaret sapientiae et immutabilitati Dei, ut, postquam animam cum tali aptitudine et exigentia ad perpetuo vivendum creavit, eam destrueret itaque simul contra propriam suam essentiam ageret, cuius imago anima spiritualis est.

2) Deus semper invenitur agere secundum naturales rerum exigentias: concurrit cum earum actionibus, ad quas aptae sunt, arboribus condiciones praebet ad flores fructusque suos producendos, speciatim numquam res per se ipsum destruit, sed e contrario omnia iis providet, ut tamdiu se conservare queant, quamdiu fines naturae suae id postulant, providet vires, quibus se nutriant et vulnera

sanent, instinctum, quo sibi prospiciant, cornua et ungues, quibus se defendant.

„Deus, qui est institutor naturae, non subtrahit rebus, quod est proprium naturis earum. Ostensum est autem, quod proprium naturis intellectualibus est, quod sint perpetuae, unde hoc iis a Deo non subtrahitur." [1])

Confirmatio. Si lex naturae est, ut nulla atomus in mundo (nec ulla energia) penitus pereat sive in nihil redigatur, a pari et a fortiori concludendum est, etiam substantiam spiritualem et naturaliter indissolubilem ab annihilatione liberam esse.

632 *Obiectiones.* 1. Annihilatio admittenda est, si ulterior animae duratio fine caret. Atqui duratio animae damnatae fine caret. Ergo saltem huius annihilatio admittenda est. — *Resp.* C. mai. N. min. Ulterior damnati duratio non caret fine. Nam poena aeterna aut Deo indigna est aut non est indigna. Si indigna est, Deus finem eius facere potest manente anima, e. g. occasionem paenitentiae praebendo; non enim idem plane est, vitam damnati aeternam esse et poenam aeternam esse (rationi naturali certior apparet duratio aeterna quam poena aeterna). Sin autem non est indigna, non est ratio, cur contra exigentiam naturae agendo animam iustae poenae subtrahat.

2. Ex argumento allato sequeretur, etiam materiam in perpetuum duraturam esse, quia pariter ad hoc apta est. Atqui id non videtur admittendum esse. — *Resp.* D. mai. si semper finem obtinere potest C. aliter N. ad rat. N. par. (Quae tantum media sunt ad aliquid, sicut materia, solum tamdiu conservantur, quamdiu ad finem utilia sunt. Anima autem non tantum medium ad aliquid est, sed per se ipsam finem ultimum assequi potest.) Tr. min. Ceterum s. Thomas dicit: „Simpliciter dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigetur." [2])

633 2. *Arg. morale* (quod semper fere omnium argumentorum efficacissimum habitum est). Requiritur, ut in vita futura perfecta sanctio fiat, quae sit proportionata retributio pro bona vel mala vita et sufficiens incitatio ad legem moralem observandam. Ergo requiritur, ut vita futura sit, anima igitur in vitam futuram permaneat.

Demonst. ant. a) Requiritur, ut in vita futura *proportionata retributio* fiat. Nam honor ac maiestas ordinis moralis postulant, ut boni ex efficacia ordinis moralis tantum bonum recipiant, quantum ei honorem attulerunt, mali autem

---

[1]) C. gent. II 55; Pot. q. 5 a. 4 c. — [2]) 1 q. 104 a. 4.

tantum deprimantur et detrimentum accipiant, quantum ei laesionem intulerunt; non potest concedi, violatam sanctitatem legis irreparatam relinqui et bonorum fidelitatem et iacturas felicitatis temporalis, quas propter eam passi sunt, proportionata retributione carere. Seu, aliis verbis, si talis perfecta exaequatio non fit, perit iustitia, sanctitas et honor ordinis moralis, quia sors malorum eadem vel melior evadit quam bonorum. Idem etiam manifestius fit, si explicite Deus, auctor et custos ordinis moralis, eiusque iustitia supponitur. *Atqui* in hac vita talis sanctio sufficiens non est. Saepissime mali impune legem laedunt et contemnunt, immo peccando commoda temporalia assequuntur, boni autem pro lege observanda sacrificia ferunt vel etiam vitam perdunt, quae minime recompensantur. Neque interna vituperatio et approbatio conscientiae sufficiens sanctio est, quia gravitati virtutis et peccati non respondet et remorsus conscientiae multiplicatis peccatis potius minuitur quam augetur, immo negata poena futura etiam vanus apparere debet.

b) Oportet adesse *efficax motivum* ad observandam legem 634
moralem impellens. Homo enim gravi obligatione ad eam observandam tenetur et ab ea servanda praecipua entis rationalis perfectio atque etiam felicitas et ordo vitae dependent; ad eam vero implendam non physice, sed tantum motivis i. e. propositis bonis et malis impelli potest. Idem etiam manifestius elucet, si explicite Deum, sapientissimum ordinis moralis gubernatorem, supponimus, qui serio velle debet, ut lex moralis servetur, ideoque efficax motivum homini suppeditare debet. *Atqui* sine sanctione perfecta vitae futurae non adest motivum sufficiens. Neque enim interni remorsus conscientiae neque externa bona et mala temporalia tale motivum sunt. Quod ex supra dictis elucet. Immo quia negata vita futura homini nulla felicitas nisi haec temporalis relinquitur, vi naturali impellitur ad desiderium beatitudinis bonis terrenis modis omnibus satiandum, proinde etiam ad legem moralem infringendam, ubi huic desiderio obstat; sic intolerabilis pugna oritur inter duplicem hominis destinationem naturalem, unam ad feli-

citatem, alteram ad vitam moralem, quae pugna tantum solvitur, si bona vita via ad aeternam felicitatem est. Haec confirmantur hinc tristissimis effectibus moralibus, quae ex materialismo sequuntur, saltem quando in vulgus diffunditur, illinc praeclaris fructibus virtutis, quos persuasio de futura retributione fert semperque tulit, maxime in religione christiana; vix non omnia excellentiora opera virtutis ex hac spe provenerunt.

635 Argumentum allatum ostendit, animam in morte hominis non perire. Ut etiam demonstret, eam in *aeternum permansuram* esse, paulo magis perficiendum est hoc ferme modo:

Sanctio vitae futurae non potest esse perfecta et sufficiens, nisi sit aeterna, aeterna possessio beatitudinis quoad bonos, aeterna poena quoad malos. Nam a) tantum haec aeterna sanctio sufficiens *motivum* est ad bonum efficaciter impellens et a malo retrahens; quidquid aeternum non est, sufficientem vim ad passiones frangendas non habet. — b) Haec sola debitam *proportionem* servat cum bona vita remuneranda et cum peccatis puniendis. Etenim α) *peccatum* est iniuria et offensio Deo illata ideoque aliquam infinitatem habet, quia iniuria et offensio eo maior est, quo altior est dignitas personae offensae. Iam vero pro culpa, quae infinitatem habet, poena, quae finem habet, non est satisfactio proportionata. „Cum Deus sit infinite magnus, offensa contra ipsum commissa est quodammodo infinita. Unde et aliqualiter poena infinita ei debetur. Non autem potest esse poena infinita intensive, quia nihil creatum sic infinitum esse potest. Unde relinquitur, quod peccato mortali debetur poena infinita duratione."[1]) Neque obstat, quod peccatum duratione breve, poena autem aeterna est. Non enim aequalitas durationis, sed gravitatis attendenda est. β) Si pro *bona vita* non tribuitur beatitudo aeterna, non adest praemium Deo dignum animaeque sufficiens. Praemium temporaneum animae non sufficit, quia non est plena beatitudo, quae securitatem possessionis perpetuae requirit; neque Deo dignum est, quia dedecet, Deum animam, quae ab eo amatur quaeque apta est, ut sine fine vivat et sine fine bonorum divinorum particeps fiat, exsistentia omnibusque bonis in aeternum privare.

(Argumentum sic propositum cum certitudine aeternam vitam bonorum demonstrat. Quoad damnatos autem iam supponit, animam perpetuam durationem naturaliter exigere. Aliter Deus aeternam poenam non infligeret; non enim supponendum est, Deum durationem animae praeter naturalem ordinem tantum propterea prolongare, ut eam punire possit; sed amissio beatitudinis propterea aeterna est, quia anima aeterna est. Attamen supposita exigentia perpetuae vitae argumentum ostendit, Deum non contra hanc exigentiam animam damnati annihilaturum esse.)

---

[1]) Comp. theol. c. 183.

Obicitur contra argumentum: Ethica hodierna merito asserit, praemium et poenam non debere esse motivum honeste agendi, sed virtutem propter se colendam esse. — *Resp.* D. ant. non requiritur ex parte iustitiae divinae, ut debita retributio fiat N. (ideo arg. allatum firmum manet); non debet homo hoc motivo duci Sd. non sic, ut aliter paratus esset ad malum faciendum C. non debet (absque tali voluntate) motivo retributionis duci Sd. hoc inhonestum est N. minus honestum est, quam pure propter virtutem agere, attamen propter debilitatem humanam saepissime utile et necessarium est etiam hoc motivo uti C. 636

3. *Arg. teleologicum.* Animae inest multiplex ordinatio naturalis et tendentia ad bona et fines, quos in hac vita sufficienter obtinere nequit, videlicet in perfectam beatitudinem, perfectam veritatis cognitionem, perfectionem moralem. Atqui fieri non potest, ut haec naturalis ordinatio et tendentia non satietur, sed frustretur, quia natura nobilissima essentialiter incompleta et inordinata et quasi mendax esset. Ergo ei satisfieri debet in vita futura eaque perpetua, proinde anima immortalis est. 637

Demonst. mai. 1) Animae inest *naturalis appetitus perfectae beatitudinis.* Appetitus naturalis est ordinatio rebus a natura indita in bonum suum conaturale seu debitum. Sic etiam homo appetitu naturali in beatitudinem fertur. Id a) *experientia ostendit.* Conscientia propria et observatio aliorum manifestant, numquam homines contentos esse hoc vel illo bono particulari et temporaneo, sed cum necessitate ex naturae impulsu proveniente desiderare, ut habeant omne bonum suum seu beatitudinem plenam, atque idcirco desiderare bona particularia et temporanea, e. g. honores et delectationes, quod desiderent esse beati. Hoc perpetuum desiderium cum necessitate spontanea oriundum naturalem ordinationem sive appetitum manifestat. b) Idem ex *natura voluntatis* sequitur. Appetitus sensitivus tantum in bonum sensibile concretum et particulare movetur, e. g. in hanc delectationem, qua obtenta quiescit; nam sensus tantum particularia apprehendit. Sed voluntas ex natura sua fertur in bonum homini debitum ut tale sive in communi spectatum, quippe quod ei intellectu proponitur, eo ipso autem in omne bonum, quod ad naturam humanam spec-

tat, i. e. in perfectam beatitudinem. Quo supposito fieri non potest, quin voluntas vi naturae suae in hanc beatitudinem feratur. — Illum appetitum autem in hac vita non satiari, ostendunt bonorum temporalium parvitas et instabilitas atque hominum perpetua inquietudo et querelae, quae eos his bonis satiari non posse manifestant.

638 2) Animae inest naturalis facultas et proinde *naturalis appetitus perfecte cognoscendi veritatem* et quidem omnem.[1]) Nam intellectus ad omne verum cognoscendum natura sua aptus, proinde naturaliter ordinatus est. Idcirco videmus homines veritatis cognitione delectari eamque usque ampliorem desiderare et studio vehementi inquirere. Haec naturalis autem facultas et tendentia in praesenti vita in multis, qui ante usum rationis moriuntur, omnino non impletur, in aliis autem valde parum, in paucissimis, qui scientiis dediti sunt, tam imperfecte expletur, ut, postquam vix coeperunt maturiore mente scientiam tractare, eius continuatio subito abrumpatur.

3) Homo similiter facultatem, desiderium vel saltem destinationem naturalem habet ad *perfectionem moralem,* quae est hominis maxima perfectio.[1]) Quae ordinatio hominis perpetuis conscientiae monitis et praeceptis manifestatur, quae plenam perfectionem moralem nullis peccatis violandam postulant. Haec destinatio pariter in vita praesenti parum neque umquam sufficienter actuatur, quantum exigit natura et conscientia, propter magnas difficultates, quae exercitio virtutis obstant.

639 *Demonst. min.* Si sublata immortalitate talis multiplex naturalis appetitus et tendentia numquam impleretur, anima, inter omnia entia terrena nobilissimum, essentialiter incompleta maneret, immo penitus *inordinata* esset, quia toto naturae pondere in vanum tenderet, videlicet in obiectum, quod numquam obtinere potest. Iam vero id concedi nequit. Nam 1) *in tota natura* invenimus tendentiis naturalibus rerum satisfieri: florum germina crescere appetunt et

---

[1]) Quae tendentia etiam implicite in appetitu beatitudinis includitur.

crescunt, animalia esuriunt et satiantur, sitiunt et sitis exstinguitur. Anima igitur miserabilior esset omnibus aliis rebus et tendentia eius solum afflictionis causa fieret. Etiam in scientiis naturalibus consuetum est supponere, naturales rerum facultates et inclinationes non esse frustra. 2) Idem etiam evidentius colligitur, si *Deum* supponimus. Repugnat sapientiae, bonitati et veracitati Dei, ut naturam animae in finem dirigat, quem assequi nequit, et sic naturam inordinatam condat; repugnat, ut indat animae tendentiam, quae divinae promissioni aequivalet, impletionem autem deneget. — Seu *aliter:* Si vita futura negatur, anima insolubile aenigma et ens contradictione plenum efficitur: contradictio est inter indelebile felicitatis desiderium et durissimam deceptionem, inter id, quod in veritate assequenda desiderat et quod reapse assequitur, inter id, quod in honestate prosequenda appetit et conscientia postulat et quod reapse obtinere potest; anima esset columna in altum tendens, sed fracta.

Ergo est vita futura et quidem *perpetua,* quia beatitudo, quam anima naturaliter appetit, vitam perpetuam includit; aliter enim illud bonum non adesset, quod maxime naturae conveniens apprehenditur, et illud malum exclusum non esset, quod voluntas vehementissime refugit, mors perpetua.

Obicitur. 1) Multi non habent istum appetitum beatitudinis, sed bo- 640
nis terrenis contenti sunt. — *Resp.* D. non habent appetitum naturalem in actu primo seu ipsam ordinationem naturae in beatitudinem N. non appetitum naturalem in actu secundo sive actus elicitos desiderii Sd. non semper explicite C. non saltem virtualiter et implicite N.

2) Germina naturaliter ad se evolvendum tendunt, quae tendentia saepe non impletur. Ergo tendentia naturalis non oportet impleri. — *Resp.* D. ant. et germina finem in se habent sicut homo, qui non ut medium in aliorum utilitatem dirigitur N. sunt tantum media utilitati aliorum propriaeque speciei subordinata ideoque eorum appetitus naturalis tendit in propriam perfectionem condicionate, quantum permittit haec subordinatio Sd. haec tendentia saepe frustratur C. semper frustratur, sicut frustraretur appetitus hominis, si immortalitas non esset N.

3) Homo appetitu naturali horret mortem et dolores. Atqui hic appetitus pariter non impletur. — *Resp.* 1) N. ant. vel 2) D. ant. abhorret appetitu simpliciter naturali, quasi unio cum corpore vel libertas a dolore sint naturae necessariae ad finem suum obtinendum N. (e contrario naturale est, corpus corruptibile corrumpi, dolor autem est

naturale medium ad conservandam sanitatem); est naturale secundum quid, quatenus dolor et mors mala sunt, sed ita, ut assequendae beatitudini perfectae non obstent C. Ideo desiderium non moriendi, deliberatum saltem, saepe non adest, immo mors desideratur.

641 *Nota.* A Platone, Athanasio, Augustino, Bonaventura, Thoma aliisque aliud argumentum affertur aliquatenus affine et in se legitimum, quod sic fere proponi potest: Anima humana cognoscit *obiecta incorruptibilia*, aeterna, necessaria et in ea cognoscenda et desideranda appetitu naturali fertur. Cognoscit enim essentias necessarias, veritates aeternas, desiderat bona aeterna, maxime bonum divinum essentialiter immortale. Atqui non posset obiecta incorruptibilia cognoscere et in ea tamquam in bona sibi convenientia ferri, nisi haberet cum iis perfectionis congruentiam et consanguinitatem. Ergo etiam ipsa incorruptibilis est.

642 4. *Arg. ethnologicum. Consensus universalis et constans* generis humani tenet, animas post mortem superstites manere; cum qua persuasione fere semper alia coniuncta invenitur, in illa vita futura bonos accepturos esse mercedem, malos vero poenas. *Atqui* tali consensui error subesse nequit. Ergo anima post mortem superstes manebit. — In veritatibus fundamentalibus convenit ad hanc universalem persuasionem provocare, ut negantibus verecundia incutiatur.

643 *Demonst. mai.* Consensus, quem affirmamus, explicite solum asserit, animam ultra mortem hominis permanere; perpetuam eius durationem non expresse, attamen fere implicite affirmat, quatenus de nulla durationis restrictione loquitur. Haec persuasio invenitur apud nationes *cultas*, antiquas gentes orientales, Graecos, Romanos et nationes recentes. Eadem reperitur, licet cum erroribus accidentalibus inter se discrepantibus permixta, apud gentes *incultas* antiquas et recentes: apparet in earum opinionibus de fortunis bonorum et malorum post mortem, in more festiva funera peragendi, in caeremoniis, quae hac occasione peraguntur, veluti cum interficiuntur servi, uxores, ut mortuis sint comites, vel cum sepulcris apponuntur cibi, manifestatur in situ, quo saepe cadavera in sepulcris ponuntur (sicut foetus in utero et versus orientem), in cultu mortuorum, in opinione vulgata de animarum migrationibus ex uno corpore in aliud. Tam commuuis haec persuasio est, ut ferme tan-

tum hominibus illis desit, quorum mens perversis opinionibus vitiata est vel qui levitati vitae indulgent.

De universalitate huius consensus certo constat. Iam *Cicero* dicit: „Uti Deos esse natura opinamur, sic permanere animas arbitramur consensu nationum omnium."[1] Idem testantur *hodiernae* inquisitiones. „Persuasio de vita post mortem aliquapiam generi humano communis est. ‚Non omnis moriar' omnibus gentibus persuasum est. Demonstravimus id testimoniis plane certis modoque tam universali, quali, quod scimus, nemo ante nos."[2] „Caeremoniae mortem funusque comitantes utique apud varias tribus variae sunt. Sed dici potest, eas apud omnes apparere tamquam totius vitae gravissimas et simul maxime insignes, persuasionem de certa vita ulteriore maxime significantes."[3] „Ubicumque homines fuerunt vel sunt, ex prima antiquitate usque ad aetatem praesentem, in omnibus condicionibus et culturae gradibus .. persuasio viget, vitam post mortem futuram esse."[4] „Vitam hominum futuram esse, omnes populi primitivi, sine exceptione, credunt. Qualis autem sit, non omnes explicare possunt."[5] „‚Eo, volo ire, abeo, debeo abire, sequimini me postea, ut una simus'. Ita moribundus quisque [inter Nigritas] necessariis et uxoribus suis valedicere auditur."[6] Notatu dignum est, quod Haeckel materialista testatur: „Ex multis epistulis ad me missis et frequentibus philosophicis colloquiis cum hominibus cultis omnium classium mihi persuasi, nullum aliud dogma tam firmiter sedere tamque pretiosum haberi quam athanatismum, firmam fidem immortalitatis."[7]

---

[1] Tuscul. 1, 1, 16. — [2] *V. Cathrein:* „Der Glaube an ein Fortleben nach dem Tode in irgendeiner Form ist ein Gemeingut der Menschheit. Non omnis moriar ist die Überzeugung aller Völker. Wir haben diesen Beweis mit völlig zuverlässigen Zeugnissen in einer Allgemeinheit erbracht, wie unseres Wissens noch niemand vor uns." Die Einheit des sittl. Bewußtseins der Menschheit III (1914) 575. — [3] *A. Le Roy:* „Naturellement, les cérémonies qui accompagnent la mort et les funerailles varient suivant les diverses tribus. Mais chez toutes on peut dire qu'elles apparaissent comme les plus importantes du cours de la vie, en même temps que les plus caractéristiques, les plus significatives de la croyance en une survivance certaine." La Religion des Primitifs (1909) 146. — [4] *Knabenbauer:* „Überall, wo Menschen waren oder sind, vom grauen Altertum bis zur Gegenwart, in allen Lagen und Abstufungen der Kultur, bei den weltbeherrschenden Völkern und bei den Nomadenstämmen der Einöde, lebt eine Überzeugung von der Fortdauer nach dem Tode." Das Zeugnis d. Menschengeschlechtes für d. Unsterblichkeit d. Seele (1878) 5. — [5] *W. Schmidt:* „Daß es ein Jenseits für den Menschen gibt, daran glauben alle Urvölker ohne Ausnahme. Wie aber dieses Jenseits beschaffen ist, darüber können nicht alle von ihnen Auskunft geben." Handbuch d. vergleichenden Religionsgeschichte (1930) 266. — [6] *Fräßle:* „‚Ich gehe, ich will gehen, ich gehe fort, ich muß fort, kommt mir später nach, daß wir beisammen seien.' So hört man jeden Sterbenden von den Angehörigen und Frauen Abschied nehmen." Negerpsyche im Urwald am Lohali (1926) 52. — [7] „Aus zahlreichen an mich gerichteten Briefen und vielen philosophischen Gesprächen mit Gebildeten aller Klassen habe

644 Neque provocari potest ad *buddhistas,* quorum multitudo ingens sit et qui negent immortalitatem, cum animas individuales (post varias reincarnationes) in Nirvana delabi seu extingui putent. Nirvana in doctrina buddhistica non mortem, sed exstinctionem omnis desiderii significat, ex quo omnis dolor provenire dicitur, quod igitur paulatim extinguendum sit. Ingens autem multitudo hominum vulgarium Nirvana ad modum paradisi concipiunt, in quo singuli vivere pergant.

Dicitur *Vetus Testamentum* sive saltem vetustiores libri, maxime Pentateuchus, immortalitatem nescire. In posterioribus libris immortalitas saepe affirmatur, e. g. 2 Mach. 6, 26; 7; 12, 43; Sap. 3, 5; Eccl. 12, 7. In Pentateucho pariter saepe indicatur, e. g. Gen. 37, 35, praesertim quando morientes dicuntur congregari ad patres et populum suum, e. g. Gen. 15, 15; 25, 8; 35, 29; 49, 32; Num. 20, 26; Iud. 2, 10. Ceterum quia omnibus populis, inter quos Israelitae habitabant, de immortalitate persuasum erat, non oportuit eam saepe inculcare.

Neque etiam obstat, quod multi *viri docti immortalitatem negant* vel saltem de ea dubitant. Nam qui ita negant vel dubitant et quidem constanter usque ad finem, cum reliquo genere humano comparati paucissimi sunt, ut universalitatem consensus non auferant. Praeterea fere semper earum opinio fructus est vitiati cordis vel vitiati intellectus, qui scepticismi morbo sive falsis doctrinis extrinsecus illatis naturali suo lumine orbatus est; non igitur fructus spontaneae et integrae rationis, sed rationis debita sanitate privatae est.

645 *Demonst. min.* a) Persuasio indelebilis, quae ubique invenitur, ubi homines sunt, quaeque intime cum vita humana conexa est, in quam igitur hominis attentio perpetuo conversa est, quae praeterea vitae libertati commoda non est, non nisi in *rationali natura* humana sive in spontanea perspicientia certa causam habet; quae natura rationalis in errorem tenderet, si hic universalis et indelebilis consensus error esset. — b) Reapse nulla causa afferri potest, quae errorem in tali re tam universalem, quem nullae cupiditates delere possunt, declarare queat. Non enim *somnia* (Tylor, Darwin, Spencer) eius causae esse poterant; absonum est dicere, homines incultos, nedum cultos somnia a veritate distinguere non posse. Neque solum *desiderium* perpetuo vivendi vel amicos revisendi persuasionem tantam cultis incultisque communem et constantem producere potuit; et notandum est, cum persuasione immortalitatis plerumque simul timorem sanctionis futurae coniunctum esse.

ich mich überzeugt, daß kein anderes Dogma so fest sitzt und für so wertvoll gehalten wird, als der Athanatismus, der feste Glaube an die Unsterblichkeit.“ Lebenswunder (1904) 70.

Neque *deceptio sensuum* locum habere potuit sicut in opinione geocentrica. Multo minus *fraudes, educatio* consensum talem effecerunt. Si tales causae hunc errorem produxissent, dudum iam deletus esset.

Nota. Qui *spiritismo* addicti sunt, etiam factis occultisticis, quae per 646 animas humanas perpetrari existimant, earum immortalitatem demonstrari affirmant. Sed eiusmodi facta, in quantum per causas naturales declarari non possunt, per spiritus quidem perpetrantur, at non demonstrant, eos animas humanas esse. Solum interdum ex specialibus adiunctis cum aliqua probabilitate concludi potest, has esse phaenomenorum causas. (Cf. n. 533.)

Obiectiones. 1. Si anima immortalitatem ex natura postularet, ean- 647 dem immortalitatem haberet ac Deus. — *Resp.* N. Deus immortalitatem per suam essentiam non tantum exigit, sed habet, anima eam per essentiam quidem exigit, sed a Deo accipit; ideo eius immortalitas naturalis, divina autem essentialis nominari solet.

2. Status animae extra corpus contrarius est exigentiae animae. Atqui quod contrarium est exigentiae, innaturale est, proinde fieri non potest. Ergo. — *Resp.* D. mai. *duratio* ulterior est contraria exigentiae N. duratio ulterior *extra corpus* Sd. absolute contraria, ut anima aliter esse et operari nequeat N. secundum quid contraria, quatenus exigit unionem ad conaturaliter exsistendum et operandum C. Multo gravior est exigentia ulterioris durationis, quae igitur non propterea tollenda est, quia non iam in corpore esse potest.

3. Si anima sine corpore intellegere posset, non indigeret unione, ideoque unio non esset animae naturalis. — *Resp.* D. non indigeret unione ad conaturalem modum essendi N. non ad operandum Sd. non ad operationes organicas N. non ad intellectuales Sd. non absolute C. non ut conaturali modo operetur N.

4. Status separationis melior esset statu unionis, quia activitas intellectualis melior, utpote magis independens a corpore esset. — *Resp.* D. melior simpliciter N. secundum quid spectata operatione intellectuali Sd. melior quam status unionis generatim N. quam haec unio praesens C. Confer, quae sequuntur.

De operatione animae separatae. Gravissima obiectio, quae 648 contra animae immortalitatem proferri posset, haec esset, quod anima a corpore separata omnis activitatis incapax redderetur. Sic enim vere „mortua“, omni nimirum vita in actu secundo orbata esset et etiam eius conservatio rationabili iam fine careret.

1. **Anima separata operari potest.** Potentias quidem sensitivas et vegetativas actu non habet, sed tantum radicaliter, quatenus virtutem retinet, ut, cum primum iterum corpus informat, illae potentiae ex ipsa emanent et organo

corporali communicentur; ergo actus sensitivi et vegetativi in anima separata non sunt. Sed intellectus et voluntas, in sola anima inhaerentes, etiam post mortem manent. Possit autem videri anima separata nullos posse per has potentias actus elicere, quia in hac vita in cogitando a concursu sensus pendet, qui post mortem non adest.

Attamen non potest propterea animae post mortem operatio intellectualis impossibilis reddi. Nam certe manent species memoriales ex cognitionibus vitae praesentis relictae omnesque habitus spirituales. In hac quidem vita anima speciebus uti nequit sine dependentia a sensu. Sed haec dependentia mere externa est et postmodum vel eo solo desinet, quod anima praesenti imperfecta unione cum corpora soluta est, quae nimirum animam, licet in aliis operationibus perficiat, in operatione immateriali aggravare videtur; vel si forte haec dependentia non sola separatione tollitur, ille concursus ex parte sensus, qui in praesenti statu necessarius est, a Deo auctore humanae naturae supplebitur et quidem propter exigentiam animae. Fieri enim nequit, ut anima, quae separata a corpore permanere potest et permanere exigit, amissis sensibus totaliter impediatur a cognitione nobilissima sibique maxime propria. Propter eandem exigentiam Deus etiam novas species, „ex influentia divini luminis participatas"[1]), animae infundet, quaecumque ei ad cognitionem statui futuro convenientem necessariae fuerint et quas per se ipsam ex obiectis cognoscendis accipere non potest. Neque haec operatio suppletoria Dei dicenda est supernaturalis et gratuita, sed naturalis est, saltem naturalis secundum quid, quia animae in statu separationis debita est.

Itaque „intellegere cum phantasmate est propria operatio animae, secundum quod corpori est unita. Separata autem a corpore habebit alium modum intellegendi similem aliis substantiis a corpore separatis."[2])

*649 *2. **De cognitione naturali animae separatae.** Certum igitur est, animam separatam naturaliter cognitiones intellectuales habere. Difficilius est accurate definire, quomodo et quid

[1]) 1 q. 89 a. 1. — [2]) 1 q. 75 a. 6 ad 3.

cognoscere, nempe naturaliter, possit. Non inquirimus, quae sit cognitio supernaturalis, qua beati praeterea fruuntur. Etiam statum poenae praetermittimus; possint enim fortasse damnati in poenam peccati ab aliquibus cognitionibus impediri, quae alioquin naturales sunt. His igitur praetermissis de cognitione naturali animae separatae secundum mentem s. Thomae[1]), Suarez[2]) et communioris sententiae scholasticorum haec fere singillatim dicenda sunt.

a) Cum omnes species habitusque intellectuales, quos anima in vita acquisivit, maneant, anima omnes cognitiones his speciebus respondentes *reproducere* et eorum, quae aliquando percepit et didicit, recordari potest, „non tamen eodem modo, scilicet per conversionem ad phantasmata, sed per modum convenientem animae separatae"[3]).

b) Anima separata etiam *essentiam suam* multo perfectius cognoscere videtur quam in hoc statu, cognitione scilicet propria et intuitiva, sicut est in se. Etenim „rationabile est, ut virtus intellectiva adaequetur perfectioni ipsius animae; sic enim et Deus se comprehendit, quia intellectus divinus adaequatur suae essentiae . . atque inconveniens est, potentiam hanc semper otiosam manere"[4]). Anima separata „se ipsam per se ipsam intelleget"[5]). Anima nunc hac sui intuitione privari videtur per praesentem alligationem ad corpus, qua in operatione spirituali aggravari atque in immaterialitate sua plene exercenda impediri videtur.

c) Propter perfectam cognitionem propriae substantiae 650*
spiritualis etiam naturalis cognitio *Dei* multo perfectior erit. Deum non iam per comparationem ad res corporales, sed ad propriam suam essentiam spiritualem, ergo conceptibus analogicis multo perfectioribus cognoscit. Praeterea anima etiam *angelos* et alias *animas* separatas cognoscet, quippe quorum consortio gaudebit. Et quidem alias animas humanas aeque perfecte cognoscet sicut propriam substantiam; sed angelos imperfectius. Nam „modus substantiae animae separatae", inquit s. Thomas, „est infra modum

[1]) 1 q. 89. — [2]) De anima l. 6. — [3]) 1 q. 89 a. 6. — [4]) *Suarez*, l. c. c. 5 n. 1. — [5]) 1 q. 89 a. 2.

substantiae angelicae, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum; et ideo de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet, de angelis autem imperfectam."[1])

Idem Doctor Angelicus et alii plerique docent, animam ad has cognitiones habendas a Deo species infusas accipere; quae infusio, si admittitur, non simpliciter censenda est opus supernaturale, quia pertinet ad debitum complementum animae in hoc statu. Suarez vero putat: „Probabiliter etiam dici posset, animam eas [species] recipere ab ipsis substantiis spiritualibus eodem modo, quo albedo imprimit species in visu."[2])

d) Anima etiam naturas rerum *materialium* perfectius quam in hac vita cognoscet, saltem quatenus in communi spectantur. Putant scilicet multi, animas separatas non acquirere novas cognitiones naturales rerum factorumque particularium huius mundi ideo, quod „segregatae sunt a conversatione viventium et coniunctae conversationi spiritualium substantiarum"[3]). [Aliud dicendum est de cognitione supernaturali beatorum. „Magis videtur secundum sententiam Gregorii, quod animae sanctorum Deum videntes omnia praesentia, quae hic aguntur cognoscant."[4])]

*651 e) *De locutione spirituali.* Neque animae separatae neque angeli (vel daemones) intueri possunt *secreta cordis* i. e. actus liberos voluntatis et, quantum videtur, actus intellectus aliorum, sive propterea, quia non determinantur his obiectis, sive quia alio modo ab hac cognitione prohibentur. Ratio potissimum haec affertur, quod in s. litteris cognitio secretorum cordis Deo soli tribuitur et dignitas et independentia creaturae rationalis postulare videntur, ne actus, quibus ad Deum, finem suum, refertur, aliorum cognitioni subiecti sint.[5]) Hinc necessitas communicationis oritur. Certum est, animas separatas et angelos posse inter se conceptus suos per quandam „locutionem" communicare. Attamen de modo, quo id fiat, non exstat conformis doctrina. S. Thomas[6]) putat, unum angelum alteri mentem eo solo aperire, quod hanc manifestationem velit suosque conceptus per voluntatem ad alterum dirigat. Attamen cum non satis eluceat, quomodo sola directione per actum

[1]) L. c. Cf. 1 q. 88 a. 1 ad 1. — [2]) L. c. c. 6 n. 4. — [3]) *S. Thomas* l. c. a. 8. — [4]) L. c. — [5]) „Cuius ratio est, quia voluntas rationalis creaturae soli Deo subiacet et ipse solus in eam operari potest, qui est principale eius obiectum ut ultimus finis . . Et ideo ea, quae ex voluntate sola dependent vel quae in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota. Manifestum est autem, quod ex sola voluntate dependent, quod aliquis actu aliqua consideret." 1 q. 57 a. 4. — [6]) 1 q. 107.

(immanentem) voluntatis in alio cognitio oriatur sine ulla impressione accepta, Suarez[1]) doctrinam complens addit, angelum loquentem in altero *speciem* spiritualem imprimere, per quam cognitio rei communicandae in eo producatur.

***Status unionis quo pacto naturalis.** His omnibus consideratis dicendum videtur, cognitionem intellectualem animae in statu separationis perfectiorem esse quam in corpore. „Absolute loquendo", inquit Suarez, „melius intellegit anima separata quam coniuncta."[2]) Sed hinc enascitur quaestio, quo pacto status unionis cum corpore animae naturalis et exigentiae eius consentaneus sit, cum animam a cognitione perfectiore impedire videatur. Ad quod haec dicenda esse videntur. 652*

1. Certum est, *unionem cum corpore naturalem* esse animae atque ab ea exigi. Anima enim ex sua essentia forma corporis est, ad unionem destinata. Per corpus in essendo perficitur et etiam in operando, quatenus in corpore operationes sensitivas et vegetativas exercet, quibus aliter caret, et sine dubio unio etiam ad hoc instituta est, ut anima in operatione rationali corpore et sensibus iuvetur. Attamen etiam status separationis dicendus est animae naturalis, saltem secundum quid (et saltem ad tempus), quia anima nequit semper corpus corruptibile informare et ex natura sua etiam sine corpore exsistere potest.

2. Altera ex parte verum est, *activitatem spiritualem extra corpus meliorem* et liberiorem futuram esse. „Anima separata est quidem imperfectior, si consideretur natura corporis. Sed tamen quodammodo est liberior ad intellegendum, in quantum per gravedinem et occupationem corporis a puritate intellegentiae impeditur."[3]) Sed aeque verum esse videtur, istam activitatem non simpliciter naturalem et perfectam esse, utpote magis spiritui puro proportionatum. Ergo neque status unionis cum hoc corpore corruptibili neque status separationis animae plene congruit.

Ad hanc *difficultatem* plenius solvendam Suarez haec animadvertit: „Statum maxime consonum inclinationi animae nostrae esse perpetuam cum corpore unionem corruptioni non obnoxiam et a cognitione perfecta rerum omnium non impedibilem, quem statum habebunt animae beatorum post resurrectionem. Quae certe resurrectio si naturalis esset, cessaret difficultas praesens. Diceretur quippe, animam quasi ab imperfecto ad perfectum procedere, ut primo naturale ei esset residere in corpore, in quo pro aliquo tempore non uteretur ratione, deinde, ut paulatim acquireret corpus, in quo uti posset ratione, sed adhuc imperfecte et quasi in via ad statum perfectiorem; postmodum vero a corpore separatam . . maiorem intellectus perfectionem acquirere . . Denique corpori reunitam a Deo nancisci omnem suam perfectionem."[4]) S. Thomas autem revera existimat, resurrectionem, attamen sine illa gloria, quae in hoc ordine supernaturali additur, animae debitam esse ideoque etiam in

[1]) De angelis l. 2 c. 28. — [2]) De anima l. 6 c. 8 n. 2. — [3]) 1 q. 89 a. 2 ad 1. — [4]) *Suarez* l. c. n. 6.

statu naturae locum habituram fuisse. In hac igitur sententia dici possit, animam quidem a cognitione sua perfectiore impediri per *hunc* statum unionis, qui ipsi naturalis sit ad inchoandam vitam in loco probationis, sed non impediri per perfectiorem statum unionis, qui ei simpliciter naturalis sit et perpetuus.

*653 De *resurrectione* corporum s. Thomas ita loquitur: „Manifestum est, quod anima corpori naturaliter unitur; est enim secundum suam essentiam corporis forma; est igitur contra naturam animae absque corpore esse. Nihil autem, quod est contra naturam, potest esse perpetuum; non igitur perpetuo erit anima absque corpore. Quum igitur perpetuo maneat, oportet eam corpori iterato coniungi, quod est resurgere. Immortalitas igitur animarum exigere videtur resurrectionem corporum futuram."[1]) Idem alio modo demonstrat: „Debetur hominibus et secundum animam et secundum corpus praemium vel poena . . Necessarium igitur est, ponere iteratam animae ad corpus unionem."[2]) — Alii, ut Suarez et Lessius, resurrectionem in statu naturali potius negandam esse arbitrantur.

Videtur dicendum esse, resurrectionem valde convenientem esse propter rationes allatas, etsi non satis demonstrari potest, eam necessariam esse.

Caput IX

De origine hominis

654 Iam ultimum inquirendum restat, quae sit hominis origo. Psychologia quidem animam potissimum prae oculis habet ideoque etiam animae originem imprimis spectat. Sed quia anima neque est neque oritur sine corpore, ipsa ab homine et origo eius ab hominis origine seiungi non potest. Praeterea praecipuus error hodiernus originem hominis spectans, evolutionismus, non solum hominis, sed etiam animae rectam notionem graviter depravat. Ideo de origine hominis, non animae solum tractandum erit. Distinguimus autem duas partes, primum quaerentes, quae sit singulorum hominum, quos nasci videmus, origo, deinde quinam fuerit prima generis humani seu primorum hominum ortus.

Art. 1. De origine singulorum hominum

655 Nunc homines singuli a parentibus suis generantur, eatenus saltem, quatenus corpus a parentibus accipiunt. Dubitatio tantum de anima moveri possit, utrum fortasse simili modo sicut corpus a parentibus sumatur, an vero aliunde corpori infundatur. Quae quaestio olim multis implexa visa est. *Aristoteles* de origine animae obscure loquitur. Tantum dicit, in ortu hominis ad animam vegetativo-sensitivam, quae generatione oriatur, advenire foras (θύραθεν) animam intellectualem (νοῦς), qui, utpote spiritualis, generatione produci nequeat; non tamen ulterius explicat, unde veniat. Cum creationem ex nihilo nescire videatur, vix aliud nisi praeexsistentia relinqui videtur (cf. n. 18). Ab aliis aliae sententiae proponuntur et quidem potissimum hae:

1. *Emanatismus pantheisticus* tenet, animam ex substantia divina emanare sive tamquam particulam aliquam decerptam, ut stoici, neoplatonici, gnostici, manichaei et hodierni theosophistae arbitrantur, sive tamquam modum vel phaenomenon, quo substantia divina se manifestet, ut strictioris pantheismi asseclae opinantur. — Quae tamen sententia, quatenus aliquam decerptionem statuit, absolutae simplicitati et immutabilitati Dei repugnat, quae nullam divisionem admittit; quatenus autem animam solum modum divinitatis esse contendit, variis absurditatibus pantheismi se implicat.

2. *Traducianismus (generatianismus)* docet, parentes generare animas et quidem vel per semen corporale vel per quoddam semen spirituale ab anima sua emissum. Huic opinioni Tertullianus et varii haeretici addicti fuerunt; etiam s. Augustinus, Gregorius M. et aliqui alii Patres ad eam propendebant, quia propagationem peccati originalis facilius explicare videbatur. — Attamen anima per semen parentum generari nequit. Neque enim per semen corporale produci potest, quia corporea non est, neque per semen spirituale ab anima parentum decerptum producitur, quia haec simplex est.

3. *Evolutionismus anthropologicus* contendit, primos homines spectato corpore et anima aliquando per evolutionem ex brutis ortos esse; consequenter igitur tenet, etiam hodie

[1]) C. gent. IV 79. — [2]) L. c.

animas non creari, sed a parentibus generari, sicut in animalibus brutis accidit.

Nunc per doctores scholasticos veritas iam in luce posita est, animam immediate a Deo ex nihilo creari.

Th. 38. **Homines singuli spectato quidem corpore a parentibus generantur (1. p.), anima autem a Deo ex nihilo creatur (2. p.).**

656 **Demonst. 1. p.** Constat, corpus humanum immediate ex materia parentum sumi, quatenus secundum leges naturales semen paternum cum ovulo materno coniungitur, quae coniunctio conceptio vocatur; deinde embryum paulatim in utero matris perficitur, donec elapsis novem mensibus infans nascitur. Ergo singuli homines spectato corpore a parentibus generantur.

Tamen parentes, licet tantum corporis, non etiam animae causa sint, recte *hominem generare* dicuntur. Quatenus enim materiam corporis praebent eique illam dispositionem conferunt, quam ex lege a Deo decreta infusio animae sequitur, non solum corporis, sed etiam *unionis* corporis cum anima causa sunt, qua unione homo fit. Similiter etiam ille occidere hominem dicitur, qui causa est separationis animae a corpore, etsi animam ipsam non occidit.

657 **Demonst. 2. p.** *Creatio* est productio rei ex nihilo i. e. talis, ut non adsit materia sive subiectum, ex quo producatur. Plerique effectus ex aliquo subiecto producuntur, quod tamquam materia sustentando ad productionem effectus concurrit; ita motus in lapide, cogitatio in anima, anima bruti in corpore efficiuntur. Si res penitus ex nihilo fit, ut nullum subiectum supponatur, ex quo vel dependenter a quo fiat, creatio habetur; ita prima mundi materia facta est, ita angeli producti sunt. Hac ratione etiam animam humanam a Deo creari affirmamus. Quod sic demonstratur:

Anima humana producitur (1) et quidem ex nihilo (2) et immediate a Deo (3). Ergo anima a Deo ex nihilo creatur.

1) *Anima producitur.* Non enim a) ad mentem emanatismi et pantheismi tamquam particula ex spiritu divino emanat sive decerpitur vel modus quidam est ac phaenomenon improductum entis absoluti. Illud repugnat simplicitati et immutabilitati Dei, qui nullius divisionis capax est, alterum autem omnibus ineptiis pantheismi implicatur. b) Praeterea anima aliquando incepit, non aeterna est. Haec aeternitas imprimis nulla ratione ostenditur. Deinde, quia anima per aeternitatem infinitos actus intelligendi et appetendi habuisset, comprehendi non posset, cur nullam horum memoriam habeamus omnesque ideas ab initio acquirere debeamus. Quod autem incipit, producitur.

2) *Anima producitur ex nihilo.* Omne, quod producitur, 658
aut producitur ex aliquo subiecto aut ex nihilo per creationem. Atqui anima humana non producitur ex subiecto, producitur quidem *in* aliquo subiecto (informationis), scilicet in corpore, sed non producitur *ex* subiecto (sustentationis) seu cum dependentia ab eo. Nam subiectum, ex quo anima produceretur, tantum corpus esse posset, quocum anima unitur et unita manet. Sed corpus non est tale subiectum. Nam anima postea in corpore quidem est, attamen a corpore in essendo non pendet, sed etiam sine corpore esse potest. Quodsi in essendo a corpore non pendet, neque in fieri pendet; quia esse rei et fieri, exsistentia et inceptio exsistentiae inter se correspondent et eiusdem rationis sunt. Seu *aliter:* si anima in primo suo momento, quo fit, ex natura sua subiectum ut sustentaculum exigeret, eandem exigentiam semper retineret, quia eius natura non mutatur; sed postea exigentia non adest, ideo neque illo momento adest, quo anima fit.

3) *Animam immediate a Deo creari,* non vero ab alia creatura, satis manifestum est. In theodicea ostenditur, solum Deum creare posse. Deinde praeter Deum soli parentes videri possint animas filiorum creare. Iam vero universalis experientia ostendit, homines numquam aliquid ex nihilo producere posse, non quidquam corporale, multo minus igitur spirituale. Et talis creatio non aliter nisi solo voluntatis imperio fieri posset. Iam vero constat, homines non posse quidquam solo voluntatis imperio ex nihilo facere;

multo minus animas creare possunt, quippe quarum natura iis fere penitus ignota est.

Quamquam igitur in generatione hominis tantum anima creatur, tamen etiam verum est, quod dici solet, *totum hominem a Deo creatum* esse. Nam anima immediata creatione ex manibus Dei prodiit. Corpus autem mediate saltem a Deo creatum est; nam materia corporis cum tota mundi materia initio divinitus creata fuit, et praeterea Deus auctor legum est, secundum quas corpus prolis a parentibus generatur et formatur.

659 **Obiectiones.** 1. Bruta producunt animam prolis, ergo similiter etiam parentes humani. — *Resp.* N. parit.

2. Filii saepe etiam quoad animam parentibus similes sunt. — *Resp.* D. propter dispositiones corporales a parentibus acceptas C. propter animam parentibus productam N. Confer infra, De hereditaria transmissione.

3. Anima producitur dependenter a formato corpore embryonali. Ergo non creatur. — *Resp.* D. ant. tamquam a causa materiali sive subiecto sustentante N. tamquam a condicione, a qua Deus primam animae originem dependentem facit C.

4. Si Deus ipse animam corporibus infunderet, cooperaretur peccatis adulterii et auctor esset peccati originalis. — *Resp.* N. 1. p.; tantum cum adulterio effectum ex se bonum coniungeret. N. 2. p., quia creatio animae solum condicio est, qua posita per accidens privatio gratiae seu peccatum originale sequitur; quod non ex creatione animae ut tali, sed inde oritur, quia anima creata fit anima alicuius filii Adae et propterea ex culpa capitis generis humani gratia privata est, quam habere debebat.

*Th. 39. **Neque praeexsistentia neque migratio animarum ex uno corpore in aliud admittenda est (1. p.). Videtur autem anima rationalis corpori infundi in conceptione (2. p.).**

*660 **Declar.** Certum igitur est, animam a Deo creari. Sed non iam eo ipso accurate tempus creationis determinatum est; et reapse hac in re diversitas opinionem invenitur.

1. Primum fuerunt et adhuc sunt, qui animae *praeexsistentiam* ponunt arbitrantes, animam iam ante unionem cum corpore exsistere. Plato docuit, animam antea in mundo quodam spirituali vixisse, sed deinde in corporis carcerem detrusam esse. Similem praeexsistentiam Philo, neoplatonici, origenistae et aliquae sectae haereticae admiserunt. Antiqui pythagorei, Plato, variae gentes antiquae et recentes, ut Aegyptii, buddhistae, praeterea cum praeexsistentia opinionem *migrationis* animae (metempsychosim) coniungunt opinantes, homine mortuo animam in corpus bruti ingredi vel denuo novum corpus humanum induere. Haec opinio buddhistica sive theosophistica inter hodiernos cultos a religione christiana aversos frequens est: post varias reincarnationes, quae animae purificandae inserviant, animam ultimum finem suum et liberationem ab omni malo obtinere, quatenus exstincta propria individualitate in ens absolutum recipiatur.

2. Complures sententiae in eo conveniunt, quod affir- 661*
mant, animam *illo momento incipere, quo corpori unitur.* Sed de ipso hoc momento dissentiunt. A quo quaestio pendet, sitne abortus sive eiectio foetus immaturi ex utero matris, quam leges ecclesiasticae damnant et etiam civiles hucusque plerumque puniunt, occisio hominis habenda necne. In antiquitate sententia *stoica,* late vulgata, docuit, foetum demum, quando paritur, anima rationali praeditum esse. Illo tempore leges civiles et praesertim ecclesiasticae abortum graviter damnarunt ut rem crudelem et peccatum contra vitam, at non distincte ut homicidium. Postea sententia *peripatetica* ex Aristotele derivata usque ad recens tempus praevaluit. Quae docet[1]), embryum humanum non statim a primo momento, quo se evolvere et vivere incipit, anima rationali informari, sed primum animam mere vegetativam in embryo esse, productam per virtutem generantem parentum, in huius locum postea succedere animam, quae simul sensitiva et vegetativa sit, sed etiam istam postmodum perire et tunc demum infundi animam rationalem et quidem eo tempore, quo foetus ad convenientem organisationem pervenerit. In foetu virili multi putabant id accidere quadragesimo, in femineo vero octogesimo die post conceptionem; alii alia tempora assignabant. Ideo ius can. posterioris aetatis abortum iam ut homicidium damnat, sed cum restrictione: „si foetus animatus sit". Quae restrictio iam

[1]) Cf. e. g. s. *Thomam* 1 q. 118 a. 2 ad 2.

omittitur. Nunc enim fere communiter affirmatur, ab initio conceptionis vel paulo post animam rationalem infundi. Quae sententia non quidem cum certitudine demonstrari potest, attamen valde probabilis dicenda est et inter catholicos theologos, philosophos, medicos fere communis est.[1]) Conceptio autem in eo consistit, quod semen paternum sive spermazoon cum ovulo materno coniungitur, qua coniunctione facta evolutio embryi humani incipit.

*662 **Demonst. 1. p. A.** 1) Animae *praeexsistentes* aut dicuntur habere actus intellectus et voluntatis aut non. Si tales actus non habent ideoque omni vita actuali privatae sunt, exsistentia earum fine caret ideoque sapientiae divinae adversatur. Sin autem eos habent, actus intellectuales certe species memoriales relinquunt, sicut nunc. Hoc supposito autem explicari non potest, cur animae illius vitae et status praeteriti memoriam, num fuerint felices an infelices, fuerint in milite an philosopho, in lepore an leone, non habeant, et cur omnes ideas et scientias necesse sit ita ab initio acquirere, acsi anima nullas species haberet. Nec dici potest, memoriam per unionem cum corpore impediri. Quia unio cum corpore naturalis est, intellegi nequit, animam per unionem omni sua copiosa perfectione intellectuali acquisita spoliari.

2) Praeterea anima essentialem destinationem ad corpus informandum habet; „non fuit autem conveniens, ut Deus ab imperfectis suum opus inchoaret et ab his, quae praeter naturam sunt"[2]), i. e. ut primum animam extra corpus poneret.

B. Opinio, quae statuit *transmigrationem* animae ab uno corpore in aliud sive humanum sive beluinum, 1⁰ testimonio conscientiae refutatur, quia vitae illius, quam anima nostra prius in alio corpore egisse dicitur, memoriam haberemus, sicut etiam nunc omnium recordamur, quae decenniis praeteritis in hoc corpore egimus. 2⁰ Speciatim informatio corporis beluini naturae animae repugnat, quippe quae tantum ad corpus humanum informandum et efformandum ordinatur. Denique 3⁰ talis migratio nulla ratione demonstratur. (Neque in poenam peccati commissi decerni potuit; poena enim rationabilis non est, si quis delictorum non recordatur.)

[1]) „Hodie", testatur *Noldin-Schmitt,* „recepta doctrina est, foetum humanum in ipsa conceptione vel non multo post ab anima rationali informari et vivificari." De praeceptis[21] (1932) n. 342. — [2]) 1 q. 118 a. 3.

Demonst. 2. p. A momento conceptionis vel paulo post in ovo fecundato inest proprium principium vitae vegetativae, anima, quae gradatim corpus specifice humanum efformare incipit et pergit. Statim enim in ovulo nutritio, cellarum divisio et multiplicatio incipiunt, quae festina evolutione ad formam humanam producendam tendunt. Post duas tresve hebdomadas iam praecipua organa humana, maxime caput (cum cerebro) clare apparent, post duos menses integra forma satis perfecte figurata est. *Atqui* hoc supposito dicendum videtur, statim in conceptione illam unam animam rationalem, quae postea adest, infundi. Nam 663*

a) Anima vegetativa initio exsistens actiones suas vegetativas homini ut tali convenientes exercet, non tantum organa pure vegetativa, sed etiam sensitiva efformans et quidem, sicut vitae sensitivae entis rationalis accommodata sunt, quod praecipue in matura capitis productione elucet. Talis autem anima, ex natura in procurandam vitam perfecte humanam directa, videtur simul sensitivo-rationalis esse, ergo in conceptione iam a Deo infundi.

b) Nulla ratio sufficiens inveniri potest, cur prius aliae animae praecedant. Nam una ex parte anima rationalis etiam principium vitae vegetativae est et quidem tale, quod per totum vitae tempus ad corpus humanum efformandum et conservandum tendit. Alia ex parte non obstat, quod anima rationalis non statim etiam sensitivas et rationales operationes exercere potest. Sufficit enim, ut possit aliquas operationes habere. Infantibus enim nascentibus certe anima rationalis non denegatur, licet operationem nobilissimam, rationalem, nondum exerceant; si igitur postulari nequit, ut anima omnes operationes exerceat, sufficit, ut possit aliquas habere.

Art. 2. **De transmissione hereditaria**

664 Filii, a parentibus generati, etiam qualitates parentum et maiorum hereditaria transmissione accipere solent. Quae transmissio nunc obiectum studiosae inquisitionis effecta est et certe ad rectum iudicium de multis rebus psychologicis, paedagogicis, medicinalibus, criminalibus formandum utilitatem affert.

Ex communi sententia multae qualitates in filios transferuntur, qualitates corporales, velut oculorum, faciei, staturae, et qualitates psychicae, ut temperamentum, ingenium musicum, morbi psychici; idque non solum per unam, sed saepe per multas generationes. Nunc potissimum qualitates *psychicas* et quidem *accidentales,* individuis vel rassis peculiares, spectamus; qualitates enim specificas humanas a parentibus cum ipsa natura transfundi manifestum est. Qualitates autem non tam ipsae, quam potius dispositiones, ex quibus proveniunt, transmittuntur.

Transmissio hereditaria adesse intellegitur, quando parentes qualitates per generationem stabiliter in filios transmittunt. Qualitates igitur hereditariae magna ex parte idem sunt, quod ingenitae. At non penitus idem. Omnes qualitates hereditariae ingenitae sunt, sed non omnino vicissim. Potest enim fieri, ut eaedem causae externae, velut eaedem nutritionis qualitas et copia, eaedem regionis proprietates et vitae condiciones, similis educatio et culturae indoles in parentes et prolem et complures generationes eodem modo agant similesque in iis qualitates producant, quae deinde causis cessantibus cessant; similitudo non per actum generationis, sed per causas externas producta est et conservatur. Neque si cessantibus causis ipsa non statim cessat, sed per unam alteramve generationem plus minusve perdurat, quia videlicet cytoplasma cellarum germinalium parentum illis causis aliquam modificationem passum est, quae aliquamdiu transfertur, nec tunc transmissio hereditaria stricte dicta adest, quia stabilitas deest; qualitates potius extrinsecus, quam ex ipsis parentibus venire dicendae sunt. Minus etiam transmissio adest, si infantibus ex impedimentis vitae foetalis stabiles dispositiones adveniunt; quae pariter ad ingenitam constitutionem pertinent, sed hereditariae appellari nequeunt. — At vero stabilitas ad hereditatem postulata non absoluta intellegenda est, sed relativa, diuturna videlicet, per multas generationes continuata. Qualitates hereditariae enim, sicut per varias causas ortae sunt, ita etiam paulatim, quamquam lente, mutari possunt.

Summa dispositionum hereditate acceptarum *genotypus* 665
hominis vocatur. Qui distinguendus est a *phaenotypo* sive summa qualitatum, quae in homine extrinsecus apparent. Qui a genotypo non parum differre potest, quia praeter hereditarias etiam acquisitas qualitates comprehendit idque non raro sic, ut dispositiones hereditariae et ingenitae per acquisitas ita modificentur sive voluntate comprimantur, ut extrinsecus parum in actum prodeant et manifestentur.

Th. 40. **Etiam qualitates psychicae hereditate transmitti possunt (1. p.), sed plerumque difficulter de ea constare potest (2. p.). Transmittuntur autem indirecte per corpus a parentibus acceptum (3. p.).**

Demonst. 1. p. Sine dubio *non omnes qualitates psychicae* 666
hereditariae sunt, nec omnes illae, quae saepe putantur. Sed plurimae per causas externas et proprias actiones acquisitae sunt. Constat enim, caelum, regionem, modum vivendi, laborandi, familiam, nationem, classem culturalem, exempla, doctrinas, educationem, consuetudines libere assumptas multum valere ad has qualitates producendas, inducendo novas, dispositiones nativas modificando vel supprimendo. Attamen id plerumque indirecte tantum, quatenus certam rationem apprehendendi, appetendi movent sive voluntati nova motiva vivendi afferunt itaque homini certas consuetudines iudicandi, volendi, agendi conferunt. Hac ratione multae qualitates, quae interdum nativae putantur, familiares, nationales et aliae, omnino vel ex parte acquisitae sunt. Attamen aeque certum est, qualitates psychicas posse hereditate transfundi et interdum revera transmitti.

1. Id iam ex eo sequitur, quod qualitates *corporales* a parentibus accipiuntur. Frequenter enim filios cum parentibus et inter se facie vel statura ita similes esse conspicimus, ut haec similitudo clare hereditatem indicet; corpus enim filiorum ex cellis germinalibus parentum excrescit. Quia igitur vita psychica a constitutione corporis permultum pendet, fieri potest et interdum revera fiet, ut ex eadem generatione in filiis dispositiones psychicae parentibus similes oriantur.

2. *Interdum de tali transmissione constat.* Nonnumquam tanta est tamque stabilis in qualitatibus psychicis ingenii vel characteris filiorum et maiorum atque reliquae familiae congruentia, ut aliter nisi ex transmissione explicari nequeat. Saepe quidem talis convenientia, velut similis excellentia sive tarditas mentis, similis dos musicalis, inde ortum trahere potest, quod filii eandem sicut parentes a pueris instructionem et exercitationem acceperunt. Attamen non semper. Constat pariter, aegrotationes psychicas, ut schizophreniam, epilepsim, amentiam manico-depressivam, hereditate transmitti, non raro per complures generationes; primus eorum ortus saepe hic est, ut cellae germinales parentum morbis infectuosis, ebrietate, syphili, plumbo, hydrargyro aliisve causis (per „idiokinesim") vitiatae sunt. Etiam diligens inquisitio geminorum (F. Galton, v. Verschuen, Lottig) psychicam transmissionem demonstrare viditur: gemini corporaliter plane congruentes, etsi mox separati et in diversis adiunctis adolescentes, magnam intellectualem et characteriologicam similitudinem retinent[1].)

667 **Demonst. 2. p.** Saepe difficulter constat, qualitatem psychicam, velut characteriologicam, etsi aliqua stabilitate praeditam, in singulis generationibus hereditariam esse, non vero per similes causas externas, eandem educationem, easdem condiciones sociales et culturales constanter productam esse; quando vero qualitas causis illis cessantibus ulterius durare conspicitur, nescitur, num haec stabilitas tanta futura sit, quantam hereditas requirit. Praeterea dependentia qualitatum psychicarum, spiritualium maxime, a corpore, quamquam adest, non tanta tamque stricta est, ut certae proprietates corporales stricto nexu et proportione certas qualitates psychicas secum trahant. Hae non solum a corpore, sed etiam et magis ab anima procedunt et quidem spirituales a sola anima, quae insuper, immediate a Deo facta, ex prima sua creatione qualitatibus a parentibus diversis instructa esse potest, quo stricta congruentia cum qualitatibus corporalibus etiam magis impeditur. Denique quia proprietates psychicae, praesertim characteriologicae, potestati voluntatis et consuetudinum subsunt, stabilitas earum minor est et certe minus dignosci potest quam constantia qualitatum corporalium.

[1]) Testimonia quoque scholaria, quae pueri singularum familiarum per generationes acceperunt, invicem comparata sunt; quae similem transmissionem ingenii ostendere dicuntur. *W. Peters,* Die Vererbung geistiger Eigenschaften (1925).

Demonst. 3. p. Qualitates psychicae a parentibus tantum 668
per illud transmitti possunt, quod filii ab iis accipiunt. Accipiunt autem tantum corpus. A qualitatibus corporis pendet vita sensitiva et a vita sensitiva aliquatenus spiritualis. — Haec transmissio tantum *indirecta* dicenda est, quia non per animam, principium suum primarium vel, si spirituales spectantur, unicum, transferuntur.

Itaque cella seminalis paterna cum cella ovali matris coniungitur et sic cella embryonalis oritur, quae deinde mirabili arte et celeritate in plures et plurimas cellas se dividit et sic crescit. Cellae igitur germinales sunt subiecta et principia qualitatum, quae ab utroque parente in prolem transfunduntur, ut nulla sit qualitas transfusa, quin ex hereditaria dispositione seu virtute cellarum germinalium prodeat; in his cellis depositum hereditarium a generatione in generationem tradendum continetur. In novo individuo ex parentibus orto tum novae cellae germinales tum aliae oriuntur. Novae cellae germinales iterum totam substantiam hereditariam huius novi individui accipiunt nova generatione posteris transmittendam, reliquae autem cellae par-

tes accipiunt, quantum requiritur, ut fiant cellae musculares, osseae, nerveae et aliae.

669 Ergo tantum illae qualitates, quae dispositive in cellis germinalibus parentum continentur, transmittuntur. Tales iam ab initio parentibus *ingenitae* sunt. Qualitates autem, quae in parentibus per decursum vitae caelo, aere, cibo, ratione vivendi et similibus causis productae vel *acquisitae* sunt, sive corporales sive psychicae, per se hereditate non transferuntur; robur musculorum patris labore acceptum non transit in filios. Attamen si causae has qualitates producentes per multas generationes constanter influunt, etiam ipsae ita firmari possunt, ut hereditariae evadant. Observatio cum certitudine ostendere videtur, multas proprietates, quibus diversae rassae differunt quaeque certe paulatim extrinsecus productae sunt, ita constanter transmitti, ut id aliter nisi ex hereditaria transfusione explicari nequeat. Quae transfusio eo efficitur, quod paulatim cum qualitatibus corporis etiam congruenti modo cellae germinales mutantur.

Communis sententia tenet, qualitates hereditarias affixas esse particulis illis cellarum germinalium, quae *chromosomata* vocantur, et per eas transfundi. Ergo, quia cellae germinales duplicis parentis coeunt, ita transmittuntur, ut substantiae hereditariae a patre et matre secundum partes dimidias in prolem transfundantur.

670 Complexus qualitatum hereditate transmittendarum ex qualitatibus elementaribus componitur, veluti certo colore oculorum, forma crinium, nasi, frontis, sexto digito anormali. Qui complexus in utroque parente non aequales esse, sed aliquas invicem oppositas qualitates continere solent. Communis sententia tenet, harum qualitatum oppositarum transfusionem in plantis et animalibus secundum *leges mendelianas* fieri.[1]) Eaedem leges ad hominem quoque extendi solent. Idque non immerito, si de qualitatibus corporalibus

[1]) *Greg. Mendel* († 1884), celeberrimus fundator hodiernae de transmissione hereditaria scientiae, fuit abbas O. S. Aug. Brunae in Moravia. Confer Cosmol., De vita plantarum (Notiones biologicae).

agitur, propter generalem similitudinem generationis in homine et in aliis viventibus (etsi in homine non sicut in his sufficienter experimentis probari possunt). At in qualitatibus psychicis non aeque indubiae sunt et certe in concretis casibus difficulter agnosci possunt, quia hae qualitates non simpliciter proprietatibus corporalibus determinantur iisque astringuntur, ut supra diximus.

Leges mendelianae docent, qualitates oppositas duorum parentum, ut staturam magnam et parvam, non semper ita transmitti, ut invicem temperent et qualitatem mediam producant (quod saepe in prima generatione accidit), sed plerumque inter se independenter et divisim transfundi, nec, si complures eiusmodi oppositae qualitates adsunt, eas in posterioribus generationibus semper omnes vel simul adesse vel simul deesse, sed modo ita, modo aliter coniunctas sive divisas inveniri. Aliqua qualitas etiam aliquamdiu in statu latenti sive „recessivo" manere et demum in posteriore generatione apparere potest; filii interdum uni tantum parenti similes sunt et qualitates avorum saepe in nepotibus apparent. Ex his legibus deduci solet, qualitates elementares (hereditarias accidentales) singulas alligatas esse distinctis particulis chromosomatum cellarum germinalium, quae *gena* (Gene) vocantur, sed id non sine magna genorum conspiratione ita, ut varie eadem qualitas simul a compluribus genis pendeat et idem genum simul in complures qualitates influat.

Quale momentum rassae tribuendum sit. Diversarum qualitatum hereditate efficitur, ut paulatim stabilia hominum discrimina oriantur, qualia potissimum in rassis inveniuntur. 671
Singulis sua rassa aliquas qualitates tribuere solet, quibus cum conrassalibus conveniunt et ab aliis differunt. De momento rassae nunc vehemens disputatio agitatur, in scientiis et magis etiam extra. Sunt, qui putent, utique minus recte, rassarum distinctioni plane nullum momentum inesse, quippe in quibus nulla stabilitas, nulla certa circumscriptio et ab aliis divisio deprehendi queat; ne definitionem quidem rassae inveniri posse. Alii e contrario praedi-

cant (praesertim quando suam rassam omnium optimam esse credunt), rassam esse praecipuam causam integrae indolis, tum praestantiae tum exiguitatis, individuorum et populorum, ab ea provenire praecipuas eorum proprietates corporales et psychicas atque etiam differentias fundamentales in modo cogitandi et sentiendi, in conceptionibus religiosis, moralibus, philosophicis. Propterea praecipua hominum discrimina non in populorum, sed in rassarum differentiis ponenda et adnitendum esse, ut propria rassa pura conservetur sive restituatur neve mixtione cum aliis rassis corrumpatur.

Huic cultui rassae, quam sententia modo exposita profitetur quamque nunc interdum propagant, initium dedit *A. Gobineau,* vir ingeniosus et poetica indole praestans, sed doctrina leviore instructus, per opus „Essai sur l'Inégalité des Races humaines" (1853–5); qui rassam germanicam (nordicam) primam et omnis culturae auctricem habet et mixtionem cum aliis rassis tamquam perniciosam damnat. Eius doctrinam postmodum *H. St. Chamberlain,* „Die Grundlagen des 19. Jahrhunderts" (1899) ferme suam fecit et propagavit et nunc alii adoptant et celebrant. Qui ita fere sentiunt: „Anima est rassa intrinsecus aspecta. Et e contrario rassa est externa facies animae." „Nova huius nostrae aetatis conceptio mundi affirmat: anima populi per rassam determinata est mensura omnium nostrarum cogitationum, omnis desiderii voluntatis et omnium actionum, ultima mensura valorum nostrorum."[1]) „In aequalibus condicionibus externis, aequalibus oeconomicis et socialibus adiunctis unaquaeque rassa suam specialem ipsique soli propriam fortunam produxit atque vitam spiritualem et opiniones morales creavit."[2])

---

[1]) *A. Rosenberg:* „Seele bedeutet Rasse von innen gesehen. Und umgekehrt ist Rasse die Außenseite einer Seele. Die Rassenseele zum Leben erwecken heißt ihren Höchstwert erkennen und unter seiner Herrschaft den anderen Werten ihre organische Stellung zuweisen: in Staat, Kunst und Religion." „Demgegenüber erklärt die neugeborene Weltanschauung unserer Zeit: die rassengebundene Volksseele ist das Maß aller unserer Gedanken, Willenssehnsucht und Handlungen, der letzte Maßstab unserer Werte." Der Mythus d. 20. Jahrhunderts[20] (1934) 2 697. — [2]) *H. Günther:* „Hatte die sog. spiritualistische Geschichtsbetrachtung als gestaltende Mächte des geschichtlichen Lebens geistige Kräfte und sittliche Gedanken gesehen; hatte die sog. materialistische Geschichtsbetrachtung als geschichtegestaltend . . die stoffbedingten Zustände gesehen, so sieht die rassenkundliche Geschichtsbeschreibung als geschichtegestaltend den Menschen selbst, den Menschen aber als ein Glied seiner besonderen Rasse . . Unter den gleichen wirtschaftlichen und Umweltzuständen, den gleichen wirtschaftlichen und gesellschaftlichen Zuständen schaffte jede Rasse das ihr besondere und nur sie kennzeichnende eigene Geschick und bestimmte Geistesleben und sittliche Anschauungen." Rassenkunde des deutschen Volkes. 77. Tausend (1934) 21.

1. *Rassa* (race, Rasse), ut ab eius definitione incipiamus, intellegi solet magna hominum collectio, qui hereditario complexu earundem qualitatum corporalium praediti sunt.[1]) A rassa distinguenda est *natio* sive *populus* (in sensu ethnologico, non politico), qui est complexio eorum, qui communi quadam evolutione historica et certa culturae, linguae praesertim, communitate coniuncti sunt et coniunctos se sentiunt. In una rassa complures populi et in uno populo complures rassae (saltem si non multum diversae sunt) esse possunt. Rassa qualitates corporales, natio potissimum culturales spectat. Illa anthropologiae, haec ethnologiae obiectum est. 672

2. *Rassarum distinctioni verum momentum inest.* Nam rassarum differentiae revera *exsistunt,* saltem eatenus, quatenus quidam complexus qualitatum corporalium in compluribus earum individuis prominenti modo, in permultis ex reliquis saltem aliquatenus inveniuntur, licet hisce differentiis circumscribendis et agnoscendis semper aliqua incertitudo inhaereat. Sed non iam ab initio humano exsistunt, verum paulatim ortae sunt. Omnes, quae nunc sunt, speciatim quae in Europa inveniuntur, ex varia aliarum rassarum mixtione ortae sunt; quo modo, non iam certo cognosci potest. Sine dubio omnes qualitates differentes olim *per causas externas factae* sunt. E. g. forma crispa crinium effectus caloris est; color corporis, crinium, oculorum ex vario pigmento in cellis collocato oritur, quod pariter influxui causarum externarum subiectum est; statura corporis, cui forma capitis accommodatur, magna ex parte a plaga terrae et varietate victus pendet; similiter in reliquis. 673

Rassae igitur spontanea naturae producta ideoque a natura et naturae conditore intentae sunt. Conferunt, ut copia potentiarum, quas natura humana continet, omni ex

---

[1]) A nonnullis definitioni inseritur: et qualitatum psychicarum. Sed minus apte. Rassa enim in homine primum idem significat, quod in animali et plantis, a quibus desumpta est. Praeterea vix umquam sufficienter constat de hereditaria summa qualitatum psychicarum cum certa rassa firmiter coniuncta; et, si qua est, causata concipitur qualitatibus corporalibus rassae.

parte explicentur in bonum generis humani et gloriam conditoris.

Sine dubio proprietates rassarum etiam aliqua *praestantia* corporali differre atque aliquatenus fundamentum hereditarium, licet admodum incertum, discriminis alicuius in qualitatibus psychicis et culturalibus praebere possunt. Cavendum autem imprimis est, ne praestantia propriae rassae ultra veritatem extollatur conumerandis et exaggerandis dotibus et tacendis vitiis propriis, aliorum autem qualitatibus deprimendis; quae est solita et simplex superbiae humanae methodus.

Itaque rassarum proprietates contemnendae non sunt atque, in quantum bonae sunt, studium ad eas fovendas et conservandas adhibendum est. Neque, si merito timetur, ne propria praestantia mixtione cum aliis rassis (multum diversis) damnum capiat, aliquis conatus ad eam impediendam vituperandus est. Qui tamen semper talis esse debet, ut amor non violetur et singulorum iura, velut in matrimonia libere ineunda et in educationem filiorum, serventur. Ceterum de effectibus bonis sive malis talis mixtionis scientifice hucusque nullae leges cum aliqua certitudine ostendi potuerunt.

Scientia, quae de conservandis et provehendis bonis qualitatibus hereditariis (rassae, populi, familiae) agit, inquirens et exponens, quibus mediis adhibendis et damnis (morbis hereditariis) arcendis sanae familiarum propagini consulatur, *Eugenica* vocatur (distinguenda ab Hygienica, quae non de sana genesi, sed de sanitate hominum natorum tractat).

674 3. *Reiciendus est cultus rassae,* qui ei immoderatum momentum tribuit asserens, eam esse principalem causam et mensuram perfectionis humanae etiam fundamentalia discrimina eius producentem.

a) Qualescumque sunt, quas rassa affert, *differentiae, tantum accidentales* et, si cum specificis proprietatibus omnibus communibus comparantur, *parvae* sunt. Principalia hominis in omnibus eadem sunt: eadem membra, eadem evo-

lutio, idem initium et finis, eaedem functiones biologicae facultates psychicae, leges sentiendi, cogitandi, idem usus linguae, idem ortus ex Deo et finis in Deo, idem ordo supernaturalis. Quare illud, quod rassa addit, quaedam nempe modificatio corporalis in colore, forma capitis, sive fortasse etiam modificatio psychica, si cum illis communibus comparatur, plane exiguum dicendum est, et congruentia hominum ita differentiis praevalet, ut hae fere dispareant et absonum sit, iis in aestimandis hominibus primatum vindicare.

b) *Proprietates et differentiae rassarum plerumque incertae* sunt. Qualitates enim, quae rassis propriae dicuntur, minime in firmos fasciculos conspicuos collectae reperiuntur, magno discrimine ab aliis distantes, sed minimis gradibus inter se transeunt et in singulis rassae individuis disiunctae inveniuntur. Praeterea tum in tota rassa qualitates hereditariae fere semper causis externis ita afficiuntur, u varie modificatae appareant, tum in singulis individuis perpetuae qualitatum variationes fieri solent: fiunt novae subitaneae „mutationes" (idiovariationes), quae hereditariae manent, fiunt „combinationes" (mixovariationes) e mixtione inaequalium parentum oriundae, quae pariter hereditariae sunt, fiunt denique „modificationes" (paravariationes) non hereditariae, sed valde frequentes, quae aliis causis ad tempus producuntur; quae genera variationum discerni vix possunt[1], ut igitur plerumque difficile sit proprietates rassales certo definire et agnoscere.

c) Praesertim *valde incertae sunt qualitates psychicae rassarum,* nempe hereditariae; id quod prudentiores omnes affirmant. Primum dependentia harum qualitatum a corporalibus tanta non est, ut a priori verisimile appareat, certos illarum complexus cum certis qualitatibus corporali-

[1]) „Plerumque valde difficile est diiudicare, sitne differentia duorum hominum in paravariatione vel mixovariatione vel idiovariatione fundata." („Die Beurteilung, ob ein Unterschied zwischen zwei Menschen auf Modifikation, auf Kombination oder auf Mutation beruht, ist meist sehr schwierig, viel schwieriger, als der Laie zunächst wohl glaubt.") *E. Baur*" Menschliche Erblichkeitslehre" ⁴(1936) 81.

bus, cum colore et forma crinium, cum forma faciei et capitis vel similibus firmo nexu copulatas esse. Revera hae qualitates in singulis individuis rassae frequenter discrepare cernuntur. In quantum autem aliquatenus communes esse conspiciuntur, vix umquam certo constat, eas ex hereditate provenire, non vero communi vivendi ratione, condicione sociali, educatione, indole caeli et regionis constanter produci et conservari. Neque ex operibus culturalibus et politicis ad internas facultates psychicas vel earum defectum tuto conclusio fieri potest. Plurimum enim a condicionibus geographicis, socialibus, historicis et aliis externis pendet, ut facultates ita vel aliter in actum prodeant. Nigritae africani parum in scientiis praestant, tamen pueri eorum simili sicut europaei vel etiam maiore studio et profectu discunt, si instruuntur; et diversis temporibus diversae rassae sive populi florem culturalem et politicum habere inveniuntur.

675 d) *Multo minus discrimina psychica tam fundamentalia* rassis inhaerent, ut iis essentialiter diversa cogitandi, sentiendi, tendendi ratio, diversa moralitas, religio, conceptio philosophica conaturalis sit. Omnes eandem naturam habent, in omnibus essentialiter eaedem leges cogitandi et morales insunt. Praeterquam quod absonum est dicere, illas differentias coloris, formae capitis vel nasi, compositionis chemicae sanguinis discrimina fundamentalia psychica causare, tali opinioni materialistica conceptio subest, quasi activitas spiritualis eiusque iudicia et persuasiones et veritas ipsa tantummodo mutabiles effectus cerebri sint.

e) *Qualitates rassales hereditariae ipsae mutabiles* sunt. Ergo non adest illud firmum fundamentum praestantiae humanae, quod cultus rassae fingit. Proprietates illae paulatim per causas externas vel permixtionem cum aliis rassis ortae sunt; ergo iisdem causis iterum mutari possunt. Revera mutari conspiciuntur. E. g. ipsa forma capitis, quae saepe praecipuum criterium habetur, in rassis germanicis ex aetate media, item aliquatenus in rassis slavicis, mutari observatur: magis magisque capita formam dolichokephalicam minuunt et in formam rotundam transeunt; etiam color crinium et oculorum fuscari invenitur.[1])

Art. 3. De origine generis humani

De origine primorum hominum nunc duae doctrinae invicem vehementer oppositae exstant, creatianismus et evolutionismus anthropologicus, quarum una primos hominum parentes a Deo creatos, altera ex brutis oriundos esse ponit.

Creatianismus imprimis testimoniis fidei docetur, quibus 676
sana scientia rationis suffragatur.

Revelatio divina de origine generis humani haec docet: 1) Genus humanum ab *iisdem parentibus* communem ducit originem. Protoparentes autem a Deo creati sunt in statu adulto et perfecto omnibusque naturae donis praediti, quibus digni generis humani instructores esse poterant; insuper etiam dotibus supernaturalibus et praeternaturalibus ornati fuerunt. — 2) Iidem ita creati sunt, ut *anima* a Deo ex nihilo creata et etiam *corpus* immediate a Deo ex materia aliqua praeiacenti productum sit. Hanc divinam corporis originem theologi fere communi sententia docent. Sunt quidem auctores, etiam catholici, qui admittunt, primos homines spectato corpore ex brutis oriundos esse. Attamen non immerito theologi censent, eam cum s. Scriptura componi vix posse, maxime si modus spectetur, quo creatio mulieris ex Adamo (non ex bruto) narratur (cf. infra). — 3) Quod *tempus* creationis seu antiquitatem generis humani attinet, definitus annorum numerus ex s. Litteris erui nequit. Nam incertum est, num genealogiae, quas ex Adamo usque ad Abraham texunt, completae sint, non raro enim in genealogiis narrandis complura membra omittunt; pariter incertum est, num annorum numeri, qui nunc in variis textibus inveniuntur, incorrupti sint. Sine dubio s. Scripturae non repugnat, ut ab Adamo usque ad hoc tempus 10.000 anni vel plures, si fortasse opus sit, admittantur. Admissis autem circ. 10.000 vel aliquanto pluri-

---

[1]) Cf. e. g. *W. Schmidt,* Rasse u. Volk² (1935) 104 ss.

bus annis omnibus tum palaeontologiae tum historiae antiquissimae postulationibus satisfieri videtur.

Scientiae profanae, quae ut tales non ex fontibus revelationis, sed ex sola ratione, experientia et historia notitias hauriunt, ea, quae revelatione certa sunt, saltem pleraque, ipsae etiam suis mediis cum certitudine vel probabilitate demonstrare possunt; vel saltem ostendere nequeunt, aliquid eorum falsum esse.

677 **Evolutionismus anthropologicus** expositae veritati christianae plene contradicit. Evolutionismus, quatenus non tantum animalia et plantas spectat, sed etiam ad hominem extenditur et sic anthropologicus vocari potest (etiam „darwinismus" appellatur), contendit, hominem non a Deo creatum, sed spectata anima et corpore a bruto ortum esse, quatenus aliqua forma animalis diuturno progressu per longissimas aetates pedetentim usque ad hominem se transformaverit.

Evolutionismus in genere spectatus docet, organismos perfectiores iugi progressu ex inferioribus atque ultimo ex uno vel pluribus organismis primitivis ortos esse. Evolutionismus imprimis animalia et plantas respicit et sub hoc respectu *biologicus* appellari potest. In cosmologia ostenditur, eum intra quosdam limites admitti posse; scilicet admittendam videri transformationem sive evolutionem polyphyleticam, quatenus minora illa discrimina, quae intra genera et familias zoologicas et botanicas intercedunt, ex transformatione repeti possint, cum id factis demonstrari videatur; non autem admittendam videri evolutionem monophyleticam omnium, etiam supremorum generum ex una forma primitiva, quippe quae evolutio non demonstretur et factis contradicat.

Alia autem quaestio est de evolutionismo *anthropologico.* Praetermissis enim veritatibus theologicis philosophia docet, hominem spectata anima immense ordinem beluarum superare. Neque ulla sunt facta, quibus demonstretur.

Evolutionismus anthropologicus saec. 19. per C. Darwin invaluit. Darwin initio quidem evolutionismum tantum intra ambitum animalium et plantarum continuit[1]), postea vero ad hominem quoque extendit[2]). Haeckel et Huxley hanc doctrinam popularem fecerunt.

---

[1]) On the Origin of Species (1859). — [2]) The Descent of Man (1871).

Eadem doctrina inter viros doctos nunc valde communis est. Atque ad instar dogmatis dirigit anthropologiam atque scientias finitimas, psychologiam, physiologiam, anatomiam, histologiam, quae membra, facultates, functiones humanas, velut systema nerveum, motus reflexos, intellectum, instituta comparatione cum animalibus ex gradibus inferioribus derivare conantur; regit philosophiam religionis, ethicam, sociologiam, scientias linguarum, quae confictis multiplicibus saepeque absurdis hypothesibus exponunt, qua ratione religio, persuasiones legesque morales, lingua, familia, societas civilis ortae sint ex apprehensionibus, affectibus, vocibus, moribus beluarum. Multi insuper concludunt, naturam humanam, sicut adhuc mutata sit, ita ulterius mutari corpore, indole cogitandi et appetendi, inclinationibus et moribus, ut nulla admitti possit religio immutabilis, nullae immutabiles leges morales, nullae institutiones sociales, quae tamquam normae constantes tenendae sint; ipsas leges cogitandi non pauci affirmant ita in aetates mutari, ut nulla sit veritas absoluta, sed relativa tantum et in tempora variabilis.

De modo, quo descendentia hominis a bruto facta sit, 678
magna est dissensio. Alii docent originem directam a *simia* aliqua „anthropoidē", attamen non ab aliqua ex hodiernis speciebus (Gorilla, Schimpanse, Orang-Utang, Gibbon), id quod propter magnam earum specialisationem impossibile habent, sed ab aliqua specie exstincta sive fossili aetatis tertiariae, a qua homo et simiae hodiernae lineis divergentibus descenderint; qualis ista fuerit, disputant, his hanc, aliis aliam coniectantibus, omnibus autem confitentibus, nullam hac in re certam notitiam accipi posse. Sunt etiam qui omnem directam originem ex simia anthropoide negant et hanc hominemque ab alia *communi stirpe,* forma quadam antiquo-tertiaria, derivatos esse defendunt. Porro plerique *monophyletismum* defendunt docentes, unam tantum speciem humanam ex evolutione prodiisse, quia nunc constat, omnes homines unius speciei esse; *polygenismus*

asserens, complures species humanas ex diversis animalium generibus ortas esse, vix iam defensores habet.

Evolutionismus, sicut communiter defenditur, hominem corpore et anima a brutis oriundum esse tenet. Hunc evolutionismum nunc spectamus. Exstat praeterea alia sententia, interdum etiam a catholicis admissa, quae solum corpus ex evolutione bestiaria prodiisse, animam vero immediate a Deo creatam esse affirmat. De hoc partiali evolutionismo infra iudicabimus. Theses sequentes eum non explicite spectant, attamen implicite ostendunt, eum nec demonstrari nec admittendum videri.

De evolutionismo ita agemus, ut primum ostendamus, eum argumentis, quae profert, minime probari, deinde ut directe argumentis contrariis eum falsum esse demonstremus.

Th. 41. **Evolutionismus anthropologicus, qui primos homines corpore et anima a specie beluina ortos esse docet, minime demonstratur.**

679 **Demonst.** In cosmologia exponitur, evolutionismum biologicum, quatenus evolutionem monophyleticam omnium generum animalium et plantarum ex una forma primitiva defendit, factis minime demonstrari. Nunc hanc rem neglegentes tantum ostendimus, argumenta, quae directe originem hominis ex animalibus ostendere intendunt, nihil evincere.

Haec argumenta, primo excepto, si quid valerent, tantum ostenderent, hominem spectato *corpore* a belua oriundum esse. Hic enim ab initio error committitur, quod homo tantum zoologice inspicitur: ex aliqua similitudine corporali cum brutis statim ad communem originem concluditur neglecto discrimine psychologico, quod est longe praecipuum. Haec methodus similis est illi, quae in opere architectonico solum qualitates lapidum vel in libro tantum typorum formas attendit. Etiamsi igitur argumenta rem suam evincerent, demonstrandum relinqueretur, quod praecipuum est, hominem etiam spectata anima a belua descendere. — Inspiciamus argumenta singula.

680 **1.** *Argumentum philosophicum.* Ratio principalis, quae adversarios firmiter opinari facit, evolutionismum verum esse

debere, etsi forte sufficienter demonstrari nequeat, philosophica est, nempe principium causalitatis naturalis: scientia vetat, ne ad effectus mundanos declarandos causae supermundanae afferantur, ne igitur ad declarandam originem generis humani creatio divina ponatur.

Resp. 1) Hoc non est argumentum scientificum, sed praeiudicium ex moderno agnosticismo et ordinis supernaturalis recusatione enatum.[1]) 2) Si causae mundanae sufficientes non adsunt, scientia non vetat, sed postulat, ut causa supermundana admittatur. 3) Neque propterea, quod primi hominis creatio negatur, adversarii omnem creationem effugiunt, nisi insuper adversus certam veritatem statuant, primam quoque vitam sine Deo ex materia anorganica derivatam, ordinem et tendentiam teleologicam organismorum sine intellegenti auctore ortam esse et materiam ipsam ab aeterno a se exsistere.

Haec vitiosa suppositio philosophica revera hac in re ab initio argumentationes regere solet. „Origo vitae [primae] etiam hora nativitatis hominis in terris fuit. Inde continua evolutione id fieri oportebat, quod ipsi hodie sumus. Omnis alia assertio indemonstrabilis phantasia est."[2]) „Opinio de naturali evolutione tum mundi anorganici tum entium viventium terrenorum ex prioribus simplicioribus statibus praedominans effecta est. Nunc sola scientiae congruere communiter putatur."[3]) Qui non admittit, organa visus ex simplicissimis formis usque ad oculos hominis se evolvisse, „huic tantum explicatio metaphysica relinquitur: Deus oculos cum diversa perfectione organica formavit. Tales declarationes metaphysicae non satisfaciunt .. tantum ex phantasia egrediuntur."[4]) „Quia homo non supernaturali modo in terra

---

[1]) Cf. *Ontologiam,* De principio causalitatis naturalis clausae. — [2]) *H. Weinert:* „Die Entstehung des Lebens war auch die Stunde seiner [des Menschen] Geburt auf Erden. Von da an mußte sich in fortlaufender Entwicklung das ergeben, was wir selbst heute sind. Jede andere Behauptung ist unbeweisbare Phantasie." Ursprung d. Menschheit (1932) 3. — [3]) *O. Hertwig:* „Durch den ganzen Entwicklungsgang von Philosophie und Naturwissenschaften ist mehr und mehr die Anschauung von der natürlichen Entwicklung sowohl der unorganischen Welt, als der die Erde bewohnenden Geschöpfe unter Annahme vorausgegangener einfacherer Zustände zu der herrschenden gemacht worden. Sie gilt jetzt allgemein als die wissenschaftlich allein berechtigte." Das Werden der Organismen (1916) 201. — [4]) *L. Plate:* „Wer in den Reihen der Sehorgane vom einfachen Pigmentfleck bis zum komplizierten Auge des Falken oder des Menschen nicht eine genetische, eine historisch gewordene Reihe erblickt, dem bleibt nur die unbefriedigende metaphysische Erklärung übrig: Gott hat die Augen je nach der Lebensweise verschieden hoch organisiert .. Solche metaphysische

apparuit, tantum ex formis beluinis se evolvere potuit." „Etiamsi distantia inter hominem et reliqua animalia hodierna multo maior esset, quam revera est, etiamsi nullae inventae essent in veteribus periodis geologicis formae mediae, non propterea persuasio labefactari posset, hominem et animalia invicem cohaerere."[1])

681 2. *Argumentum anatomico-morphologicum.* Tanta est similitudo hominis cum animalibus vertebratis spectato corpore et praecipuis membris, praesertim cum simiis anthropoidis, ut origo hominis a simia inferenda sit.

Respondetur: 1) Imprimis notandum est, in hac comparatione animalia et hominem inadaequate spectari. Etenim adaequate quoad corpus et animam spectati tam essentialiter differunt, ut simpliciter loquendo non similes, sed penitus diversi sint.

2) Exstat quidem inter hominem et animalia vertebrata, simias maxime, generalis quaedam membrorum similitudo. Attamen immerito evolutionistae semper ex similitudine statim originis cognationem inferunt, cum haec similitudo aeque Deum immediatum auctorem habere possit, cuius sapientiae conveniens fuit creaturas per harmonicas similitudines et discriminum gradus in unum totum ordinatum componere, ut integrum universum unius intellegentiae proles appareret. Etiam in ordine anorganico videmus varia corpora pari qualitatum similitudine consentire absque cognatione, pariter in ordine psychico cernimus animam sensitivam humanam cum anima bruti atque etiam spiritum cum anima sensitiva congruere similibus repraesentandi et appetendi functionibus absque communi origine. Etiam intellegentia humana talem variorum operum similitudinem producere solet.

Erklärungen befriedigen, wie eben angedeutet wurde, nicht .. Ihre [der Naturwissenschaft] Erklärungen sind ungleich überzeugender als rein metaphysische, die nur von der Phantasie ausgehen." Die Abstammungslehre (1925) 153 f.

[1]) *Klaatsch:* „Da der Mensch nicht auf übernatürliche Weise auf der Erde erschienen ist, so kann er nur aus tierischen Formen sich entwickelt haben." „Wäre auch die Kluft zwischen dem Menschen und der übrigen jetzt lebenden Tierwelt viel weiter, als sie wirklich ist, hätten wir auch gar keine vermittelnden Funde aus früheren Erdperioden — die Überzeugung von der Zusammengehörigkeit von Mensch und Tierreich überhaupt könnte dadurch nicht erschüttert werden." Weltall u. Menschheit II 22.




Fig. 31. a) Gorilla, b) Homo[1])

3) Non adest illa corporis similitudo tanta, quam multi 682
fingunt, sed cum similitudine generali simul magna adsunt discrimina, certe tanta, ut descendentia hominis a simia minime demonstretur, sed potius excludi videatur. Qua exclusa non satis apparet, qua ratione descensus a bruto probabilis reddi possit. Quidquid enim interdum de origine simiae et hominis a communi stirpe dicitur, vix non sem-

[1]) Ex *F. Birkner,* Die Rassen u. Völker d. Menschheit.

per tamquam hominis praeambula formae simianae proferri possunt et proferuntur. Ut quaedam discrimina notemus:

a) Homo volumine *cerebri* ita simias superat, ut, dum simiarum cerebra parvis discriminibus inter se differunt, subito inter simias et hominem magna appareat distantia. E. g. cerebrum in viro caucasio habet pondus medium 1450 gr., in Gorilla 4–500, in Orang-Utang et Schimpanse (Chimpanzé) 350–400 gr.; volumen internum calvariae cerebrum includentis comprehendit in Europaeo masculo ca. 1450 cm^3, in Gorilla masculo 500, in Orang-Utang 400, in Schimpanse 400. Angulus facialis in simiis ad summum $30–35^0$, in homine $70–90^0$ amplitudinis habet. In homine praevalet cerebrum, in animalibus medulla spinalis vitae inferiori inserviens; in homine cerebrum 12^{ies} maius est medulla spinali, in Orang-Utang tantum $4–5^{ies}$; etiam interna cerebri structura in homine multo subtilior est: copia et complicatio gyrorum et fibrarum multo maior. — Quibus proportionibus formatio capitis respondet (fig. 31): in homine praevalet pars superior, vitae rationali destinata, nempe cranium cum fronte erecta, in simia pars inferior comestioni destinata. Etiam dentes in simia multo validiores sunt, praesertim prominentes dentes canini (Eckzähne) tum superiores tum inferiores (fig. 35).

b) Ex cerebri et cranii formatione sequitur in homine *incessus erectus,* in simia vero incurvatus. Nempe in homine cerebrum totum occiput implet, quare spina vertebralis in caput ascendit (per „foramen magnum") non ex parte posteriore, sed ex inferiore; ut igitur intuitus oculorum in linea recta ante ipsum feratur, necesse est eum corpore erecto duobus pedibus incedere. In simiis vero aliisque animalibus spina in caput posterius intrat, ubi nullum iam cerebrum est; ut igitur etiam earum intuitus recta linea ante ipsas, non vero caelum versus feratur, necesse est eas corpore inclinato incedere. Propterea cernimus in animalibus femora et crura ita invicem coniuncta corporisque trunco inserta esse, ut non sicut homo genibus erectis stare et incedere queant, sed vel omnino non vel (sicut ursi et

simiae) tantum cum musculorum intensione genibus inflexis aliqua ratione se erigere valeant.

c) Praeterea simiae *quatuor manus* arboribus conscendendis aptas habent, quae tamen manibus hominis, universali apprehendendi et laborandi facultate instructis, multo imperfectiores sunt; homines praeter duas manus duos pedes habent, quibus firmiter stare possunt. Manus anteriores simiarum posteriores longitudine superant (4 : 3), brachia autem hominis pedibus breviora sunt (2 : 3).

d) Accedunt *alia discrimina:* carentia crinium in corpore, prominentia nasi, membrana pituitaria labiorum, diversa interna structura capillorum et alia.

4) Inter similitudinis rationes, quae inter hominem et simias intercedant, speciatim haec commemoratur, quod sanguis humanus sanguinem simiarum anthropoidarum minime dissolvere invenitur (Uhlenhut, Friedenthal, Mollison), videlicet propter similitudinem, dissolvere autem sanguinem prosimiarum (Halbaffen); sive, quod idem dicit: serum animalis, cui antea dosis seri humani iniecta est, contra novum serum humanum reagit simili modo sicut contra serum anthropoidarum, non vero contra aliud. Videmur igitur simiis illis sanguine iuncti esse. — *Resp.* a) Ex aliqua sanguinis similitudine, quae sola ex experimentis sequitur, minime inferri potest, nos ita simiis „sanguine iunctos" esse, ut originis coniunctio adsit. Ubi communis origo est, similitudo sanguinis adest, sed non ordine contrario. b) Neque sanguinis plena similitudo sequitur. Ex eo, quod sanguis humanus sanguinem simiarum anthropoidarum non dissolvit, solum concludi potest, utrumque sanguinem spectatis aliquibus qualitatibus, quae illam chemicam reactionem spectant, similem esse; spectatis vero aliis qualitatibus magnum discrimen intercedere potest. Sicut aliae partes corporis humani animali similes sunt simulque differunt, ita sanguis se habere potest. c) Ceterum interdum etiam sanguis animalium non cognatorum, e. g. cancri et muris ratti (Ratte, rat), unus alterum non solvere invenitur. d) Ideo hoc argumentum iam a multis peritis relinquitur. 683

Haec satis ostendunt, originem hominis a simiis minime 684
demonstratam esse et magnis difficultatibus premi. Originem ex simiis hodiernis nunc iam nemo defendit. Confugiunt autem ad aliquas species fossiles simiarum, e quibus hodiernae simiae et homines lineis divergentibus descenderint. Commemorantur praesertim hae species: Propliopithecus, Pliopithecus, Sivapithecus, Parapithecus Fraasii, Dryopithecus. Sed eorum forma corporis et membrorum penitus ignota est; vix enim quidquam nisi una alterave

mandibula et aliquot dentes eorum inventi sunt. Propterea etiam diversae interpretationes et sententiae proferuntur.

685 Evolutionistae explicare conantur, quo modo homo gradatim corpus a simiano diversum obtinuerit. Non sine magna credulitate exponunt, animal simianum, postquam alicubi silvae exstinctae sint, coactum esse ex arboribus descendere et in terra ambulare, quo feliciter manus posteriores pedes facti sint et incessus erectus ortus sit; cum non amplius in arboribus ascenderint et descenderint, etiam manus anteriores formam humanam accepisse; simul os simianum in humanum mutatum esse; simul cerebrum perfectiorem formam induisse, ignem invenisse, cogitare coepisse, linguam formasse. Quae sunt imaginationes nullis factis demonstratae et omnes difficultates anatomicas et psychologicas mira incuria praetermittentes.

686 Periti prudentiores originem simianam parum probatam habent.

„Hanc brevem expositionem de simiis fossilibus optime verbis M. Boule, qui certe evolutioni multum favet, concludere possum: ‚Concedendum est, palaeontologiam nobis nondum ullum transitum indiscutabilem, ullam veram demonstrationem descensus ex semiana ad humanam formam detexisse.'"[1]) „Forma media inter hominem et simiam, i. e. recentem simiam anthropomorpham absurda est. [Cogitari possit forma media simiana carens differentiis recentes simias ab homine separantibus.] Tales autem formas omnino nescimus."[2]) „Equidem nullam adhuc in capite humano ‚notam pithecoiden' scio, quae postulatis exactae scientiae satisfaciat."[3]) „Ex omnibus usque adhuc consideratis

[1]) *J. Bumüller:* „Ich kann diese kurze Revue über die fossilen Affen am besten mit den Worten des gewiß entwicklungsfreudigen französischen Forschers M. Boule schließen (Les Hommes fossiles[2] 90): ‚Man muß indes zugeben, daß die Palaeontologie uns noch keine indiskutable Übergangsform, noch keinen tatsächlichen Beweis einer von einer äffischen zu einer menschlichen Form verlaufenden Abstammung aufgedeckt hat.'" Urzeit des Menschen[4] (1925) 315. — [2]) *Werth:* „Eine Mittelform zwischen Mensch und Affe, d. h. rezenten Menschenaffen, ist vom phylogenetischen Standpunkte aus ein Unding. Entwicklungsgeschichtlich denkbar ist als Vorläufer des Vollmenschen nur eine Form, die die Eigenschaften des Menschen mit denen solcher primitiven Affen (Primaten) verbindet, die alle die rezenten Menschenaffen vom Menschen unterscheidenden Spezialisationsmerkmale noch vermissen lassen. Diese Formen aber kennen wir gar nicht." Der fossile Mensch I (1928) 117. — [3]) *J. Ranke:* „Ich wenigstens kenne bis jetzt kein ‚pithekoides Merkmal' am Menschenschädel, das diesen Anforderungen des exakten wissenschaftlichen Standpunktes genügt." Der Mensch[3] I (1911) 440.

elucet, talia animalia, qualia sunt anthropomorphica hodierna, ideoque etiam eorum avi tertiarii, in serie maiorum hominis numerari non posse."[1]) „Videmus inter hominem et simias nunc viventes tam essentialia discrimina intercedere, ut appareat, hominem ab aliqua simia anthropoide nunc vivente oriri non posse." „Etiam simiae anthropoidae fossiles usque adhuc notae directi proavi hominis dici non possunt."[2])

Idcirco alii, etsi pauciores, hominem non a simiis, sed cum simiis ex alia stirpe communi oriundum esse existimant, quae in antiqua parte aetatis tertiariae (oligocaen) exstiterit.[3]) Quod tamen a plerisque reicitur. Revera vix intellegi potest. Etenim tantum prosimiae in quaestionem venire possunt (speciatim tarsiiformes et lemuriformes); quae tamen tantopere a simiis et homine differunt, ut aliis merito descensus excludi videatur.

Manifestatur ergo gravis dubitatio, quae in dies augetur, et ignorantia de modo, quo forma humana ex animalibus derivata sit. Eadem dubitatio tempus spectat: antea putarunt, tempore diluviali id accidisse, dein tempore tertiario iuniore (pliocaen), deinde medio (miocaen); nunc iam saepe ad tempus antiquum tertiarium deveniunt (oligocaen).

3. *Argumentum embryologicum.* Embryum humanum gra- 687
datim talia stadia percurrit, quae similitudinem prae se ferunt cum speciebus animalium se ipso inferioribus, primum cum imperfectissimis, deinde cum perfectioribus, ut concludendum sit, evolutionem individui embryonalis sive „ontogeneticam" esse repetitionem evolutionis speciei seu „phylogeneticae"; quae vocatur lex „biogenetica" (F. Müller, Haeckel 1866). Quia igitur embrya hominis et animalium perfectiorum initio speciebus imperfectissimis similia sunt, etiam inter se ita similia sunt, ut embryum humanum „ab embryis animalium vertebratorum discerni nequeat"[4]); postea embryum humanum simile fit vermi, pisci, simiae

[1]) *Branca:* „Aus der Gesamtsumme aller obigen Erwägungen geht hervor, daß Formen wie die heutigen Anthropomorphen, bezw. also deren tertiäre Vorfahren, nicht in der Ahnenreihe des Menschen stehen können." Der Stand unserer Kenntnisse vom fossilen Menschen (1910) 54. — [2]) *F. Birkner:* „Wie wir gesehen haben, bestehen zwischen dem Menschen und den jetzt lebenden menschenähnlichen Affen so wesentliche Unterschiede, daß es unmöglich erscheint, den Menschen von einem der heutigen Anthropoiden abstammen zu lassen." „Auch die bis jetzt bekannten fossilen menschenähnlichen Affen können nicht als direkte Vorfahren des Menschen betrachtet werden." Die Rassen u. Völker der Menschheit (1913) 280/9. — [3]) E. g. *Osborn;* qui ideo putat: „Existimo, theoriam simianae hominis originis omnino falsam et erroneam esse." („I regard the ape-human theory as totally false and misleading.") Recent discoveries relating to the Origin and Antiquity of Man. In: Palaeobiologica 1928. — [4]) *Darwin,* Descent of Man I ch. 1.

imperfectiori et perfectiori, donec corpus hominis recentis apparet.[1])

Respondetur: 1) Non exsistit illa similitudo inter stadia embryonalia et seriem ascendentem specierum, quae dicitur, neque quod humanum neque quod alia embyra attinet. a) Quia homo et animalia vertebrata in forma adulta ge-




Fig. 32. Embryum hominis (1) — porculi (2) — gallinae (3) (secundum His). Tria embrya in eodem fere, nempe medio, evolutionis gradu stant. Apparet similitudo, sed cum discriminibus valde notabilibus; e. g. in homine cerebrum multo maius est (in gallina magnitudo capitis non ex cerebro, sed ex oculo derivatur), numerus vero vertebrarum multo minor quam in animalibus (caudatis).

neralem organorum similitudinem, quamquam semper cum magno discrimine sociatam, habent, necessarium est, etiam in stadiis embryonalibus, praesertim in primis, similitudinem apparere, ut initio, levi tantum attentione adhibita, discrimina disparere possint. Sicut igitur similitudo formarum adultarum non est argumentum communis originis, nec similitudo embryonalis est. Nec mirum est, quod inter stadia embryonalia et ascendentes animalium species aliqua similitudo externa apparet; sicut enim species inferiores generatim imperfecte continere solent, quae altiores perfectius et diversa cum specialisatione habent, etiam stadia

[1]) *Haeckel,* Anthropogenie (1874), concludit, hominem haec 22 stadia genealogica percurrisse (quorum complura penitus conficta sunt): 1. 2. Einzellige Monere und Amöbe, 5. Urdarmtier, 6. Urwurm, 11. Urfisch, 13. Kiemenlurch, 14. Schwanzlurch, 15. Uramniot, 17. Beuteltier, 18. Halbaffe, 19. Schwanzaffe, 20. Menschenaffe, 21. Affenmensch, 22. Homo sapiens. His postea alia 6 adiecit. Omnes fere homines docti nunc tales genealogias aspernantur.

embryonalia ex formationibus imperfectis et quasi indeterminatis ad perfectiores magisque determinatas progrediuntur. b) Sed clarum est, licet similitudo extrinsecus appareat, humanum embryum in se ipso tum ab embryis aliorum vertebratorum tum a speciebus animalium inferiorum necessario in se ipso diversum esse, cum virtualiter contineat futurum corpus humanum ab aliis admodum diversum. Simili fere ratione gemmae diversorum florum, quamdiu nondum se explicarunt, extrinsecus similes apparent, intus autem valde diversae sunt, utpote virtualiter flores continentes. Idem ostendunt diligentiores inquisitiones embryologicae.

2) Ex hac lege sequeretur, cum embryum humanum diu habeat parvum corpusculum cum ingenti capite et cum initiis dentium sub carne latentium, aliquando tales species monstrosas animalium exstitisse.

3) Hinc iam plerique in his rebus periti consentiunt, 688
legem biogeneticam, etsi intra genera animalium particulares casus ei aliquatenus conformes inveniantur, generaliter sumptam minime valere.

Embryologi haec iudicant: „Identitas formae externae embryorum animalium, quae tam saepe affirmatur, non exsistit. Embrya in novellis gradibus evolutionis constituta suas proprietates classium et ordinum, immo, id quod vix in dubium vocari potest, etiam speciei et generis atque etiam suas individuales proprietates habent."[1]) „‚Embryum superioris formae animalis', sicut iam C. E. v. Baer omnino recte animadvertit, ‚non est alii formae animalis aequale'."[2]) „Quo magis sensum et attentionem acuimus, eo certius praeter congruentias etiam peculiaria discrimina detegimus iam in novellis atque primis stadiis evolutionis embryonalis inter diversa viventia animalia, etiam inter ea, quae in systemate zoologico valde propinqua sunt."[3]) „Etsi embrya reptilis

[1]) *His:* „Eine Identität in der äußeren Form tierischer Embryonen, wie sie so vielfach behauptet worden ist, existiert nicht. Schon auf frühen Entwicklungsstufen besitzen die Embryonen ihre Klassen- und ihre Ordnungscharaktere, ja, wie wir kaum zweifeln dürfen, auch ihre Art- und ihre Geschlechts-, selbst ihre individuellen Charaktere." Unsere Körperform (1874) 201. — [2]) *O. Hertwig:* „‚Im Grunde ist nie der Embroy einer höheren Tierform', wie schon C. E. v. Baer ganz richtig bemerkt hat, ‚einer anderen Tierform gleich'." Werden d. Organismen (1916) 222. — [3]) *Ranke:* „Je weiter wir unsere Sinne und Aufmerksamkeit schärfen, desto sicherer erkennen wir neben den Ähnlichkeiten auch die charakteristischen Unterschiede schon in den frühen und frühesten Stadien der Fruchtentwicklung zwischen verschiedenen tierischen Wesen, auch zwi-

avis et hominis similia sunt, expertus embryologus in quolibet textu embryologico diiudicare posset, non solum num a specie avium vel mammalium, sed etiam num a gallina sive anate sumptus sit . . Scimus, embryum humanum non primum piscem, dein amphibium, dein reptile esse et tunc mammale fieri, sicut lex biogenetica secundum mentem Haeckelii volebat."[1])

689 Aliquod testimonium praecipuum originis beluinae *„fissurae gutturales"* (Schlundspalten) esse dicuntur. Primis evolutionis hebdomadis prope caput embryi humani (et animalium mammalium) formatio quaedam oritur, quae externam similitudinem habet cum fissuris branchialibus piscium (fig. 32, a). Pisces in utraque parte colli gestant osseos arcus branchiales (Kiemenbögen), fissuris divisos et branchias gestantes; branchiae sunt organa respiratoria piscium, quibus oxygenium in aqua hauriunt. Ideo etiam illae formationes embryonales apparenter similes „fissurae branchiales" et „arcus branchiales" nominari solent. Sed revera nullis functionibus branchialibus sive respiratoriis adaptatae sunt, sed ulterius se ad aures et partem faciei transformant. Scientifica methodo dignum non est, ex tali partiali similitudine extrinsecus apparente inferre, hominem ex piscis oriundum esse, praesertim quia non intellegitur, cur, si igitur omnes gradus animalium percurrit, non aequo iure alia complura et plurima organa beluina repetat. „Scientia non videtur permittere, ut propterea, quia embrya animalium mammalium . . in aliqua periodo embryonali fissuris gutturalibus instructa sunt, concludere, maiores eorum in piscium classe quaerendos esse."[2])

690 4. *Argumentum atavisticum* ostendere conatur, varias qualitates, anormales vel normales, quae in recenti homine inveniuntur, testimonia esse stadiorum pristinae evolutionis.

1) Complura exsistunt in homine *rudimenta,* quae finem non habent neque aliam declarationem admittunt, nisi ut dicantur esse reliquiae „atavisticae", ex statu atavorum beluinorum relictae et ex defectu usus ad hodiernum statum redactae. Talia sunt parvi musculi movendis auribus

---

schen solchen, die sich im zoologischen System sehr nahe stehen." Der Mensch I[3] 141.

[1]) *H. Driesch:* „Trotz der Ähnlichkeit der Embryonen von Reptil, Vogel und Mensch könnte ein geübter Embryologe an jedem beliebigen embryonalen Gewebe feststellen, nicht nur, ob es von einer Vogel- oder Säugetierspezies stammt, sondern ob es vom Huhn oder von der Ente stammt . . Nicht ist, wie wir wissen, der menschliche Embryo zuerst Fisch, dann Amphibium, dann Reptil, um darauf Säugetier zu werden, wie das biogenetische Grundgesetz in Haeckels Sinn es wollte." Das Wesen d. Organismus. In: Das Lebensproblem (1931) 429 s. — [2]) *O. Hertwig:* „Es scheint uns wissenschaftlich nicht zulässig zu schließen, daß, weil die Säugetierembryonen . . in einer Embryonalperiode mit Schlundspalten ausgestattet sind, ihre Ahnen in der Klasse der Fische gesucht werden müssen." Werden d. Organismen (1916) 221.

destinati, sed ad movendum insufficientes, vertebra „caudalia", appendix vermiformis et similia.[1])

Respondetur: a) Ut iure affirmetur, haec organa tantum rudimentaria esse ex evolutione relicta, demonstrandum esset, ea proprium finem non habere. Quod non demonstratur. Imprimis multa finem et utilitatem realem habere possunt, licet nobis nondum satis perspectam; iam complura organa existimata sunt inutilia, e. g. glandula thyreoidea (Schilddrüse), quorum finis postea detectus est. Vel finem idealem habent; e. g. ut appareat, organismorum structuras unitate architectonica regi, organa, quae in quibusdam organismis perfecta sunt, in finitimis non penitus omissa sunt. — b) Si illa „rudimenta", quae appellantur, per defectum usus orta essent, non intellegeretur, cur in omnibus gentibus fere eodem modo minuta sint eandemque formam habeant neque etiam ulterius minuantur et penitus paulatim evanescant. — c) Si homo ita per plurima stadia transiit, ut organa pristina per defectum usus amiserit, non apparet, cur non plurimae tales reliquiae in eo inveniantur. — d) Ceterum in se impossibile non est, ut in homine aliqua organa vi causarum externarum vel ex usu sive non-usu per aetates paulum mutentur.

2) Inveniuntur *abnormitates*, quae aliter nisi ex atavismo seu relapsu in stadia evolutionis peracta declarari nequeunt, v. g. microcephali, homines in fronte, facie, corpore toto pilosi vel caudis ornati. — *Respondetur:* Haec interpretatio arbitraria est. Facta allata nihil sunt nisi alterationes morbidae.

Aliqua particularia in argumento atavistico allata inspiciamus.

a) *Rudimentis* adnumerari solent praecipue appendix vermiformis, 691
vertebrum caudale, musculus auricularis.

Appendix vermiformis (Wurmfortsatz) est appendix intestini caeci (Blinddarm, cécum). Eius finis nondum quidem clare perspicitur, at multo minus constat, eum fine carere. Quia in animalibus carne vescentibus intestinus caecus una cum appendice, in animalibus vero herbis vescentibus intestinus caecus magnus est, denique in embryo humano

---

[1]) Cf. *Darwin,* Descent of Man I chap. 1.

et infante recenter nato notabiliter fortior est quam tempore posteriore, concludi potest, intestinum caecum eiusque appendicem in herbis digerendis et in aetate embryonali et infantili peculiare momentum habere. Quod momentum praecipue id esse videtur, quod nocivos bacillos destruit.

„Vertebra caudalia“ sive os coccygis (Steißbein; cf. fig. 31) est extremum columnae vertebralis coalescens ex 4—5 vertebris imperfectis, introrsum inflexum, valde diversum a vera cauda animalis, quippe quae semper formalis prolongatio columnae vertebralis est ex vertebris perfectis composita. Ceterum aliqua auctio vertebrarum in osse occygis hominis tamquam deformatio impossibilis non est.

Musculus auricularis admodum tenuis certe auriculae capiti affigendae, eius immobilitati temperandae, ossibus cranii tegendis utilis est. Etiam ex se aptus est, ut, saltem exercitatione facta, spontaneos motus auris producat. Propterea autem eum movere ordinarie non possumus, quia nullus eius motus innatus a natura institutus est ideoque repraesentatione motoria caremus, sine qua motus fieri nequit (n. 449). — Ceterum musculi aqud diversas hominum rassas atque etiam individua non parum variantur et sine dubio etiam diversis temporibus aliqua ratione variari, confortari vel debilitari possunt.

692 b) *Abnormitates,* quae relapsus in vetera stadia esse dicuntur, strictiore significatione „atavismi“ vocantur. Sed immerito sic concipiuntur. Afferuntur praecipue microcephali, homines caudati et pilosi, superfluae glandulae lactis.

In *microcephalis* cranium cerebrum includens et proinde etiam cerebrum ipsum praeter ordinem minuta sunt, ideoque intellegentia quoque impedita est. Hoc propterea accidit, quia tempore embryonali debita cerebri formatio impedita fuit. Sed microcephalia nequit haberi relapsus in pristinum stadium. Numquam status generis humani microcephalis similis esse potuit. Quia microcephali per se ipsos se sustentare nequeunt et propagatio eorum inter se, teste experientia, exclusa est, genus humanum dudum iam periisset.

Quod *homines caudatos* attinet, inferior pars corporis embryonalis primis hebdomadis in terminationem introrsum inflexam desinit, quae extrinsecus caudae similis apparet, attamen reapse mox in medias corporis humani partes se transformat (fig. 31); itaque non cauda, sed initium aliorum membrorum est. Variis autem causis effici potest, ut istae initiales formationes vel ab ulteriore evolutione impediantur vel ultra modum crescant et sic instar caudae persistant.

Pilositas extraordinaria frontis, faciei atque etiam totius corporis pariter effectus morbidus est. Ordinarie totum corpus humanum tenuissimis pilis instructum est; praeterea embryum per aliquod tempus densioribus longisque pilis (qui lanugo dicuntur) contectum est. Quare facile fieri potest, vel ut pili ordinarii praeter modum crescant, vel maxime ut pili embryonales persistant.

Interdum in feminis numerus iusto maior *glandularum lactis* (Brustdrüsen, gl. mammaires) invenitur, nempe praeter duas consuetas tertia vel plures (polymastia); quae pariter relapsus in stadia beluina habentur. Sed glandularum abundantia eodem modo deformitas est sicut multiplicatio digitorum, costarum, vertebrarum vel immo linguae et

cordis, quae etiam eveniunt. Praeterea glandulae abundantes non tantum in pectore, sed non raro prope humerum vel in femore sedent; unde apparet, hanc ‚similitudinem beluinam‘ admodum levem esse.

Ceterum animadvertendum est, cum in structura corporis et proinde etiam in evolutione embryonali magna quaedam generalis similitudo inter hominem et animalia vertebrata adsit, mirum non est, quod nonnumquam deformationes exortae aliis formis animalium similes evadunt. Quae proinde non atavismi interpretandi sunt.

5. *Argumentum ethnologicum.* Parva est distantia gentium 693
infimarum, e. g. australiensium, pygmaeorum, a simiis, immo etiam minor, quam est distantia illarum gentium ab hominibus europaeis, ut igitur istae gentes merito membra media inter animalia et homines cultiores haberi possint (Haeckel, Huxley). — *Respondetur.* Nunc nemo iam in anthropologia solide versatus simulque a praeiudiciis liber hanc sententiam subscribit. Iam ex compluribus decenniis scientia docet: „Nunc nulla est gens in hoc mundo absolute ignota, et invenimus, unamquamque rassam hodiernam esse humanam, adhuc nulla inventa est, quam simianam vel inter simiam hominemque positam dicere possumus.“[1]) „Nunc in toto genere humano nobis noto neque rassae, gentes, tribus sive familiae neque singularia individua exsistunt, quae sub respectu zoologico formae mediae inter hominem et simiam dici possent.“[2]) Omnes nunc admittunt, rassas humanas omnes eiusdem speciei esse.[3])

6. *Argumentum palaeontologicum.* Ossa fossilia possidemus, 694
quae a speciebus praehistoricis inter hominem recentem et animalia intermediis relicta sunt, ut appareat, hominem non ab animalibus intervallo magno divisum, sed iis continuata serie formarum intermediarum coniunctum esse, sicut evolutionismus docet. Tales formae sunt „Pithecanthropus erectus“, Evanthropus, Neandertalensis.

---

[1]) *R. Virchow:* „Gegenwärtig gibt es auf dieser Welt keinen absolut unbekannten Volksstamm, und wir haben gefunden: Jede lebende Rasse ist noch menschlich, es ist noch keine gefunden worden, die wir als äffisch oder zwischenäffisch bezeichnen können.“ Anthropologenkongreß Wien 1889. — [2]) *Ranke:* „Es existieren in der Gegenwart in der gesamten bekannten Menschheit weder Rassen, Völker, Stämme oder Familien noch einzelne Individuen, die zoologisch als Zwischenstufen zwischen Mensch und Affe bezeichnet werden könnten.“ Der Mensch[3] II 341. — [3]) Confer infra, De unitate generis humani.

Resp. Formae, quae species mediae inter hominem recentem et animalia merito dici possint, in stratis geologicis adhuc inventae non sunt. Conspectus status hominis diluvialis mox afferendus id ostendet. Quod speciatim exempla allata spectat, haec dicenda sunt.

695 1) Quod *Pithecanthropum erectum* attinet, E. Dubois 1891 apud Trinil in Iava invenit calvariam ampliorem et altiorem, quam simiae hodiernae habere solent, praeterea duos dentes, denique aliquo spatio interiecto femur talis formae, ut incessum erectum indicare videretur. — Attamen a) incertum est et incertum manebit, num calvaria et femur eiusdem individui fuerint. Et si hoc datur, nequit tamen ex iis ad totam corporis formam certa conclusio fieri. — b) Femur potest esse humanum. Sed dentes formam simianam habent. Pariter calvaria speciem simianam prae se fert, sed multo maioris capacitatis est quam calvariae recentium simiarum; eius volumen 800 cm^3 comprehendit (Gorilla ca. 500). Ingens exstat elucubrationum copia de his ossibus, quippe quae variis interpretationibus latum campum relinquunt. Alii, hucusque plerique (Werth, M. Boule, R. Virchow, Ranke, Obermaier, Bumüller), existimant, Pithecanthropum fuisse magnam simiam (vel Gibbon vel Schimpanse). Ab aliis nunc (quia calvaria similis est Sinanthropo recens invento) potius homo fuisse dicitur. — c) Quidquid autem affirmatur, nunc compertum est, strata geologica, in quibus ossa inventa sunt, non aevi tertiarii, sed diluvialis tantum esse, ideo Pithecanthropum non avum, sed coaevum hominis fuisse. Certum igitur est, eum membrum medium inter animal et hominem („missing link") non esse.

696 2) A. 1911–15 in Piltdown (Sussex) Dawson partes duarum calvariarum simulque mandibulam et tres dentes invenit, quibus Smith Woodward, existimans membrum medium diu quaesitum repertum esse, nomen *Eoanthropum* Dawsoni indidit. Sed minime forma media est. Calvariae secundum omnes humanae sunt et quidem homini recenti similes, ergo perfectiores quam Neandertalensis. Mandibula et dentes aliquatenus formas simianas prae se ferunt, quare

multi negant, alii vero concedunt, eos ad calvarias illas pertinere. Haec ossa aetatis diluvialis sunt, iam propterea formae mediae esse nequeunt; sed potius indicare possint, tempore neandertalensi coaevo vel anteriore iam homines vixisse recentibus spectato cranio omnino similes.




Fig. 33. Cranium Eoanthropi D. reconstructum sec. L. Woodward

3) *Neandertalensem* (qui interdum „homo primigenius" appellatur) non esse nec amplius haberi formam mediam, ex dicendis colligetur.

7. *Testimonia peritorum.* Evolutionismum anthropologicum 697 demonstratum non esse, saepe etiam periti, licet ipsi fortasse evolutionismo addicti sint, testantur.

„Neque pro evolutione, ex origine vitae usque ad hominem extensa, proprio sensu demonstratio afferri potest. Neque hoc nobis propositum est."[1]) Solidiores anthropologi per complura iam decennia continenter idem confessi sunt: „Non possumus docere, non possumus dicere, scientia demonstratum esse, hominem a simia vel aliquo alio animali oriundum esse."[2]) „Concedendum est, studium reliquiarum fossilium relationem hominis ad animalia aeque parum illustrare sicut documenta historica . . Palaeontologus ostendit, hominem antiquiorem esse, quam historicus suspicatus erat. Sed neuter quidquam ad quaestionem de eius origine solvendam contulit."[3]) „Expositiones [a nobis] factae omnibus . . persuadere possunt, nos revera nihil certi de magno evolutionis problemate scire, nos nondum faciem eius vidisse. Omnia ab integro iterum exstruenda sunt."[4]) Responsum ad quaestionem de ori-

[1]) *H. Weinert*, evolutionista: „Auch für das Entwicklungsgesetz, vom Lebensursprung bis zur Menschheit angewandt, ist im eigentlichen Sinne kein Beweis zu erbringen. Aber das ist auch nicht die Aufgabe." Ursprung d. Menschheit (1932) 3. — [2]) *R. Virchow*: „Wir können nicht lehren, wir können es nicht als eine Errungenschaft der Wissenschaft bezeichnen, daß der Mensch vom Affen oder von einem anderen Tiere abstammt." Die Freiheit der Wissenschaft (1877) 31. — [3]) *Ranke* utens verbis *B. Dawkins*: „Man muß zugeben, daß das Studium der fossilen Überreste auf das Verhältnis des Menschen zu den Tieren ebensowenig Licht wirft wie die geschichtlichen Urkunden . . Der Palaeontolog hat nachgewiesen, daß der Mensch älter ist, als der Historiker vermutet hatte. Keiner von beiden aber hat etwas zur Lösung des Problems seines Ursprungs beigetragen." Der Mensch[3] II 492. — [4]) *J. H. Kohlbrugge*, examen hypothesium evolutionis concludens: „Die obigen Zusammenstellungen werden wohl jeden . . überzeugen können, daß wir

gine hominis tantum „valde timidum valdeque incompletum" esse potest („très timide et très incomplète"); „ad clarum responsum dandum adhuc ignorantia nostra nimis magna est"[1]).

Speciatim confiteri coguntur, modum, quo homo a bestiis prodierit, erui non posse: Quamquam scimus, exstitisse hominem quartarium in Europa, tamen „ne unum quidem indicium habemus, quod de eius origine et vita praeterita nos edoceat"[2]). „At silentio non tegimus, demonstrationes absolute convincentes pro descensu beluino hominis eatenus non adesse, quatenus continuam avorum hominis seriem statuere non valemus."[3]) Evolutionismi admodum studiosi confitentur, „incertum esse, quo modo et quo tempore homines a reliquis primatibus derivati sint"[4]). Confer supra n. 686.

698 **Conspectus status hominis fossilis.** Cum disputatio hodierna de origine hominis semper cum reliquiis hominis fossilis conectatur, brevis conspectus status eius exhibendus est, ut diiudicari possit, utrum indicia originis bestiariae praebeat an vero fortasse contraria.

Notum est, has aetates geologicas distingui: 1ª archaica sive azoica est antiquissima, in cuius stratis (excepta ultima parte, praecambrica sive algonica) nulla certa vestigia vitae inventa sunt; 2ª palaeozoica, in qua primi organismi, praesertim ingentes plantae et animalia marina apparent; 3ª mesozoica, cuius strata praesertim reptilia et aves includunt; 4ª caenozoica. Aetatis caenozoicae pars antiquior

---

eigentlich noch nichts Sicheres von dem großen Problem der Evolution wissen, daß wir dessen Antlitz noch nicht geschaut haben. Alles muß von neuem wieder aufgebaut werden." Die morpholog. Abstammung d. Menschen (1908) 88.

[1]) *M. Boule,* L'homme fossile de la Chapelle aux Saints (1913). „Quoi qu'il en coûte à notre amour-propre, il faut donc convenir que nous sommes encore trop ignorants pour répondre clairement à la ‚question suprême, d'Huxley, pour résoudre d'une façon complète angoissant de nos origines." Les hommes fossiles (1921) 452. — [2]) *M. Hoernes*: „Wir besitzen nicht einen einzigen stichhaltigen Anhaltspunkt, der uns über seine [des quartären europäischen Menschen] Herkunft und sein Vorleben Aufschluß gibt." Der diluviale Mensch in Europa (1903) 2. — [3]) *K. Saller:* „Es sei jedoch nicht verschwiegen, daß absolut zwingende Beweise für die tierische Abstammung des Menschen insofern nicht vorliegen, als wir nicht imstande sind, eine geschlossene Ahnenreihe für den Menschen aufzustellen." Leitfaden d. Anthropologie (1930) 133. — [4]) *O. Abel,* studiosus evolutionismi defensor: „Was heute noch immer wieder zu einer kritischen Untersuchung dieses Abstammungsproblems herausfordert, ist die Ungewißheit, in welcher Form und zu welcher Zeit der Erdgeschichte diese Abtrennung der Hominiden von den übrigen Primaten erfolgt ist." Die Stellung des Menschen im Rahmen der Wirbeltiere (1931) 2.

aetas *tertiaria* nominatur. Hoc tempore diuturno in regionibus septentrionalibus calor amoenus vigebat, uberrima plantarum copia et grandia mammalia exsistebant, montes recentiores, velut Alpes, exorti sunt, hominis autem nullum probabile vestigium detegitur. Aetatem tertiariam sequitur aetas quartaria sive *diluvium* geologicum vel *aetas glacialis,* qua nives et glacies ex regionibus septentrionalibus usque in Hollandiam, Bohemiam, Galiciam et ex Alpibus usque Monachium descendebant; cuius rei clara testimonia praebent vestigia molium glacialium et reliquiae animalium ac plantarum tantum regiones frigidas incolentium. Quaenam fuerit causa huius diminutae temperaturae, adhuc non constat. Tempus glaciale dividere solent in complures (secundum Penck in regionibus alpinis in quatuor) periodos, inter quas periodi interglaciales intervenisse dicuntur cum aliquo temperaturae fluctuantis incremento; quae tamen periodorum divisio certa non est. Versus finem diluvii hominem in Europa iam exstitisse, ex vestigiis relictis certo colligitur. Quando autem tempus glaciale fuerit, cum certitudine erui nequit; at ultimam eius periodum circ. 10.000 annis multo antiquiorem esse vix ostendi potest.[1])

I. Quando homo fossilis primum appareat.

1. *Aetate tertiaria homo nondum invenitur.* Nulla adhuc 699
indicia inventa sunt, quae ostenderent, hominem ea aetate exstitisse. Reperti quidem sunt (in Thenay, Boncelles, Aurillac, Kent, alibi) silices aetatis tertiariae, quae aliquibus videbantur levia vestigia tractationis ususque humani prae se ferre itaque prima exordientis humanitatis indicia esse; ideo *„eolithi"* appellati sunt. Attamen nunc vix non ab omnibus peritis conceditur, tales silicum formationes posse causis naturalibus, veluti pressione, concussione, transportatione per aquam et glaciem produci et adhuc reapse produci. Praeterea eolithi in stratis geologicis tam copiosi inveniuntur neque umquam cum aliis reliquiis humanis, sed tantum et semper ibi, ubi naturalia silicum loca sunt, ut

---

[1]) Confer infra, De antiquitate generis humani.

concludendum sit, eos minime arte humana factos esse. Denique illae formae per longissimam aetatem tertiariam semper eaedem manent sine ullo progressus humani indicio. Idcirco vix non omnes prudentiores eolithos vel repudiant vel saltem argumentum admodum incertum esse affirmant. — Etiam ossa beluina inventa sunt incisionibus et lineis insignita, quas tamen morsibus animalium adscribendas esse compertum est.




Fig. 34. Eolithi (secundum Rutot)

Idem *periti testantur:* Iam diximus, „nos ne unum quidem indicium habere, ex quo hominem iam aetate tertiaria exstitisse concludere possimus. Revera inutile est, tales hypotheses pro homine tertiario iterum recoquere et deinde refutare."[1]) „Ex aetate tertiaria tum ossa humana tum certae reliquiae rerum culturalium usque adhuc desunt."[2]) „Nihil igitur adhuc de formis animalium tertiariorum, maioribus nostris proximorum, scimus." „Certum manet, nos ossa humana aetatis tertiariae adhuc non invenisse."[3]) „Hodie dicere possumus: homo tertiarius non exsistit!"[4])

[1]) *H. Weinert,* ipse fervidus evolutionismi defensor, affirmat: „daß wir auch nicht ein einziges Anzeichen dafür besitzen, aus dem wir die Existenz des Menschen schon zur Tertiärzeit folgern können. Es ist wirklich zwecklos, alle Hypothesen für den Tertiärmenschen wieder aufzuwärmen und dann abzulehnen, ganz gleich, ob es sich um tertiäre ‚Eolithen', tertiäre Fußspuren oder Gesäßeindrücke oder um Schädelfunde aus ‚ungestörten' tertiären Schichten handelt. Nichts davon hat der Kritik standhalten können." Ursprung d. Menschheit (1932) 335. — [2]) *F. Birkner:* „Aus der der Eiszeit vorausgehenden Tertiärzeit fehlen bis jetzt sowohl menschliche Knochen als auch sichere Reste von Kulturgegenständen." Der diluviale Mensch[3] (1923) 13. — [3]) *Branca,* ipse quidem evolutionismo addictus: „Wir wissen mithin über die tertiären, nächsten tierischen Formen unserer Vorfahren bisher noch nichts." „Es bleibt sicher, daß wir Menschenknochen tertiären Alters bisher noch nicht gefunden haben." Der Stand unserer Kenntnisse vom fossilen Menschen (1910) 67 VI. — [4]) *E. Werth:*

2. *Aetate diluviali sive glaciali homo apparet* et quidem 700
in diluvio ad finem vergente sive, si divisio aetatis glacialis in complures partes succedentes periodis interglacialibus interruptas admittitur, ferme in ultima periodo glaciali et periodo interglaciali immediate antecedente. Etenim inventa sunt humana ossa, instrumenta et ornamenta diversa cum perfectione elaborata, quae manifesta illius aetatis vestigia prae se ferunt. Inter medias enim reliquias animalium et plantarum illius temporis iacuerunt, et ornamenta ac figurae delineatae vel insculptae ex iisdem illis animalibus desumptae apparent.

Tales reliquiae plurimis in locis inventae sunt, praesertim *in Europa:* in Gallia, in Chelles (prope Parisios), St. Acheul (Somme), Le Moustier (Dordogne), Aurignac (Haut-Garonne), Solutré (Saône et Loire), La Madeleine (Dordogne), Mas d'Azil (Ariège)[1]); praeterea in Belgio, Germania, Helvetia et in reliqua Europa media, e. g. in Taubach-Ehringsdorf, Neuessing, Kösten, Markkleeberg, Sirgenstein, Wildscheuer, Ofnet, Schussenried in Germania, Wachau in Austria, Brno (Brünn) et Předmost in Moravia, Schweizersbild et Keßlerloch in Helvetia. *Extra Europam* multo pauciores, attamen etiam aliquae reliquiae diluviales inventae sunt. Ex America (Argentinia) et Australia nihil humanum exstat, quod adhuc cum solida probabilitate diluviale habeatur. In Africa vero multa residua reperta sunt, in parte septentrionali, orientali (Kanan, Kanjera), meridionali (huius residuis aetas

„Mit mehr Berechtigung, als sie einst der Autorität eines Cuvier zustand, als er sein ‚l'homme fossile n'existe pas' (es gibt keinen Diluvialmenschen) aussprach, können wir heute sagen: es gibt keinen Tertiärmenschen, l'homme tertiaire n'existe pas!" Der fossile Mensch (1928) 810. — [1]) Quia res arte factae his in locis inventae gradatim perfectiores sunt, praehistorici concludunt, eas ad diversos status culturales pertinere non gradu tantum diversos (quod certum est), sed etiam tempore distantes et invicem succedentes (quod non aeque certum est). Quare secundum Mortillet tempore diluviali hae periodi, a locis modo nominatis appellatae, distingui solent: *Chelléen, Acheuléen, Moustérien, Aurignacien, Solutréen, Magdalénien.* Tres priores antiquiores, posteriores iuniores esse dicuntur; in iunioribus, non autem in antiquioribus ornamenta inventa sunt. Periodus post Magdalénien subsequens iam extra tempus glaciale sita et aetatem palaeolithicam et neolithicam iungens *Azilien* nominatur.

diluvialis ascribenda esse videtur, sed accuratior temporis determinatio difficilis est). In Asia praesertim Palaestina-Syria multas reliquias praebet, aliquot India, Asia septentrionalis valde paucas, paulo plures in Sina (Sinanthropus).

De aliquibus obiectis talibus dubitatur, utrum aetatis diluvialis, an vero iunioris sint, etiam propterea, quia cadavera humana, quando sepeliuntur, in strata antiquiora demittuntur ibique postea inveniuntur. Tamen exsistentia hominis diluvialis certa est. Eius arma, utensilia et instrumenta, velut lapides rasorii, acuminati, cunei lapidei, cultri, secures, acus ex lapide et quidem potissimum ex silice (Feuerstein) vel ex ossibus seu cornibus animalium confecta sunt. Instrumenta, habitationes totaque vivendi ratio ostendunt, homines illos non agricultura, sed ad modum nomadum venatu et piscatu vitam sustentasse atque, quae fuit illius aetatis glacialis dura condicio, similem vitam egisse sicut modo indigenas Australiae, incolas polares aliasve gentes parum cultas.

701 Quoniam instrumenta hominis diluvialis non ferrea, sed tantum lapidea et quidem non polita erant, tota illa aetas *palaeolithica* vocatur, ut distinguatur a *neolithica* iuniore, in qua utensilia lapidea polita maioreque arte confecta erant. Aetas neolithica in Europa incepit, postquam finito diluvio meliores condiciones factae sunt. Tunc paulatim agricultura et variae, velut texendi, vasa fictilia fabricandi artes exercebantur; domus non raro in lacubus palis impositas aedificabant.[1]) Aetas neolithica non eodem tempore apud varias gentes fuit; in nonnullis regionibus usque ad longum tempus post Christum duravit. Aetates sequentes, quibus usus metallorum invaluit, ab ethnographis „aetas aenea" et „ferrea"[2]) nominantur. — Quia, spectatis reliquiis hominis fossilis, aliqua discrimina inter priorem et posteriorem partem temporis diluvialis observantur, aetas *palaeolithica antiquior* et *iunior* distingui solent.

---

[1]) Pfahlbauten, cités lacustres. — [2]) Bronze-, Eisenzeitalter, époque du fer.

II. De diversis formis sive rassis hominis diluvialis. Ossa 702
fossilia diluvialia aliquas differentias prae se ferunt, quatenus alia aliis formosiora sunt, ut diversae formae hominis diluvialis distinguantur. Quae tamen discrimina a sola corporis specie desumpta sunt.

1) *Formae imperfectiores,* quae potissimum in aetate palaeolithica antiquiore inveniuntur. Iis commune est cranium cum fronte brevi et obliqua, pars inferior faciei robusta, mandibula abrupto mento prominente carens, minor statura. His proprietatibus differunt tum ab hodierno Europaeo tum ab aliis rassis diluvialibus, attamen non magis quam una rassa humana ab alia. Proprietates enumeratae adhuc in rassis hodiernis, velut in indigenis australiensibus, in incolis regionum polarium (Eskimos) inveniuntur. Huc pertinent:

a) *Rassa Neandertalensis.* In Neandertal prope Düssel- 703
dorf a. 1856 in aliquo specu complura ossa sceleti humani inventa sunt, speciatim calvaria (Schädeldach) fronte tam brevi et obliqua instructa, ut indicare videretur speciem homine recenti multo inferiorem, attamen simiis nobiliorem (*„Homo Neandertalensis"*). Quae tamen opinio nunc relicta est. Calvaria enim congruit cum craniis indigenarum australiensium, quos omnes nunc tantum specialem rassam humanam habent; immo volumen calvariae neandertalensis aequale vel maius est volumine medio hominis recentis europaei. Porro si Neandertalensis forma media inter animal et hominem esset, diluvio antiquior esset. Sed apud omnes constat, eum esse aetatis quaternariae.

Praeter calvariam modo descriptam in variis mundi regionibus non pauca alia ossa sive formae diluviales, potissimum ad aetatem antiquam palaeolithicam spectantes, inventae sunt, quae similes proprietates gestant. Complexus hominum his qualitatibus instructorum nomine *„Rassae neandertalensis"* comprehendi solet. Quae igitur a recenti Europaeo accidentaliter tantum differt. At formae ad eam spectantes non omnes aequales, sed aliae aliis paulo perfectiores sunt. Ad hanc rassam inter alia haec fossilia pertinent:

In spelunca prope *Spy* in Belgio integri sceleti viri et feminae inventi sunt, quorum crania magnam cum Neandertalensi similitudinem prae se ferunt.[1]) Apud rivum *Krapina* in Croatia non quidem integra capita, attamen multa fragmenta capitum et mandibularum humanarum similis formae ex aetate glaciali inventa sunt. In *Le Moustier* (Dordogne, 1908) diluvialis sceletus iuvenis repertus est, qui iterum manifestam similitudinem cum Neandertalensi prae se fert; hic sceletus etiam clara signa sepulturae cum pietate peractae ostendit. Eodem anno in *La Chapelle-aux-Saints* (Corrèz) sceletus diluvialis viri senis (volumen cranii 1600 cm³), studiose sepulturae mandatus, repertus est eiusdem neandertalensis formae. Similia ossa inventa sunt in *La Ferrassie* (Dordogne, 1909 et 1910), *La Quina* (Charente, 1911), *Tilbury* (Anglia), *Gibraltar*, in *Tabgha* (Galilaea). In *Schipka* et *Ochos* (in Moravia), *Malarnaud* (Ariège), *La Naulette* (in Belgio), ad rivum *Krapina* repertae sunt *mandibulae* mento minuto praeditae (fig. 35 s.); similes in sceletis supra nominatis conspiciuntur. Mandibula huius structurae est aliqua proprietas rassae neandertalensis. Similes mandibulae adhuc in recentibus rassis, e. g. in australiensibus et incolis regionum polarium inveniuntur. Eas vere humanas esse, ex eo evidenter perspicitur, quod earum dentes vere humani, a simiarum dentibus admodum discrepantes sunt.




Fig. 35. Mandibulae

a) La Naulette b) Spy c) Sinensis modernus

---

[1]) Iidem sceleti aliquibus indicare videbantur, illos homines tantum incurvato corpore incedere potuisse, cum femora retrorsum inclinata essent. Attamen in sceletis recentibus eadem et maior inclinatio reperta est (Spy 13°, in compluribus Parisiensibus modernis 15° [Manouvrier]) sine erecti incessus detrimento.



1 2

Fig. 36. Mandibula heidelbergensis (1), simiana (2)

Inter reliquias rassae neandertalensis insigni antiquitate 704
mandibula *„Hominis Heidelbergensis"* eminet, quae in Mauer (prope Heidelberg) 1908 inventa est 24 m. sub terra recondita et alta arenae diluvialis stratura contecta, ut omnes consentiant, eam esse os humanum fossile unum ex antiquissimis. Sed nemo eam diluvio antiquiorem esse affirmat. Mandibula heidelbergensis illis omnino similis est, quas modo inspeximus, fortasse paulo robustior. Et vere humana est; omnes enim consentiunt, eius dentes esse vere humanos, immo etiam minores, quam dentes multorum Australiensium sunt.

Ad rassam neandertalensem etiam *„Homo Rhodesiensis"* 705
pertinere videtur, de quo ceteroquin nihil certi affirmari potest. A. 1921 in Broken Hill (Rhodesia) praeter complura alia ossa humana cranium inventum est cranio neandertalensi simile, sed non penitus aequale. Multi dicunt, Hominem rhodesiensem esse formam neandertalensi paulo magis primitivam, alii existimant, eum inter neandertalensem et recentem hominem stare. Etiam magis dubia eius aetas est, fueritne ante an post neandertalensem, immo forte recentis aetatis, an illius coaevus.[1])

b) *„Sinanthropus Pekinensis"*. A. 1922–32 in Chou Kou 706
Tien prope Peking repertae sunt complurium individuorum reliquiae fossiles diluviales, dentes, mandibulae, praesertim aliquot crania. Haec individua initio multis membra media diu quaesita videbantur. Mox vero clara documenta usum

---

[1]) *H. Weinert:* „Die Schädelwölbung ist tatsächlich höher als beim Neandertaler. Ob der Rhodesier nun vor dem europäischen Neandertaler, gleichzeitig mit ihm oder nach ihm lebte, auf jeden Fall sind an ihm die neandertalhaften Merkmale nicht zu verkennen." L. c. 260.

ignis et instrumentorum indicabant, ideo nunc apud omnes constat, eos veros homines fuisse. Crania et mandibulae speciem primitivam prae se ferunt, sed Neandertalensi similes sunt. Reliquum corpus ad haec crania pertinens, ignotum est. Pariter aetas incerta est; non constat, Sinanthropum Neandertalensi antiquiorem esse.




Fig. 37. Cranium Sinanthropi (reconstructum ab H. Weinert).

707 2) *Rassa perfectior, Cro-Magnonensis.* Tempore diluviali, praesertim iuniore, in Europa et alibi etiam homines corpore formosiores, hodiernis Europaeis valde similes vel aequales vixerunt, qui plerumque communi nomine „Rassae Cro-Magnonensis" comprehenduntur. Eius crania vix quidquam prae se ferunt, quo ab hodiernis Europaeis differant, frons alta et erecta est, mandibula tenera et mento prominenti instructa, totus sceletus gracilior, extremitates inferiores subtiliores et longiores, statura generatim maior. Ossa huc spectantia variis in locis reperta sunt: in *Cro-Magnon* (Dordogne, complures sceleti sepulti, 1868), *Combe-Capelle* (Périgord, unus sceletus sepultus haud notabiliter a cromagnonensi diversus, 1909), *Laugerie-Haute* (Dordogne, unus sceletus sepultus, 1872), *Brünn* (in Moravia, sceleti sepulti, 1891), *Předmost* (in




Fig. 38. Cranium rassae neandertalensis (La Chapelle-aux-Saints)



Fig. 39. Cranium rassae cro-magnonensis (Cro-Magnon)

Moravia, sceleti sepulti), praeterea similia in *Laugerie-Basse* (Dordogne), *La Madeleine* et *Chancelade* (Dordogne), *Duruthy* (Landes), *Les Hoteaux* (Ain), *Oberkassel* (prope Bonn, duo sceleti), *Ofnet* (Nördlingen, complura crania sepulta), *Galley-Hill* (Anglia), *Mas d'Azil* (Ariège).

Notandum est, praeter has duas a compluribus etiam alias rassas, a diversis diversas, statui et inter neandertalensem et cro-magnonensem tamquam medias inseri. Attamen ossa his novis rassis tributa tam parvis discriminibus ab aliis duabus differunt et praesertim tam pauca sunt, ut hae novae distinctiones parum demonstratae censendae sint neque ab omnibus admittantur. Ossa his mediis rassis adnumerata sunt ea, quae in Combe-Capelle, Předmost, Brünn, prope Engis (apud Liège in Belgio, 1893), prope Neuessing (1913) inventa sunt, pariter duo sceleti in aliquo specu grimaldiano (Grotte des Enfants, 1901) detecti, qui a nonnullis speciali rassae „grimaldianae", Nigritis africanis simili, tribuuntur (a Verneau).

III. **De statu intellectuali.** Homines diluviales omnibus pro- 708
prietatibus ingenii humani instructos fuisse, ostendunt usus ignis, ars et sagacitas, qua omnibus culturae auxiliis destituti vitam alere, apta utensilia et arma ex rudi materia conficere, bestias feras vincere, difficultates infinitas superare potuerunt. Idem denique clare demonstrant copiosa ornamenta ex tempore diluviali, iuniore saltem, relicta, nempe res artificiose ex lapillis, conchis, dentibus, ossiculis confectae, figurae animalium hominisque pictae vel exsculptae in utensilibus, armis, parietibus speluncarum (fig. 40), denique frequentissima vestigia sepulturae cum pietate factae, quae etiam persuasionem de immortalitate manifestant.

Annotatio. 1. *Nullum igitur membrum medium* inter ho- 709
minem et animal ab utroque essentialiter diversum hucusque inventum est. Pithecanthropus forma media non est. Neque formae et rassae in allato conspectu descriptae tales sunt; vix non omnes anthropologi hodierni eas vere fuisse humanas affirmant. Si qui adhuc eiusmodi membra demonstrare student, semper solum in uno alterove osse vel una alterave alicuius ossis qualitate multiplicis interpretationis capaci innituntur. Hae demonstrationes etiam propterea insolidae sunt, quia omnes fere in sola externa forma cra-




Fig. 40. Delineationes ab homine diluviali factae

1–8 figurae animalium diluvialium (1–5) et faciei humanae (6–8) in specubus Galliae inventae (secundum Breuil) — 9 figura pascentis rhenonis (Renntier, renne) ex Keßlerloch

nii nituntur, supponentes, ex ea ad gradum perfectionis humanae concludi posse. Sed in diiudicanda perfectione humana non tantum externa capitis et cerebri forma, sed etiam et praesertim cerebri structura interna et compositio

chemica spectanda est, de quibus externa forma parum vel nihil dicit.[1]) Fuerunt et adhuc sunt, quorum capitis forma non multum a simiarum capite differt, quos tamen plenos homines esse constat. Volumen cerebri hominum nunc viventium inter 900–2000 cm³ variatur.

Ex compluribus iam decenniis prudentiores *rerum periti* testantur, etsi fortasse ipsi evolutionismo addicti, conatus ad talia membra media invenienda effectu carere. „Unum ex gravissimis factis, quae palaeontologia nos docet, hoc est, quod homo usque ad antiquissimas formas nobis notas tum spectatis generalibus corporis proportionibus tum spectata convergentia serierum dentium molarium et forma dentium praemolarium vix specialisata (Heidelbergensis) iam plene et ex integro prae se fert proprietates rassarum recentium."[2]) „Sine maioribus [nobis notis], ut verus Homo novus, stat genus nostrum subito coram nobis tempore diluviali." „Structura ossea maiorum tertiariorum generis nostri adhuc certe ignota est. Ex stratis demum diluvialibus iunioribus tales noti sunt." „Unaquaeque particula structurae osseae huius ‚antiqui' hominis iam plenus totusque Homo sapiens est . . Quod Kollmann dicit, etiam mihi videtur verum esse: ex illo ‚antiquo' tempore cranium mutatum non est."[3]) — „Praemitto, me omnino adhaerere doctrinae descendentiae, quae scientiam naturalem regit, sed propriae experientiae me docuerunt, ex tempore glaciali proprietates rassarum in genere humano mutatas non esse. Homo physice perfectus statim diversis rassis variatus in Europa apparet, homines simiani non inveniuntur."[4]) „Gravissima veritas, quae ex recentissimis inventis anthropologicis consequitur, haec est: proanthropus simiae similis in diluvio inventus non est neque sperandum est, eum in aetate tertiaria

[1]) Cf. n. 201 ss. — [2]) *E. Werth:* „Es ist eine der wichtigsten Tatsachen, welche die Paläontologie uns lehrt, daß der Mensch bis zu den ältesten uns bekannten Formen zurück sowohl in den allgemeinen Körperproportionen, wie in der Konvergenz der Backzahnreihen und in der kaum spezialisierten Form des prämolaren Gebisses (Heidelberger) bereits die Merkmale der rezenten Rassen voll und ganz zur Schau trägt." Der fossile Mensch I (1921) 135. — [3]) „Ahnenlos, ein wahrer Homo novus, steht unsere Gattung plötzlich vor uns da in diluvialer Zeit." „Der Knochenbau tertiärer Ahnen unserer Gattung ist jedenfalls noch unbekannt. Erst aus jüngeren diluvialen Schichten kennt man solche." „Ein jeder Zoll im Knochenbau dieses ‚alten' Menschen ist schon ein voller ganzer Homo sapiens . . Was Kollmann sagt, erscheint mir gleichfalls richtig: Seit jener ‚alten' Zeit hat sich der Schädel wirklich nicht geändert." Der fossile Mensch. V. internat. Zoologen-Kongreß 1901 (Verhandlungen p. 237 s. 242). — [4]) *Kollmann:* „Ich will vorausschicken, daß ich vollkommen auf dem Boden der die Naturwissenschaft beherrschenden Anschauung der Deszendenztheorie stehe, aber meine Erfahrungen haben mich zu dem Resultat geführt, daß der Mensch seit der Eiszeit seine Rassencharaktere nicht mehr geändert hat. Er tritt physisch vollendet sofort in verschiedenen Rassen auf europäischem Boden auf und da finden sich keine Affenmenschen." Apud Ranke, Der Mensch³ II 480.

inventum iri."[1]) „Proanthropos, quem evolutionismus postulat, membrum inter hominem simiamque intermedium, nondum inventus est."[2])

Monendum praeterea est, scientiam profanam minime ostendere, homines diluviales europaeos primum in Europa ortos esse, non vero ex Asia in Europam immigrasse; immo varia signa adsunt, quae indicant, eos immigrasse.

710 2. *Neque ascensus inter formas humanas* demonstratus est. Saepe etiam evolutio inter formas et rassas humanas affirmatur hac fere ratione, ut homines per gradus ex forma Pithecanthropi (si homo esse conceditur) et Sinanthropi ad rassam neandertalensem et ex hac ad cro-magnonensem ascenderint, homo autem primus etiam Sinanthropo primitivior fuisse dicatur. Hoc minime demonstratum est (sive simul ascensus ex bruto affirmatur sive non affirmatur). a) Non constat, Sinanthropum esse formam bruto corporaliter propinquiorem quam Neandertalensem; nec constat, illum tempore hunc praecessisse; nec constat, omnes Neandertalenses ex Sinanthropo transformatos esse. Etiam minus constat, homines primos novo gradu Sinanthropo imperfectiores fuisse. b) Nec demonstratum est, aliquo tempore omnes homines terram incolentes rassae neandertalensis fuisse et omnes posteriores ex hac ortos esse; non constat, non simul cum hac homines formae perfectioris vixisse (Piltdown, Oldoway, Kanjera, Kanam?). Praeterea a multis vel plerisque anthropologis transmutatio rassae neandertalensis in cro-magnonensem vel formas modernas impossibilis habetur, quod nimis specialisata sit, tales autem specialisationes (secundum legem a Dollo denominatam) ad formas simpliciores non amplius evolutione regressiva reducantur.

Th. 42. **Complura argumenta certo probant, evolutionismum anthropologicum falsum esse.**

Postquam ostendimus, evolutionismum minime demonstrari, iam argumentis contrariis directe probamus, eum falsum esse.

[1]) *Ranke:* „Das wichtigste Ergebnis der neuesten anthropologischen Entdeckungen ist das: ein affenähnlicher Vormensch ist im Diluvium nicht gefunden und auch für das Tertiär nicht mehr zu erwarten." L. c. 477. — [2]) *Zittel:* „Der durch die Entwicklungslehre postulierte Proanthropos, das Zwischenglied zwischen Menschen und Affen, ist noch nicht gefunden." Ranke 489.

Demonst. 1. *Argumentum psychologicum.* Anima humana a beluina essentialiter diversa totoque ordine altior est. 711
Atqui quod ab alio essentialiter diversum totoque ordine superius est, non potest ex eo per evolutionem oriri. Ergo anima humana a beluina ideoque, quia anima pars hominis praecipua est, homo a bruto per evolutionem oriri nequit.

Demonst. mai. a) Anima humana spectato *intellectu* essentialiter altior est. Brutum per sensus solum res materiales et quidem concrete percipere et perceptiones habitas reproducere et associare potest; rerum essentias autem vel supersensibilia apprehendere, logice et abstracte cogitare, cogitata locutione exprimere nequit. Homo autem intellectu notiones abstractas formare, relationes perspicere, iudicare, ratiocinari, sic logice cogitare, ad essentias rerum pertingere, supersensibilia et veritates religiosas ac morales concipere, scientias artesque colere et cogitata loquendo exprimere potest. — b) Idem *voluntate* obiecta spiritualia, virtutes, veritatem, pulchritudinem spiritualem, aeterna ac divina amare potest et libertate ornatus vitam moralem agit; quae in bruto non inveniuntur. — c) Ideo anima humana *spiritualis* et *immortalis* est solaque creatione ex nihilo produci potest, anima autem beluina spiritualis vel immortalis non est.

Demonst. min. Quod ex alio per evolutionem oritur, oportet in eo contineri, sicut planta in semine, effectus in causa proportionata continetur. Atqui essentialiter diversum alioque altius non continetur in hoc. Ergo nequit ex eo evolutione oriri. — *Aliter.* Si anima humana nobilior ex anima bruti evolutione oriretur, violaretur principium, quod vetat, ne effectus toto ordine superet causam. Talis evolutio aeque impossibilis est ac ortus numeri denarii ex unitate, melodiae ex uno sono, libri ex una pagina.

Argumentum allatum etiam ita illustrari potest. Genus humanum nunc generatim in alto culturae gradu constitutum est. Atque iam apud antiquissimos populos egregiam culturam invenimus. Chaldaei et Aegyptii fere 4000 annis a. Ch. iam eximia cultura floruerunt, quod ostendunt pyramides, palatia, litteratura cuneoformis et hieroglyphica; pariter linguae antiquissimae, e. g. antiquo-indica, valde perfectae fue-

runt et etiam nationes, quae nunc barbarae sunt, linguis saepe admodum excultis, quas a maioribus antiquis acceperunt, utuntur. *Atqui* impossibile esse oculis quasi cernitur, ut bestiae vel homines brutales ex statu bestiali propriis viribus ad tantam culturam ascenderent. Nam constat, pueros nostros sibi solis relictos ne explicare quidem posse facultates rationales, quas iam plenas habent.

712 *Obiectio.* Sicut in infante humano vita rationalis integra in potentia adest, licet nondum actu exerceri possit, quia organa nondum convenienter formata sunt, ita non videtur absurde dici, speciebus animalium iam *potentiam* vitae rationalis inesse, non tamen antea manifestari, quam ad gradum hominis ascenderint. Sic principium causam effectui proportionatam postulans non laederetur. — *Resp.* a) Adversarii non supponunt, quod modo dicitur, in brutis iam principium vitae rationalis latere. Non enim docent, vitae sensitivae bruti ad hominem evecti *accedere* exercitium vitae rationalis, sicut accidit in puero, sed vitam rationalem *ex* sensitiva oriri arbitrantur. Admittunt igitur solam animam sensitivam in bruto, *ex* qua rationalis prodeat. — b) Absonum est supponere, in scarabaeis, passeribus, vaccis animam rationalem latere. Praeterquam quod nullibi apparet ideoque gratis fingitur, animae rationali id unum conaturale est, ut corpus efformet *humanum*, tale, in quo vitam rationalem exercere possit; absurdum et creatori iniuriosum est admittere, animam in corpora infima animalium vi intrusam et per milliones annorum ratione suisque iuribus ac dignitate omni privatam esse.

713 2. *Ex defectu formarum mediarum.* Usque adhuc nullae formae mediae inter animal et hominem, ab homine essentialiter diversae et genera animalium superantes, inventae sunt, quae tamquam transitus ad hominem considerari possint. Quod supra exposuimus. Atqui si homo per longas aetates e gradu animalis ascendisset, plurimae tales formae exstitissent. Sic autem explicari non posset, cur plane nulla reperiatur et cur non adhuc tales exstent.

714 3. *Ex antiquitate hominis.* Quando homo in diluvio apparet, invenitur perfectus homo, omnibus corporis mentisque qualitatibus naturae humanae essentialibus instructus et notabili cultura praeditus. Si igitur ex bruto oriundus esset, per evolutionem videlicet lentissime progredientem, talis fere, qualis aetate diluviali ad finem vergente invenitur, et cum eadem fecunditate praeditus iam per plurima annorum milia antea vixisset, ergo iam aetate tertiaria exstitisset et dudum per omnes terrae regiones propagatus esset. In hac vero suppositione plurimae reliquiae habitaculorum, instrumentorum, ossium, sepulcrorum humanorum

in stratis tertiariis et infinitae in omnibus antiquissimis diluvialibus ubique terrarum laterent. Atqui in stratis tertiariis plane nihil, in diluvialibus antiquioribus autem parum invenitur. Ergo.

4. *Ex unitate speciei humanae.* Origine beluina supposita 715
declarari non potest, cur tantum unica species corporeo-rationalis ex ordine bestiarum ascenderit, non vero complures diversae, cum in animalibus per evolutionem (uti saltem asseritur) in omni classi semper plurimae species ortae sint. Constat autem, omnes homines esse unius speciei.

Confirmatio. Apud multas gentes exsistunt traditiones communes in rebus particularibus mire conformes, quae narrant, homines primos in statu perfecto et felices bonosque fuisse, postea vero propter culpam commissam condiciones in peius mutatas esse. Nullae autem traditiones de initiis beluinis quidquam narrant.

De descensu beluino pure corporali. Theses expositae 716
etiam ostendunt, quid de illa sententia iudicandum sit, quae certum sive probabile esse tenet, hominem non quidem quoad animam, quae certe a Deo creata sit, attamen quoad corpus a bruto oriundum esse. Rem ita concipiunt. Evolutione ex imperfectis formis animalium usque ad perfectissimas ascendente paulatim factum esse, ut quoddam animal oriretur quoad corpus homini simillimum, cui deinde Deus animam humanam infuderit, ut ex bestia fieret homo. Hanc sententiam primus St. G. Mivart proposuit[1]) eamque etiam nunc complures auctores catholici probabilem habent. Sed non videtur admitti posse.

1. *Sententia non demonstratur.* Ostendimus, originem corporis humani ex beluino ne una quidem solida ratione vel anatomica vel embryologica vel palaeontologica demonstrari.

Neque consensus anthropologorum in asserendo ortu beluino hominis movere debet. Non enim facta empirica eum creant, sed quia supponitur, aliam nisi naturalem originem admitti non posse. Praeterea consensus originem beluinam totius hominis spectat; ergo concedendo illo dimidiato ortu beluino modernis evolutionismi defensoribus non satisfit, nisi omnis divina creatio recusetur.

[1]) On the Genesis of Species (1871).

2. *Sententia insolubilibus difficultatibus premitur.* a) Obstat imprimis, quod *formae mediae* corporales inter brutum et hominem non inveniuntur et quod longissima duratio evolutionis humanae seu *maxima antiquitas generis humani* asserenda esset, quae affirmari nequit.

b) Accedit *ratio philosophica.* Anima hominis ex bruto sumi non potuit. Cum igitur anima et corpus una natura sint, imprimis saltem minime inconveniens, sed valde naturale apparet, ut totus homo initio a Deo factus sit. Sed etiam directe inconveniens et inhonestum apparet, ut homo, qui natura, dignitate et fine ordinem animalium longe excedit, qui insuper dominus animalium est eaque ut pura media sua tractare, occidere, manducare debet, ut homo vera quadam generatione ex animalibus oriundus sit et vera quadam sanguinis cognatione cum iis cohaereat.

c) Nullum quidem definitum dogma huic sententiae obstat. Attamen merito plerique theologi censent, eam cum s. Scriptura componi vix posse, praesertim si modus spectetur, quo creatio mulieris, nempe non ex bruto, sed ex Adamo, narratur. Eandem sententiam enuntiare videtur responsum Commissionis biblicae datum die 30. Junii 1909: „Utrum sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem [Genesis] capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio . . a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine . . Resp. Negative".

Art. 4. **De antiquitate generis humani**

717 Si homo productum evolutionis est, quae certe lentissime processit, generi humano longissima aetas tribuenda est, per quam gradatim ad hodiernum statum pervenerit. Quae revera ab evolutionistis affirmatur. Quare haec de antiquitate generis humani quaestio nunc graviter disputatur.

S. Scriptura quidem genealogias ex Adamo usque ad Noe et Abraham pertingentes proponit, ex quibus tamen antiquitas generis humani non accurate definiri potest. Nam incertum est, num annorum numeri, qui nunc leguntur, incorrupti sint. Diversi textus diversos numeros exhibent; textus hebraicus ab Adamo usque ad Christum circiter 4000, Septuaginta circiter 5400, alii 6000 annos numerant. Pariter incertum est, num genealogiae allatae completae sint; interdum enim libri sacri more orientalium membra in genealogiis omittunt. Sed sine dubio 10.000 anni vel plures, si forte opus sit eos admittere, s. libris non repugnant.

Quod *historiam* attinet, vetus cultura aegyptia, babylonica, sumerica certe valde antiqua est. In Aegypto iam inter a. 4–3000 a. Ch. quendam culturae florem reperimus; antiquissimus rex, cui nomen Menes, circa a. 3200 regnasse fertur. In Mesopotamia circa a. 4000 a. Ch. invenimus populum sumericum, qui non semiticus fuit, notabili cultura florere; qui ca. 2600 a. Ch. a Babyloniis semiticis subiugati sunt, cuius historia pariter antiquissima est. Secundum narrationem biblicam autem gentes aegyptiae et babylonicae ex Sem et Cham, filiis Noe, oriundae sunt. Ergo historia profana non quidem antiquitatem immensam, attamen certo sex milibus annorum maiorem postulat.

Attamen anthropologi, ad facta geologico-palaeontologica provocantes, vix non communiter affirmant, initia humana ante plurima vel immo centena annorum milia ponenda esse. Multi genus humanum iam plus quam 500.000, Mortillet, Penck 2–300.000, Lyell 150.000, Obermaier saltem 100.000 annos vixisse opinantur.

Th. 43. **Sententia, quae genus humanum iam per ingentia annorum milia exstitisse affirmat, nullis solidis rationibus demonstratur (1. p.) et in difficultates insolubiles inducit (2. p.).**

Demonst. 1. p. 1. *Rationes generatim natura sua incertae sunt.* Superstruuntur enim factis valde indeterminatis et incertis, velut uni ossi sive uni ossis qualitati vel complurium ossium propinquitati locali vel amplitudini molis, qua ossa contecta inveniebantur, maiori minorive perfectioni instrumentorum, incertae vicissitudini frigoris et caloris; quae res varias interpretationes admittunt et de quibus revera multae diversae et oppositae hypotheses proferuntur. Praeterea, quod maxime attendendum est, fere semper suppositio de origine beluina tales interpretationes suggerere et regere invenitur. 718

Eadem incertitudo manifestatur, si *rationes speciatim* inspiciuntur.

719 2. Potissimum *ex antiquitate aetatis glacialis* argumentari solent, cui homo coaevus fuit cuique ingentes dimensiones vindicant. In aetate glaciali plerumque complures periodos glaciales admittendas esse putant, longissimis temporum spatiis distantes et periodis interglacialibus aeque longissimis interruptas; plerique secundum Penck quatuor glaciales et tres interglaciales periodos distinguunt. Homo secundum alios vixisse dicitur in ultima periodo glaciali et in ultima interglaciali, secundum alios vero iam in paenultima interglaciali multo antiquiore.

Ad nostram quaestionem non directe spectat inquirere, quanta fuerit duratio geologica aetatis glacialis, sed tantum, quamdiu homo in ea vixerit. Certe non per totam hanc aetatem exstitit, sed solum paulo ante ultimam periodum glacialem adfuisse videtur. Nullis factis demonstratur nec verisimile redditur, eum per duas vel immo tres periodos glaciales exstitisse (cum repetita mutatione faunae, e. g. repetito adventu et recessu Elephantis antiqui, animalis „calidi") vel generatim eius praesentiam diluvialem ingentia milia annorum comprehendisse; nec constat, quanta fuerit universae aetatis glacialis sive singularum periodorum dimensio temporalis.

a) Nescimus enim *causas* aetatis glacialis, ut ex iis initium et finem deducere possimus. Variae afferuntur causae, astronomicae et geographicae; sed omnes concedunt, nihil constare. Varia vestigia indicare videntur, talia tempora glacialia iam antea in terra aliquoties fuisse, in periodo algonica, devonica, permica.

b) Magnas aetatis glacialis eiusque periodorum dimensiones *computare* solent ex magnitudine erosionum et impressionum, quas moles glaciales ex alto descendentes produxerunt, vel ex longitudine viae, quam fecerunt, vel ex amplitudine stratorum, quibus reliquiae fossiles contectae inveniebantur. Sed eiusmodi computationes arithmeticas incertas esse facile elucet et fere ab omnibus conceditur.

Nam multa facta ostendunt, tales effectus non semper et ubique eodem modo fieri, sed magna strata et erosiones (in inundationibus) intra breve tempus produci posse, ingentes speluncas posse per aquam montes excavantem celeriter formari, montes glaciales posse intra breve tempus longas vias facere. V. g. Deeke existimat, moles glaciales ex Suecia meridionali usque in regiones pomeranias intra 300 annos proficisci potuisse; etiam recenti tempore moles glaciales montanae intra pauca decennia complura milia metrorum progrediuntur. Nunc Rhodanus eodem tempore duplo maiorem copiam terrae per alluviem adaggerat quam Rhenus. Cataracta Niagara fluminis aetate diluviali nondum adfuisse, sed postea demum orta esse videtur; ad hunc effectum producendum antea 35.000, postea 13.000 (Penck) anni postulati sunt, nunc 7000 (Gilbert, Woodwart) sufficere putantur. J. M. Schneider probat, in Schweizersbild ex quinque stratis invicem superpositis humanisque reliquiis refertis tria strata, ad quae formanda Ruesch, Penck et alii 15–20.000 annos postulant, 300 annis formari potuisse[1]; Killermann autem putat, stratum quartum, ad quod formandum iterum 10.000 annos postulant, fortasse aliquot diebus hominum manibus congestum esse[2].

c) Incertum est, periodos glaciales et interglaciales ita 720 *unam post aliam,* ingentibus temporum spatiis distinctas, secutas esse, sicut plerumque affirmatur.

α) Divisio aetatis glacialis integrae in quatuor periodos a Penck statuta minime iam ab omnibus geologis admittitur. Alii duas tantum (J. Bayer), aliqui (Geinitz, Holst, R. Lepsius, Drygalski) unam solum aetatem glacialem aliquibus fluctuationibus temperaturae ac tempestatis modificatam admittunt.

β) Probabile est, periodos illas saltem magna ex parte simul fuisse. In una regione, montibus glacialibus propinqua, tempestas frigida, animalia et plantae septentrionales, vitae condiciones et labor duriores ideoque etiam cultura

[1]) Theol.-prakt. Quartalschrift 70 (1917) 255 ss. — [2]) Urgeschichte u. Rassenkunde des Menschen (1931) 236.

et homines rudiores esse poterant („periodus palaeolithica vetus"), in alia autem regione a montibus remota tempestas amoenior pluviisque minus infecta, animalia et plantae aliae, vitae condiciones faciliores ideoque etiam cultura et hominum qualitates perfectiores esse poterant („periodus palaeolithica iunior"). Quod revera inventis geologicis confirmatur. Brockmann-Jerosch ostendit, in Kaltbrunn (St. Gallen) aetate diluviali alias regiones nive et glacie obsitas et alias vegetatione silvestri ornatas invicem propinquas fuisse.[1]) Similia temperaturae et vegetationis discrimina adhuc simul exsistere in variis regionibus, e. g. in Alasca, Patagonia, in regionibus alpinis observare possumus.

γ) Diluviales plantae et animalia, alia ordinarie in frigore, alia in calore viventia, quae tamquam testes vicissitudinis glacialis et interglacialis accipiuntur, non certo talem mutationem testificantur. Nam plantae et magis etiam animalia mutato calori ac frigori se accommodant. Etiam nunc non raro plantas „calidas" et „frigidas" simul in eadem regione vivere observamus, et animalia saepe ex suis ordinariis in alias regiones caeli contrarii emigrare cernuntur; e. g. elephantes regiones frigidiores et rhenones (Renntiere, rennes) calidiores ingrediuntur.[2]) Revera multis in locis, e. g. in Keßler-Loch prope Schaffhausen, item in multis specubus Galliae, in Cromer (Norfolk), in Cannstatt, in regione parisiensi simul sociata inventa sunt plantae et animalia talia, quae in frigore, et alia, quae in calore vivere solent, velut Rhinoceros Merckii Jäger, animal sub-

[1]) Die fossilen Pflanzenreste des glazialen Delta bei Kaltbrunn usw. Jahrbuch der St. Gallischen naturw. Gesellschaft (1908/9). — [2]) *E. Koken:* „Parum certo ex paucis plantis vel animalibus regionis et vegetationis et inde caeli indoles inferri potest. Methodus haec quidem commoda, attamen fallax est; non est adhibenda, si de animalibus exstinctis agitur, quorum vivendi consuetudines nescimus, quorum lata diffusio autem sola iam demonstrat, ea magnae accommodationis capacia fuisse." („Noch weniger verläßlich ist es, aus wenigen Pflanzen oder Tieren den Charakter der Landschaft und Vegetation und hiernach den des Klima zu erschließen. Diese Methode ist bequem, aber trügerisch; sie ist unzulässig, wenn es sich um ausgestorbene Tiere handelt, deren Lebensgewohnheiten wir nicht kennen, deren Verbreitung aber allein schon Beweis ist, daß sie großer Anpassung fähig waren.") In opere: R. Schmidt: Die diluviale Vorzeit Deutschlands (1912) 161.

tropicum cum equo, cervo, rhenone. In Carinthia celebris „Wulfenia", flos caeruleus, ex aetate tertiaria (calidiore) usque adhuc in monte 2200 m. altitudinis (Gartnerkofel) constanter permansisse invenitur.

3. Pariter divisio aetatis palaeolithicae in *periodos culturales* a Mortillet statuta et ab aliis recepta, quae per sub- 721
sequentes periodos diluviales inter se longe distantes distribuuntur, admodum incerta est. Nempe spectata perfectione instrumentorum lapideorum (et spectata simul certorum animalium reliquiis) hae periodi distinguuntur: tres antiquiores Chelléen, Acheuléen, Moustérien, et tres iuniores Aurignacien, Solutréen, Magdalénien. (Chelléen ad tempus calidius spectat. Sed sedes humanae ex hac periodo nondum inventae sunt, instrumenta vero huius gradus culturalis in Gallia reperta non satis constat utrum huic tempori geologico an posteriori [Acheuléen] ascribenda sint.[1])

Sed dubium non est, quin eodem tempore diversis in locis vel apud homines diversa arte instructos diversa instrumenta in usu esse potuerint. Nec demonstratum est, gradus culturales iuniores ex illis, qui antiquiores dicuntur, excrevisse. Diversa instrumenta et adiuncta, ex quibus illa divisio sumitur, minime, nec in Gallia nec alibi, sic divisim inveniuntur, ut illae periodi postulant; praesertim vero reliquiae Europae mediae et orientalis his periodis difficile inseri possunt. Propterea magna inter doctos opinionum differentia in his periodis discernendis et in rebus fossilibus iisdem inserendis invenitur. Non pauci totam divisionem reiciunt.

Ex diversis antiquis gradibus culturalibus ad eorum temporales distantias concludi non posse, etiam inde colligitur, quod saepe res diversi gradus eodem tempore adfuisse reperiuntur. In Aegypto sedes humanae temporis historici detectae sunt, in quibus instrumenta et utensilia palaeo-

[1]) His addi solet tamquam transitus ad aetatem neolithicam Aziléen (Tardenoisien). Periodus, quae in Africa (et Europa meridionali) cum tempore iuniore palaeolithico europaeo coaeva fuit, Capsien nominari solet.

lithica cum neolithicis, cum vasibus fictilibus et reliquiis agriculturae et pecuariae consociata erant. In Africa meridionali cultura diluviali valde similis (cultura „Wiltoniana") usque ad saec. 16. p. Ch. permansit.

722 Quaedam documenta diluvialia aliquibus praehistoricis etiam ostendere videntur, aetatem palaeolithicam ab antiquissimo tempore historico haud multum distare vel ex parte ei coaevum fuisse. Specus in Mas-d'Azil gestant depicta signa numerorum et litterarum formae phoeniciae, quae indicare possint, ea tempore phoenicio orta esse. Schuchhardt multas notabiles congruentias invenit inter mores palaeolithicos et antiquos historicos: similes ritus adsunt in modo mortuos sepeliendi (qui sedentes cum pedibus decussatis collocantur, colore rubro illinuntur), similis apparet in imaginibus compositio capillorum feminarum et zonae virorum sicut apud veteres Aegyptios, figurae inveniuntur cum simili corporis, capitis, manuum habitu, qualis observatur in orantibus et sacrificantibus apud antiquos populos historicos circa Mare mediterraneum.[1])



Fig. 41. Signa in Mas-d'Azil inventa

723 4. Mandibulam *heidelbergensem,* quam in profunda arena per flumen Neckar congesta invenerunt, Obermaier in 2. periodo interglaciali circiter ante 100.000 et plus annorum ponendam esse opinatur, quoniam in eadem arena reliquiae animalium, e. g. Rhinoceri etrusci, inventae sunt, quae ad illam aetatem pertinere videantur.[2]) Sed tanta aetas minime demonstrata est. Quanta sit antiquitas huius ossis, qua

[1]) *C. Schuchhardt:* „Wende nicht ein, freundlicher Leser, ob es denn überhaupt gestattet sei, Verknüpfungspunkte zu finden zwischen dem so weit entlegenen Palaeolithicum und dem historischen Altertum. Wir haben sie schon unabweisbar erkannt in der Bestattungsform der Hockerlage mit Röthelbeigabe, in verschiedenen Schmucksachen, in den ältesten technischen Ornamenten, in der Haartracht der Frauen und dem bloßen Gürtel der Männer. Wenn die Übereinstimmungen in so vielen Dingen tatsächlich vorhanden ist, hat man die Pflicht, sie aufzuzeigen; wie sie sich erklären, mag die Zukunft so oder so entscheiden." Alteuropa[3] (1935) 35. — [2]) Der Mensch der Vorzeit I (1912) 337.

ratione in istam arenam venerit, per quale tempus moles arenariae congestae sint, quo tempore illa animalia vixerint, non satis constat; nonnulli mandibulam veteri, plerique medio vel recentiori tempori diluviali attribuunt.

Constat igitur, sententiam, quae genus humanum iam per ingentia annorum milia vivere affirmat, nullis solidis rationibus demonstrari. Nititur in collectione factorum, quae singula ignota dici debent. Ex ignotis autem non paritur notitia.

5. Ideo alii iam minorem aetatis glacialis durationem et generis humani antiquitatem admittunt vel saltem inculcant, omnes annorum computationes plane incertas esse. 724

Geinitz putat: „Magis magisque recipi videtur sententia, aetatem glacialem et postglacialem tantum per breve tempus (in sensu geologico) durasse."[1]) *Bayer* scribit: „Si nostra expositio aetatis glacialis cum sententia adhuc praevalente comparatur, discrimen principale clare elucet, gravis abbreviatio durationis aetatis quaternariae."[2]) *Prestwich* censet, aetatem glacialem incepisse fere a. 14.000 et finitam esse a. 6000 a. Ch. *Schaafhausen* tenet, initia generis humani ante 10—15.000 annos, *Lapparent* ante 12—15.000, *O. Fraas* ante 7000 annos, *Peake* ante 17.000, *F. Pfaff* vix ante 7000 annos fuisse; *N. O. Holst* putat integram aetatem glacialem durasse circ. 17.000 annos et finem accepisse ante 3000 annos, *Menghin* finem eius ponit circa a. 4000 sive 5000 a. Ch.[3]), *Schuchhardt* ante 3000[4]). Itaque „de tempore, quo homo per diversas partes aetatis glacialis in Europa appareat, opiniones valde inter se discedunt." Ideo prudentiores iam merito de his inquisitionibus praehistoricis hoc iudicium ferunt: „De absoluta aetate hominis diluvialis nihil certi scimus. Omnes computationes plus minusve hypotheticae sunt."[5])

[1]) Die Eiszeit (1906) 112. — [2]) „Vergleicht man das Eiszeitalter unserer Darstellung mit der bisher herrschenden Lehrmeinung, so tritt der Hauptunterschied markant in die Erscheinung, beträchtliche Verkürzung der bisher angenommenen Dauer des Quartärs." Der Mensch im Eiszeitalter (1927) 451. — [3]) „Das Ende der Eiszeit ist demgemäß um 4000 oder höchstens um 5000 v. Chr. anzusetzen." Weltgeschichte der Steinzeit (1931) 42. — [4]) „Vielleicht ist das letzte Aufhören der Eiszeit in Nordschweden nicht um 5000, sondern erst um 4000 oder 3000 v. Ch. erfolgt; dann würden sich die Zahlen noch entsprechend vermindern und das Aurignacien fiele um 12—10.000 v. Ch., was bei den engen Zusammenhängen seiner Kultur mit dem späteren Mittelmeere eigentlich immer noch viel zu hoch ist." Alteuropa 20. Cf. n. 722. — [5]) *F. Birkner:* „Über den Zeitpunkt, wann der Mensch während der verschiedenen Phasen der Eiszeit in Europa zum erstenmal auftritt, sind die Meinungen noch sehr geteilt." „Über das absolute Alter des diluvialen Menschen wissen wir nichts Sicheres. Alle Berechnungen sind mehr oder minder hypothetisch." Der diluviale Mensch in Europa[3] (1925) 43 48.

725 **Demonst. 2. p.** 1. Si homines diluviales iam ante ingentia milia annorum vixissent et se propagassent, ex illo tempore *infinitae reliquiae* utensilium, habitaculorum, ossium, sepulcrorum humanorum adessent sive in stratis terrae iacerent, ut intellegi non posset, cur paucissimae solum, in una alterave regione, et ex aetate tertiaria plane nullae reperiantur.

2. In eadem suppositione declarari nequit, *cur non inveniatur cultura antiquior* quam chaldaea et aegyptia 4000 annis a. Ch. haud vetustior; reliquiae enim antiquiores urbium, operum litterariorum, artium non apparent. Iam vero admitti nequit, hominem donatum ratione, cui igitur facultas et nisus progrediendi inest, per centena milia annorum permansisse in statu inculto et tunc demum et quidem raptu subitaneo ad altum culturae gradum festinasse.

3. Si merito supponimus, numerum hominum simili proportione sicut nunc ab initio crevisse, genus humanum iam per ingentia annorum spatia existeret et proinde dudum, ex plurimis saeculis, *totam terram implevisset,* ut iam ex saeculis terra hominibus capiendis insufficiens esset. Contrarium autem observatur.[1] (Secundum Rutot in Belgio, ubi, relative, maxima copia residuorum humanorum fossilium reperitur, initio temporis neolithici tantummodo aliquot centeni hominum habitarunt.)

4. Intolerabile est cogitare, Deum *adventum Salvatoris,* quem promiserat, per immensa saecula distulisse et homines tam diu in gentilitatis tenebris reliquisse. Quod autem s. Scripturam attinet, eius *genealogiae* accuratum quidem annorum numerum non indicant, tamen tanta

[1]) *Branca,* evolutionismi defensor, haec scribit: „Si numerus hominum eadem proportione sicut nunc ulterius crescit, postquam vix 200 anni elapsi fuerint, numerus usque ad 6000 milliones augetur . . Si eandem crescendi proportionem supponentes in tempus praeteritum regredimur, post aliquot tantum milia annorum ad primum hominem pervenimus.“ („Die Zahl der Menschen auf der ganzen Erde mag heute etwa 1500 Millionen betragen. Bleibt die Vermehrungsziffer derselben so, wie sie heute ist, dann wird in noch nicht ganz 200 Jahren die Zahl auf 6000 Millionen angeschwollen sein . . Rechnen wir nun mit derselben Vermehrungsziffer zurück in die Vergangenheit, so kommen wir in nur einigen tausend Jahren bereits auf Null, also auf den ersten Menschen.“) Der fossile Mensch. V. Internat. Zoologen-Kongreß (1901) 241.

temporum spatia cum iis conciliari posse non videntur. Per immensa enim milia annorum genealogiae non texuntur, praesertim si secundum adversarios homines per has immensas aetates semper in gradu culturae diluvialis, sine litteris, vixerunt.

Art. 5. **De unitate generis humani**

Unitas generis humani duplici ratione accipi potest. Vel in eo reponitur, quod omnes rassae humanae eiusdem speciei sunt, vel in eo, quod praeterea etiam communi origine ab iisdem parentibus oriundi sunt. Priorem unitatem specificam, alteram genealogicam appellamus.

De unitate specifica. 1. *Omnes rassae humanae eiusdem* 726 *speciei sunt.* Haec veritas ante aliquot decennia adversarios habuit; qui vel propterea, ut species mediae inter animal et hominem europaeum obtinerent, vel ut servitutem facilius defenderent, vel ob alias rationes propugnabant, aliquas rassas humanas Europaeis ita inferiores esse, ut diversae speciei sint. Quae sententia nunc penitus relicta est, etiam ab evolutionismi defensoribus. Et merito.

a) Si natura diversarum rassarum inspicitur, evidens fit, eam in omnibus esse specie eandem. α) Eadem enim est *corporis* indoles. Parva discrimina coloris, capillorum, vultus, cranii talia sunt, ut continuis minimisque gradibus inter se transeant, neque in distinctos quasi fasciculos inseparabiles collecta inveniuntur; sed multipliciter in diversis rassis et individuis dispersa sunt, ut fere impossibile sit rassas secundum clara distinctaque discrimina dividere, neque ulla divisio communiter admittatur. Talia autem discrimina numquam habentur specifica. Praeterea idem est initium et finis vitae, eaedem vitae aetates, similes functiones vegetativae et morbi; etiam singulae rassae in regionibus aliarum vivere possunt. β) Eaedem sunt functiones *psychicae,* idem usus linguae, similes persuasiones religiosae et morales, similis vita in familia et societate civili. Ingenii discrimina parva sunt neque alia, quam inter Europaeos observantur; et constat, omnes pueros debita instructione accepta brevi ad altiorem culturam evehi posse.

b) Diversae species brutorum, si ad *generationem* faciendam copulantur, vel omnino non gignunt vel ita gignunt, ut proles (hybrida; Bastard) sit sterilis vel fecunda tantum per aliquot generationes. Rassae autem humanae omnes matrimonio iunctae cum fecunditate perpetua prolem sibi similem gignunt (Kreolen, Mulatten etc.).

c) Idem ex compluribus decenniis testantur *rerum periti* omnes.[1])

727 2. In *rassis dividendis* magna invenitur apud ethnologos diversitas. Blumenbach († 1840) 5 rassas supremas numerat: caucasiam albam, mongolicam flavam, malayicam fuscam, aethiopicam nigram, americanam cupream; quae tamen divisio, quamquam adhuc adhiberi solet, adaequata dici non potest. Quatrefages spectatis colore et cranio 3 puras et 2 mixtas distinguit. Topinard spectatis colore, cranio et crinibus cum Cuvier rassam albam, flavam, nigram distinguit, quarum singulas iterum in complures typos subdividit, J. Deniker spectatis crinibus, oculis, naso 6 rassas statuit, Th. H. Huxley spectato cranio, dentibus, oculis, rinibus, naso 5, Giuffrida Ruggeri 8, W. H. Flower 3, E. Vatter etiam 3, europaeam, nigriticam, mongolicam.[2]) Cum igitur spectatis solis corporalibus proprietatibus bona divisio fieri posse non videatur, multi hodierni ethnologi simul etiam psychicas, culturales, oeconomicas attendere

---

[1]) *Ranke:* „Discrimina corporalia generis humani videmus per formas medias minimis gradibus differentes tam perfecte esse coniuncta, ut universitas differentiarum corporalium appareat series in se clausa [i. e. species] . . Haec est hodie sententia omnium anthropologorum, qui proprias de homine inquisitiones instituunt et anatomice exculti sunt." („Wir sehen die körperlichen Verschiedenheiten des Menschengeschlechtes alle durch aufs feinste abgestufte Zwischenformen so vollkommen miteinander verbunden, daß uns die Gesamtheit der körperlichen Differenzen als eine in sich geschlossene Reihe [d. h. Species] erscheint . . Das ist heute die Meinung aller selbständig über den Menschen forschenden anatomisch gebildeten Anthropologen.") Der Mensch[3] II (1912) 216. — [2]) „Numerus magnorum complexuum", inquit *Vatter*, „qui a diversis viris doctis verae rassae dicuntur, maxime fluctuat: nempe inter duas tresve et haud minus quam 63." [„Die Zahl der großen Gruppen, die von den verschiedenen Forschern als wirkliche Rassen angesprochen werden, schwankt außerordentlich: zwischen zwei (zB. bei Virey, Ranke) oder dreien (zB. bei Cuvier u. a.) und nicht weniger als 63 (bei Keane, 1867)."] Die Rassen u. Völker der Erde (1927) 47.

solent, e. g. Fr. Müller varias linguas, Fritsch-Strats migrandi vel stabiliter habitandi consuetudinem, alii alias qualitates; quae tamen proprietates cum qualitatibus corporalibus stabiliter coniunctae minime sunt et variis lineis discurrunt. Ex his perspicitur, nullam esse divisionem, quae omnibus probetur et satisfacere agnoscatur.

3. Causis variis effectum est, ut rassae (ex iisdem pri- 728
mis parentibus ortae) suas proprietates diversaque discrimina adeptae sint. (Cf. n. 673.) Hae proprietates, potissimum aetate generis humani iuvenili magisque receptibili ortae, per generationes plurimas auctae et hereditate transmissae nunc tam firmiter inhaerent, ut difficultur mutentur. Ceterum adhuc observari potest, Europaeos in Americam aliasve regiones stabiliter translatos, Nigritas diu iam extra Africam viventes, etiam rassas in Europa viventes paulatim colore corporis, crinium, oculorum vel forma capitis mutari.

De unitate genealogica. Ex unitate specifica modo expo- 729
sita concludendum est, genus humanum, si eius evolutio bestiaria admittitur, saltem non potuisse ex compluribus formis beluinis specie diversis, sed tantum ex una oriri; quod etiam nunc plerique celebriores anthropologi concludunt „polygenismum" reicientes.

At non tantum haec, sed maior unitas genealogica asserenda est. Per se quidem non repugnaret, ut Deus genus humanum, etiam servata unitate specifica, ex compluribus parentibus oriundum fecisset. Sed fide docemur, omnes ex iisdem parentibus ortos esse. Sola ratio non quidem certis argumentis id demonstrare, attamen eius convenientiam et probabilitatem ostendere potest.

Imprimis nulla est ratio contrarium suadens; sed haec tanta convenientia omnium rassarum in una specie, ut ne unica quidem corporalis vel psychica qualitas inveniatur, quae in unica rassa adsit et reliquis desit, commodissime explicatur, si iidem parentes supponuntur. Praeterea facile videmus, non solum nullam fuisse multorum parentum necessitatem, sed etiam caritati, quae homines copulare debet, admodum congruere, ut omnes ad unam familiam eorun-

dem parentum pertineant. Inveniuntur etiam revera in gentibus locis linguisque valde distantibus tam similes mores (circumcisio, certi ritus sacrales et funebres) tamque similes traditiones de primis generis nostri exordiis, ut supposita diversa origine difficulter explicentur. Etiam geographia et ethnographia non spernenda indicia afferunt, quae ostendere videntur, gentes omnes ex eadem regione patria in Asia sita venisse et inde in alias regiones emigrasse. Scientia linguarum nequit quidem adhuc probare, omnes linguas ex una ortas esse. Sed omnes docti consentiunt, hodiernam earum diversitatem huic communi origini minime obstare; immo quo magis studium progreditur, eo maior generatim diversarum classium linguarum convenientia detegitur.

Naturali ratione etiam perspicimus necessarium fuisse, primos parentes non in statu infantili, in quo nunc nascimur, sed in statu provectiore creatos esse; aliter aliorum auxilio destituti misere corpore et mente periissent. Pariter absonum est admittere, eos conditos esse in illo statu silvestri, quem evolutionistae initium generis nostri fuisse supponunt. Spectata bonitate et sapientia creatoris oportet dicere, eos talibus dotibus fuisse instructos, ut apti generis humani parentes esse et digna naturae rationalis primordia ponere possent. „Creavit Deus hominem ad imaginem suam."